ACTA

SANCTAE SEDIS

IN COMPENDIUM OPPORTUNE REDACTA

ET ILLUSTRATA

STUDIO ET CUBA

PETRI AVANZINI ROMANI PRESBYTERI

PHILOSOPHIAE, THEOLOGIAE ET IURIS UTRIUSQUE DOCTORIS

SEU

Acta iuridica et solemniora ex Supremo Romano Pontifice immediate dimanantia: acta inter ea quae publici fieri possunt iuris, sive sint Decreta, sive Instructiones, sive Responsa, et alia huiusmodi; praesertim vero Causarum expositiones et resolutiones ex variis EE. Cardinalium Sacris Congregationibus, ad ecclesiastici iuris accuratam intelligentiam et observantiam conferentes, in compendium diligenti studio redactae: alia denique iuridica, quibus opportune illustrantur quae in expositis actis vel difficultatem parere possint, vel ad vigentis iuris notitiam ulterius conducant: in utilitatem eorum qui in Ecclesiae legibus studiose dignoscendis, et in regimine christiani gregis, vel in colenda Domini vinea sedulo adlaborant.

Volumen VI.

ROMAE

TYPIS POLYGLOTTAE OFFICINAE S. C. DE PROPAGANDA FIDE

EQ PETRO MARIETTI EIUSDEM S. C. SOCIO ADMINISTRO

MDCC&LXX

JOHNSON REPRINT CORPORATION
Ili Fifth Avenue, New York, N. Y. 10003

JOHNSON REPRINT COMPANY LTD.
Berkeley Square House, London, W. 1

ANIMADVERSIO^ Nostra ephemerides, ideo ab initio edidimus sub ea cir-oumlocutione, *Acta eoe iis decerpta, quae apud Sanctam Sedem geruntur,* ne Lectores, si simplici «teremur titulo *Acta Sanctae Sedis,* officiales, ut aiunt, ephemerides esse existimarent.

Sed quum Lectores quinque annorum experientia noscant, quid in his ephemeridibus contineatur, idest, praecipua Sanctae Sedis Acta, quae publici iuris commode neri possint; quumque pluries viderimus easdem ephemerides ab aliis allegari simplici titulo, *Acta Sanctae Sedis;* ideo initio huius sexti voluminis omissa ea incommoda circumlocutione, utemur deinceps breviori titulo, idem significante, *Acta Sanctae Sedis,*

First reprinting, 1968, Johnson Reprint Corporation
Printed in the United States of America

EX ACTIS OECUMENICI VATICAN! CONCILII.

Auspicantes Volumen sextum nostrarum ephemeridem a percelebri Sessione IV Vaticani Concilii (cuius causa quasi diceres Concilium ipsum, tanta Episcoporum frequentia, fuisse convoca-^tum) fas est nobis faustissima ominari, quamquam infausta quaedam illico in rebus publicis successisse videantur.

Novum enim splendorem illum externum, quo, ex singulari divina dispositione, Romani Pontificis auctoritas munita est, atque per universum terrarum orbem tanta solemnitate patefacta ex orta contentione, non sterilem et inanem, sed immo validissimum, ex ope divina quae sic disposuit, fidenter existimamus.

Ea enim erit lucidissima pharus portum salutis indicans, in quam fluctus quoque agitatissimi maris frangi necesse sit.

'Vae autem illi, qui Angelo Vaticani sancienti resistat!

EA QUAE A TERTIA SESSIONE PRAECESSERUNT

SESSIONI QUARTAE.

in his omnibus, quae intra aulam Concilii contigisse narra* turi sumus, plenam fidem Lectoribus nostris damus, ea sic contigisse prout narramus: atque historicum procedendi ordinem ideo plenius exponemus, ut tot tantaeque calumniae de hac praecipua Vaticana Sessione licentiose evulgatae evanescere videantur.

Acta enim Sanctae Sedis defensione aliunde petita ab impactis calumniarum telis plerumque non indigent; sed eorum potentissima defensio est ipsa rerum genuina expositio.

Post publicam Sessionem III habitam die 24 ***Aprilis Dominica m Albis, ad Patres missum est Schema reformatum*** de Parvo Ca*

techismo, ***de quo loquuti iam erant Patres iuxta primam methodum: atque simul intimata est Congregatio per Monitum quod sequitur.***

MONITUM

« Mittitur una cum hoc folio schema reformatum de parvo catechismo; de quo in proxima Congregatione generali, quae habebitur Feria VI huius hebdomadae, die 29 curr. mensis Aprilis, discussio fiet iuxta num 7 Decreti diei 20 Februarii. Itaque Reverendissimi Patres, qui de reformato schemate loqui voluerint, iuxta num. 8 eiusdem Decreti, suum disserendi propositum antea significabat.

» E Secretaria Concilii Vaticani die 25 Aprilis 1870.»

IOSEPHUS EP. S **HIPPOLYTI**
Secretar. Concilii.

Die 29 ***Aprilis, Feria VI, habita est Congregatio generalis*** 47: ***distributa sunt singulis Patribus duo exemplaria Constitutionis dogmaticae*** de Fide Catholica, ***quae in Sessione III adprobata et confirmata est.***

Post relationem nomine Deputationis pro rebus disciplinae ecclesiasticae factam a Rmo D. Fran. Xav. Wierzchleyski Arch. Leopolitano rit. lat., coepta est discussio schematis re formati de Parvo Catechismo, ***et locuti sunt de schemate generatim spectato, Emus Card. Franc. Donnet Archiepisc. Burdigalensis , qui locutionem de schemate clausit animi sui votum vehementer exprimens (quod erat quoque plurimorum Patrum per enixas preces pluries Pontifici significatum), ut per quam citissime Synodo proponeretur schema de infallibilitate Romani Pontificis.***

Lectores enim meminerint, formulam iam esse Patribus distributam ex Monito diei 6 ***Mart.*** 1870, ***quod exposuimus*** in Vol V p. 405 et ***seq. eamque esse inserendam post caput XI schematis*** de Ecclesia Christi, ***quod de Primatu Romani Pontificis agebat; meminerint, eodem in Monito Praesides hortatos esse Patres ut animadversiones suas scripto traderent intra decem dies super dicto capite XI et super concinnata formula de infallibilitate Romani Pontificis: quod tempus ad instantiam Patrum scimus prorogatum quoque fuisse.***

Inde locutus est Emus Card. Ios. Rauscher Arch. Vindobonensis per Emum D. Ios. He f ele Episc. Rottemburgensem qui eius scriptum legit.

Lectum deinde est quod sequitur

MONITUM

Emi ac Rmi Patres

« Plurimi Concilii Patres, iterum atque iterum enixe postularunt, ut ante reliqua schemata, fidem aut disciplinam respicientia, de infallibilitate Romani Pontificis tractaretur, ea praesertim de causa, quod recenti tempore circa hoc gravissimum doctrinae caput non leves anxietates in fidelium animis ubique excitatae sint, unde eorum conscientiae anguntur et religiosae societatis pax ac tranquillitas perturbatur. Quapropter necessarium visum est Patrum examini quamprimum subiicere schecïa de Romano Pontifice continens doctrinam de eius Primatu et infallibilitate. Itaque nunc distribuuntur animadversiones, quae scripto traditae fuerunt a Rmis Patribus super caput de Romani Pontificis: Primatu, quibus in Congregatione generali cras habenda adiungentur animadversiones a Patribus in scripto traditae super schema de infallibilitate Romani Pontificis, ut eas sedulo expendant, donec suo tempore schema a Deputatione pro rebus Fidei reformatum proponatur (1).»

(1) Fertur, plurimos Concilii Patres, hoc habito nuntio, quadam animi laetitia illico gestivisse; neque defuit, qui elata voce conclamaverit: *Deo gratias!*

Extra synodum, ut omnibus notum est, libertas Iicontiose scribendi de hoc catholicae doctrinae capite eo pervenerat, ut cordatis viris stomachum moveret, et imperitis scandalum crearet: ratio autem ct studium quorundam agendi, ut suffragia in proprium sensum captarent eo quoque pervenerat, ut dictitantur, eos vario obtentu civilem auctoritatem concitare, qua S. Sedes forte deterrita, quod et scribere piget, impediret, quominus hoc doctrinae caput definiretur. *Quare* etiam extra synodum eorum omnium animi, qui catholice sentirent, non poterant, hoc cognito synodali nuntio , non erigi, ut veritas catholica tanto ludibrio exposita in suam lucem quantocius restitueretur. Eo magis quod diuturna prorogatione periculum immineret, ne, rebus publicis, iugiter oscitantibus, graviter tandem perturbalis, synodus protrahi non posset. Quod, dum erat periculum bene saneque sentientibus, spes et ultimam effugium e converso erat illis, qui secus sibi aliisque persuadere studebunt.

Distributae sunt animadversiones super caput de R. Pontificis Primatu.

Prosecuti sunt Patrum sermones de Parvo Catechismo ***et loquuti sunt, Petrus Rota Guastallensis - Augustus Verot S. Augustini (a die*** 21 ***Martii, antea Ep. Savannensis) Latir. Gastaldi Salutiarum.***

Die 30 ***Aprilis Sab. habita est Congregatio*** 48; ***distributae sunt animadversiones, quas super schemate*** de Infallibilitate R. Pontificis ***Patres in scripto tradiderunt.***

Prosecuti sunt Patrum sermones de Parvo Catechismo, ***et loquuti sunt Lud. Debreuil Arch. Avenionensis - lac. Bailles iam Luconensis - Petrus Cantimorri Parmensis.***

Declarata est clausa discussio de schemate in genere. Tum locuti sunt de partibus schematis Frid. Marguerye Augustodunensis - Guill. De Ketteler Moguntinus- Guill. Vaughan Plymutensis - Guill. Clifford Cliftoniensis - Matthias Eberhard Trevirensis - Io. Bapt. Zwerger Secoviensis.

Multi Patres ex synodali nuntio ut initio dixi gestientes, eadem die 29 Aprilis , communi conscripta epistola, sic SSmo Patri gratias egerunt.

BEATISSIME PATER

« Quanta fuit vis doloris, quo affecti ad Tuam Sanctitatem supplices accedere nuper coacti sumus, tanto nunc gaudio impellimur ad gratias Ipsi humillime age-wlas. Nuper scilicet, violenti instar turbinis, opinionum venti mentes agitabant; Sanctae Sedis infallibilitas in signum contradictionis posita erat; et ita haec eius praerogativa a plurimis oppugnabatur, ut eorum argumentis ipse Petri et successorum eius primatus, petra nimirum Ecclesiae fundamentalis, impeteretur.

» Inter haec Ecclesiae hostes exstabant; debiles in fide, scriptorum sive arte, sive auctoritate, commoti, dubii habebant; pii vero fideles omnes haud levi-sollicitudine *At* moerore premebantur

» Malo demum nimis eheu ! ingravescenti efficax remedium attulisti, Beatissime Pater, dum Decretum illud Concilio proponi permisisti, quo solo tanta procella sedari potest. Hac enim sola propositione moesti eriguntur animi, impugnaturum Sanctae Sedis audacia frangitur, et concordiae tam desideratae spes certa oboritur. Hoc igitur Tuum verbum, Beatissime Pater, id in procellosa hac nostra aetate efficiet, quod olim in mari factum est, quando navis, dormiente Christo, tempestate quassabatur; ipso vero surgente et ventis imperante, magna tranquillitas facta est.

»Id ut quam citissime experiamur, Tua Sanctitas precibus coram Eo, cuius Vicarius es, fusis impetrabil; nos vero cum Tuis nostras preces iungemus, ut, quorum communis est causa, communis sit laetitia, et «t, Tuis praerogativis in tuto positis, nostram quoque in populos auctoritatem confirmatam esse gaudeamus.

» Romae, in festo Sancti Petri Martyris 1870.»

Unus e RR ***PP. Deputationis pro rebus disciplinae ecclesiasticae respondit aliquibus difficultatibus; et declarata est absoluta discussio reformati schematis*** de Parvo Catechismo.

Die 4 ***Maii, Feria IV, Congregatio*** 49 ***habita est, atque lee ¿o est sequens relatio a Iudicibus Excusationum exhibita:***

« Aliquot Concilii Patres ex gravibus causis veniam a C n» cilio discedendi absque obligatione redeundi petierunt, scilicet: Anselmus Llórente Ep S. Iosephi de Costarica, ob graviorem infirmitatem in dies crescentem - lac. Brown Ep. Salopiensis, pariter ob adversam valetudinem - Io. Brady Ep. Perthensis in Australia, ob graviorem infirmitatem continuo auctam - los. Salas Ep. SSmae Conceptionis de Chile, ob gravem infirmitatem podagrae, qua valde laborat-Io Langevin Ep. S. Germani de Rimouski ob gravissimas necessitates tam spirituales quam temporales ioecesis-Colinus Mae Kinnon Ep. Arichatensis, ob infirmitatem continuo auctam - Petrus Mae Intyre Ep. Carolinopolitanus, ob eandem causam - Petrus Severini Episc. Sappensis, ob notissimam gravem infirmitatem - Ferdinandus Arguelles y Miranda Ep. Asturicensis, pariter ob gravem infirmitatem - los. Gelabert Ep. Paranensis, propter diuturnam gravem infirmitatem.

)) Iudices Excusationum allegatas discedendi causas satis fundatas atque probatas agnoverunt, atque praedictorum Episcoporum petitionem exaudiendam suaserunt.»

Patres surgendo assensum manifestant.

Io. Zwerger Episc. Secoviensis nomine Deputationis pro rebus disciplinae ecclesiasticae exposuit, quid ipsa sentiret primum de emendationibus in Congr. gen. propositis* et postea typis editis (quae Patribus domum missae fuerant), tum de aliis alia via Deputationi propositis.

Tum lata sunt suffragia de emendationibus, eaque iuxta sententiam Deputationis, paucis tantum Patribus dissentientibus.

Lectum est quod sequitur

MONITUM

« Cum in hoc schemate, utpote admodum brevi et plano, discussio specialis a Praesidibus non fuerit proposita per partes, sed istiusmodi discussio facta fuerit de toto simul schemate; id

circo etiam suffragia non super singularum partium textu, sed super integro schemate simul exquirentur. Quoniam vero et Rmis Patribus satis incommodum foret, ob hunc solum actum suffragia ferendi de isto schemate, crastina die rursus huc accedere, et emendationes, hodie acceptatae, paucae levesque sint suis locis facillime inserendae, ideo nunc statim procedemus ad exquirenda suffragia de integro schemate, sicut §. 14 Decreti die 20 Februarii praescribitur. Haec autem suffragia oretenus edentur per verba, ***Placet,*** aut ***non Placet,*** vel ut alias factum est, per verba ***Placet iuxta modum,*** tradendo simul in scripto ***modum,*** sive conditionem, quam singuli forte desiderant. Si quis vero hunc ***modum*** non statim exprimere, et scripto tradere potest; quoniam non praevidit hunc actum suffragia ferendi de integro schemate in hodierna Congregatione locum habere, is cum de suffragio interrogantur interim dicere poterit, ***placet iuxta modum,*** ipsum autem ***modum*** in folio scriptum intra proximum biduum Secretario mittere debet. Itaque nunc exquirentur suffragia singulorum Patrum more solito, et qui approbant integrum schema de Parvo Catechismo cum emendationibus hodie admissis id significabunt per verbum ***placet.))***

Appellatis ex ambone per R. D. Subsecretarium nominibus Cardinalium, et Patribus per suos titulos, latisque ab iis suffragiis, horum computatio facta est, atque inde relatio quae sequitur lecta est.

« Notum vobis facimus, quod e 591 praesentibus Patribus, suffragia dederunt per verbum ***placet*** 491, deinde per verba, ***non placet*** 56, et per verba ***placet iuxta modum*** 44, quorum proinde conveniens ratio habebitur.»

Nunciatus est obitus Rmi D. ioannis Devoucoux Ep. Ebroicensis, iam ab aliquo tempore ob infirmitatem reversi in suam dioecesim, eiusque anima Patrum suffragiis commendata.

Monitum inde lectum est de proxima Congr. gen. indicenda per folium typis impressum, in quo pariter iudicaretur, quid in ea agendum. Est autem huius tenoris:

MONITUM

« Mittitur huic folio adiectum schema Constitutionis dogmaticae primae ***de Ecclesia Christi*** reformatum iuxta observatio-

nes Patrum in scripto missas, una cum Relatione ad ipsum pertinente.

«Proxima Congregatio generalis habebitur Feria VI huius hebdomadae, die 13 currentis mensis Maii, in qua fient duae relationes. Prior versabitur circa conditiones a nonnullis Rmis Patribus nuper in actu ferendi suffragia super schema ***de Parvo Catechismo*** adiectas suffragio suo, quae typis impressae una cum schemate ***de Parvo Catechismo*** iuxta emendationes a Patribus admissas novissime adaptato quamprimum distribuentur. Altera autem pertractabit Constitutionem dogmaticam primam ***de Ecclesia Christi,*** quae nunc distribuitur.

» In prima dein Congregatione generali, quae hanc sequetur, fiet discussio generalis de schemate huius Constitutionis dogmaticae primae ***de Ecclesia Christi;*** et Rmi Patres, qui de hoc schemate loqui voluerint, poterunt interim suum disserendi propositum modo solito significare, qua tamen in re denuo monentur, ut rationem agendi, ***n. 7 et S Decreti diei*** 20 ***Februarii huius anni,*** praescriptam accurate sequantur.

» E Secretaria Concilii Vaticani die 9 Maii 1870.»

IOSEPHUS EP. S. HIPPOLYTI
Secretar. Concilii.

Die **13** ***Maii, Feria VI, habita est Congregatio*** **50*****, atque lecta est relatio quae sequitur a Iudicibus Excusationum exhibita:***

« Aliquot Concilii Patres ex gravibus causis veniam a Concilio discedendi petierunt: Petrus Flavianus Ma tati Ep. Iezirensis rit. syr. ob continuam infirmitatem. - Ioannes Boset Epis. Emeri tensis ob necessitatem gravem suae dioecesis et assiduam infirmitatem - Thomas Furlong Episc. Fernensis in Hibernia, ob graviorem infirmitatem e multo tempore contractam - Io. Huerta Ep. Puniensis in Peruvia, ob adversam valetudinem et gravissimam ecclesiae suae necessitatem nuper exortam - Guill. Lanigan Ep. Gulbornensis in Australia, propter gravissimas dioecesis suae recenter erectae necessitates - Petrus Apelian Arch. Marascensis - Melchior Nasarian Arch. Mardensis - Io. Ghiureghian Ep. Trapezuntinus Armenorum, propter periculum animarum et spirituales necessitates fidelium in suis dioecesibus-Silvester Guevara Arch. S. Iacob' de Benezuela, ob graviorem infirmitatem,

» iudices Excusationum allegatas discedendi causas satis fundatas atque probatas agnoverunt, atque praedictorum Episcoporum petitionem exaudiendam suaserunt.»

Patres surgendo assensum manifestant.

Emus primus Praeses haec edixit:

« Audienda est nunc relatio de conditionibus a nonnullis Rmis PP. in ferendis suffragiis super schemate ***de Parvo Catechismo*** adiectis, quae typis impressae iam distributae sunt. ***(Missae, namque fuerant domum una cum schemate de Parvo Catechismo iuxta emendationes admissas a Cong. gen. reformato).*** Hanc autem relationem nomine Deputationis pro rebus disciplinae ecclesiastn eae faciet Rmus D. Stephanus Marilley Ep. Lausanensis et Genevensis.»

Facta relatione, statim Emus primus Praeses subdidit:

« Absoluta hac materia, procedamus ad tractandum schema Constitutionis Dogmaticae Primae ***de Ecclesia Christi*** Rmorum PP. examini propositae ***(missum namque fuerat domum una cum Relatione de Observationibus super hac re iam scripto propositis),*** initio huius rei praemissa relatione, quam de hoc schemate nomine Deputationis pro rebus fidei viva voce faciet Rmus D. Lud. Pie Ep. Pictaviensis.»

Facta est relatio per integram fere horam.

Die 14 ***Maii, Sabbato, habita est Congregatio gen.*** 51; ***lectum est quod sequitur***

MONITUM

« Antequam discussionis initium fiat in memoriam revocare iuvabit Monitum iam alias datum, ne scilicet, signa vel approbationis vel improbationis in locis vel actionibus profanis usitata, ullo modo edantur, utpote quae huic sacro loco et coetui minime conveniunt.»

Inchoata est discussio generalis super integro schemate Constitutionis dogmaticae primae de Ecclesia Christi, ***et locuti sunt: Emus .Card. Constantinus Patrizi Ep. Portuensis et S. Rufinae-Ios. Sani' Alemany Arch. S. Francisci - Al. Piatoli Arch. Messanensis-Ios. Dusmet Arch. Catanensis - Fran. Victor Rivel Divio-***

nensis - Io. Ranolder Vesprimiensis - Bernardus Conde y Corral Zamorensis in Hispania - Petrus Celesia Pactensis.

Nuntiatum est, Summum Pontificem, proxima Feria II hora 10 *matutina, facturum distributionem praemiorum pro Expositione romana in ecclesia S. Mariae Angelorum, et moniti sunt Rmi PP. ut qui voluerint illuc accederent in habitu Rraelatitio et ingrederentur per portam monasterii.*

Die 17 *Maii, Feria III, habita est Congregatio gen.* 52; *distributus est catalogus omnium RR. PP., quibus ius aut privilegium est sedendi in concilio oecumenico Vaticano* (1). *Lecta sunt nomina trigintaquinque Patrum, qui de schemate generatim spectato adhuc veniam loquendi petierunt.*

Locuti autem sunt: Victor Dechamps Arch. Mechliniensis Primas Belgii, unus ex PP. Deputationis pro rebus fidei, ut responderet Oratorum praecedentium difficultatibus et animadversionibus -Aug. David Ep. Briocensis - Io. Bapt. Greith S. Galli-los. Hefele Rottemburgensis.

Nuntiatus est obitus Rmi P. Francisci de Cardoso Ep. Olindensis in Brasilia, eiusque anima Patrum suffragiis commendata.

Die 18 *Maii, Feria IV, habita est Congregatio gen.* 58, *atque lecta sunt nomina unius et viginti Patrum qui de schemate generatim spectato adhuc veniam loquendi petierunt.*

Locuti sunt: Emmanuel Garcia Gil Arch Caesaraugustanus, unus e Deputatione, ut responderet propositis difficultatibus et animadversionibus praecedentium oratorum-Emus Card. Frid. Schwarzerberg Arch. Pragensis - Emus Card. Fr. Donnet Arch. Burdigalensis - Emus Card. los. Othm. Rauscher Arch. Vindobonensis per Ep. Rottemburgensem, qui eius orationem legit.

Die 19 *Maii, Feria V, habita est Congregatio gener.* 54, *lecta sunt nomina sex Patrum, qui de schemate generatim spedato adhuc veniam loquendi petierunt.*

(1) Dedimus eiusmodi catalogum Lectoribus nostris in *fol. V p. 515 et seqq. Est* catalogus, ut ibi diximus, prae ceteris emendatio!". Nonnullos minoris momenti errores vel nonnullas variationes quae contigerunt antequam illum evulgaremus, quoad valuimus, correximus. Est dispositus iuxta ordinem dignitatis et promotionis cum numeris, qui respondent sedi unicuique Patrum adsignatae in aula Concilii. Unaquaeque enim sedes in aula Concilii inscriptum habet pro prium numerum, qui non vadat; sedes numerata vacua manet, si Pater Romam non convenerit, vel discesserit.

Locuti sunt: Emus Card. Paulus Gullen, Arch. Dublinensis, qui etiam difficultatibus in duabus praecedentibus Congregationibus propositis respondit - Emus Card. lo. lgn. Moreno Arch. Vailisoletamis - Greg, lussef Patriarc. Antiochenus rit. gr. melcha.

Die 20 *Maii, Feria VI, habita est Congregatio gen.* 55; *lecta sunt decem nomina Patrum, qui de schemate generatim spectato adhuc veniam loquendi petierunt.*

Loquuti sunt: lo. Simor Arch. Strigoniensis, Primas Hungariae -loa. Mac Hale Arch. Tuamensis- Patritius Leahy Arch. Casseliensis, qui ad loquendum vocatus, abstinuit - Spiridion Maddalena Arch. Corcyrensis - Georgius Darboy Arch. Parisiensis.

Die 21 *Maii, Sabbato, habita est Congregatio gen.* 56: *lecta stint nomina septem Patrum, qui de schemate in genere adhuc veniam loquendi petierunt.*

Locuti sunt: Patritius Leahy Arch. Casseliensis, e Deputatione ut responderet aliquibus animadversionibus - Andreas Raess Argentinensis - Petrus Trucchi Foroliviensis - Fr. Petagna Castri Maris.

Die 23 *Maii, Feria II, habita est Congregatio gen.* 57; *lecta sunt octo nomina Patrum, qui de èchemate in genere adhuc loquendi veniam petierunt.*

Locuti sunt: Ant. Hassun Patriarc. Ciliciensis Armenorum, e Deputatione, ut responderet quibusdam animadversionibus - Guill. de Ketteler Moguntinus - Ant Cousseau Engolismensis per Carolum Fillion Cenomanensem, qui eius scriptum legit - lac. Ginoulhiac Gratianopolitanus.

Die 24 *Maii, Feria III, habita est Congregatio gen.* 58; *lecta est relatio, quae sequitur, a Iudicibus Excusationum exhibita.*

« Aliquot Concilii Patres ex gravibus causis veniam a Concilio discedendi petierunt, scilicet: los. Laroque, Ep. S. Hyacinthi in stat. foed. Americae septentrionalis, propter graves necessitates suae dioecesis recenter erectae - Dionysius Scelhot Archiep. Ateppensis rit. syr. ob suam infirmitatem et gravem ecclesiae suae necessitatem - Petrus Tilchian Ep. Brusensis rit. arm. ob grave periculum animarum in sua dioecesi nuper exortum - Lud. Le Flèche, Ep. Anthedonensis, ob mortem Episcopi Trifluvianensis , cuius Dioecesi ipse tamquam Coadiutor providere debet - loa. Pinchón Ep. Polemoniensis, ob gravissimas necessitutes et persecutiones in Vicariatu sibi commisso (in Sinis) exortas «

Laur. Shíel Ep. Adelaidopolitanus, ob diuturnam infirmitatem - Ioa. Doney Ep. Montis Albani, ob crescentem infirmitatem, qua iam diutius laborat.

» Iudices Excusationum allegatas discedendi causas satis fundatas etc.»

Patres surgendo assensum manifestant.

Lecta sunt nomina quatuor Patrum qui de schemate in genere adhuc veniam loquendi petierunt.

Locuti sunt: Petrus De Preux Ep Sedunensis, e Deputatione, ut responderet aliquibus animadversionibus - Ios. Caixal y Estrade Urgellensis - Ios. Salas SS. Conceptionis de Chile - Petrus Rota Guastallensis.

Die 25 ***Maii, Feria IV, habita est Congregatio gen.*** 59; ***lecta sunt tria nomina Patrum, qui de schemate in genere adhuc veniam loquendi petierunt.***

Locuti sunt: Eduardus Manning Arch. Westmonasteriensis, e Deputatione, ut responderet aliquibus difficultatibus - Io. Mae Evilly Galviensis - Guill. Clifford Cliftoniensis.

Die 28 ***Maii, Sabbato, habita est Congregatio gen.*** 60; ***de schemate in genere adhuc unus veniam loquendi petiit.***

Locuti sunt: ignatius De Seneslrey Ep. Ratisbonensis, e Deputatione, ut responderet aliquibus animadversionibus-(Petrus Geraud de Langalerie Bellicensis, ei Arrnandus Maupoint S. Dionysii Reunionis, qui iam veniam loquendi obtinuerant, renuntiarunt, ut hac ratione, quantum ex se desideratae brevitati discussionis consulerent) - Aug. Verot S. Augustini - Alexander Bonnaz Csanadiensis et Temesvariensis - Io. Bravar d Constantiensis - Ios. Papp - Szilàgyi Magno Varadiensis rit. rum.

Moniti sunt Patres ab Emo primo Praeside: « Congregationes generales, quae hactenus inceperant hora nona matutina, deinceps incepturas esse hora octava cum dimidio.»

Die 30 ***Maii, Feria II, habita est Congregatio gen.*** 61; ***locuti sunt Patres: Io. Spalding Arch. Baltimorensis e Deputatione, ut responderet aliquibus difficultatibus - Petrus Le Breton Aniciensis - Eug. Lachat Basileensis - Iulius Lenti Nepesinus et Sutrinus - Laur. Gastaldi Salutiarum - Felix De las Cases Constantinianus et Hipponensis - Ephraem Garrelon Nemesinus.***

Die* 31 *Maii, Feria HI, habita est Congregatio gen* 62, *lectu est relatio, quae sequitur, exhibita a Iudicibus excusationum:

« Kmus D. Iosephus Petrus Baltes Episc. Altonensis in stat. ioed. Americae Septentrionalis mense Septembri anni transacti ad Episcopatum promotus in dioecesi recenter erecta preces exhibuit, ut sibi remittatur obligatio Concilium Vaticanum adeundi , quoniam ipse novus Episcopus in dioecesi recentissime constituta plurimis huius dioecesis necessitatibus atque negotiis gravissimis impeditus est ab hoc longinquo itinere. Iudices vero Excusationum eas absentiae suae causas sufficientes et satis probatas censuerunt.»

Patres surgendo assensum manifestant. Tum lecta est haec alia relatio.

« Aliquot Concilii huius Patres ex gravibus causis veniam a Concilio discedendi petierunt absque obligatione redeundi, scilicet Rmi Domini: Modestus Demers E p Vancouveriensis in stat. foed. Am. Sept., qui iam in itinere ad hoc Concilium gravi morbo correptus per plures menses decubuit in terra peregrina et nunc denuo morbo affectus est - Edmundus Guierry Ep. Danabensis, qui nuperrime nominatus Vicarius Apostolicus in Chinabro, missione iam fere a duobus annis orbata, eidem tanto magis providere debet, quod nunc etiam persecutiones infidelium contra novos christianos insurgunt - Io. Kennessy Ep. Dubuquensis in stat. foed. Am. Sept. propter summam Sacerdotum penuriam in amplissima dioecesi, cui quam citissime occurrendum, quum, ipso mense Iunio, fundata spes adsit operarios omnino necessarios inveniendi.

» Iudices Excusationum, officio suo functi, re diligenter examinata ac mature perpensa, satis fundatas atque probatas causas agnoverunt etc.»

Patres surgendo assensum manifestant.

Locuti deinde sunt: Andreas Schaepman Arch. Ultraiectensis, e Deputatione, ut responderet aliquibus difficultatibus - Leopoldus Zelli, O. S B. Abbas Nullius ***S. Pauli de Urbe (qui veniae loquendi obtentae renunciavit) - los. Valerga Patriarc. Hierosolymitanus rit. lat. - Ant. Claret y Clara Arch. Traianopolilanus - lo. Bapt. Purcell Arch. Cincinnatensis - Thomas Connolly Arch. Alifaxiensis.***

Nuntiatus est obitus loa. Odin Arch. Novae Aureliae, aut vosi

morbum diuturnum in patria sua, die festo Ascensionis Domini decessit, eiusque anima precibus Patrum commendata.

Die 2 ***Iunii, Feria V, habita est Congregatio gen.*** 63; ***Emus primus Praeses legit nomina duorum Patrum, qui de schemate in genere veniam loquendi adhuc petierunt.***

Locuti sunt: lo. Vanesa Arch. Fogariensis et Albaiuliensis - Petrus de Dreux Brézé Moulinensis - los. Georgius Strossmayer Bosniensis et Sirmiensis - Lud. Regnaidl Carnutensis - Thomas Salzano Tanensis.

Nunciatus est obitus Rmi D. Thomae Grani Ep. Suthwarcensis in Anglia, qui obiit in hae alma Urbe in Collegio Anglico die 31 ***Maii (quique fertur, e sua dioecesi iam morbo confectus ideo demigrasse, ut Romae potiusquam in haeretica terra animam Deo redderet), eius anima Patrum precibus commendata est.***

Die 3 ***Iunii, Feria Vt, habita est Congregatio gen.*** 64; ***lecta est relatio quae sequitur Iudicum excusationum.***

« Aliquot Concilii Patres ex gravibus causis veniam a Concilio discedendi petierunt, scilicet Rmi Domini: Ignatius Harcus Patriarcha Antiochenus Syrorum ob diuturnum gravissimumque morbum nunc aliquantisper relaxatum, ita ut nunc proficisci valeat - Elias Casetme Ep. Syncellus Patriarchae Syrorum, qui in aetate iam provecta aestivos calores ferre non valet-los. Matar Arch. Aleppensis Maronitarum ob gravissimas controversias et inimicitias internationales durante eius absentia in dioecesi sua exortas, et res gravissimi momenti cum Gubernio Ottomanico proxime ab ipso tractandas - Franc Kerril Ep. Northamtoniensis in Anglia, propter calorem ingravescentem, qui ei semper debilitatem maximam et aegritudinem gravem affert - loa. Zwysen Arch. Ep. Buscoducensis in Hollandia - Michael Deinlein Arch. Bambergensis in Bavaria - lac. Ieancard Ep. Ceramensis; hi tres ob graviores eorundem infirmitates in provecta eorum aetate et aestu insueto magis periculosas.

» Iudices excusationum etc.»

Patres surgendo assensum manifestant.

Locuti sunt: Laur. Gilooly Elphinensis - P aner. Dinkel Augustae Vindelicorum - Michael Domenec Pittsburgensis - Henricus Marat Sinensis.

Horum sermonibus absolutis, lectum est ab Emo primo Praeside et deinde a R. D. Subsecretario monitum quod sequitur.

MONITUM.

Reverendissimi Patres

« Exhibita fuit nobis in scripto postulatio plus quam centum quinquaginta Concilii Patrum, qui persuasum habentes, discussionem super schemate primae Constitutionis de Ecclesia Christi generatim spectatam, esse omni ex parte exhaustam, ac propterea amplius fieri non posse, quin inutilibus repetitionibus tempus perdatur, efflagitarunt, ut iuxta numerum 11 Decreti diei 20 Februarii de fine eidem discussioni imponendo Congregatio Generalis interrogetur. Qua re permoti interrogandos censuimus Rmos Patres, an velint discussionem generalem propositi schematis diutius adhuc continuari nec ne.

» Itaque Rmi Patres, qui desiderant, ut discussioni generali propositi schematis finis imponatur, surgant.»

Surgenlibns Patribus, Emus De Angelis subdidit :

« Longe maior pars surrexit (1). Proinde potestate a SSfño

(1) Quando Congregatio generalis invitatur ad surgendurja in signum propositionis adprobandae vel reprobandae non computantur singillatim Patres, qui surgant, si evidenter appareat, longe maiorem partem eorum surrexisse. In actu, de quo agimus, traditur fere quinquaginta Patres sedentes mansisse, reliquis omnibus magno numero surgentibus. Nec mirum ; namque scimus, plurimos Patres non levi molestia fuisse affectos in audiendis in unaquaque Congregatione per plures horas sermonibus sive pro opportunitate sive contra opportunitatem huius definitionis et similia generalia sive pro sive contra infallibilitatem. Scimus pariter tot tantasque factas esse animadversiones tum scriptis tum sermonibus pro una alteraque parte, ut putandum sit, nihil, quod dici posset, non fuisse sub aliqua forma non dictum aut scriptum; atque ita, ut sermones in ea quae scripta et dicta iam erant redderent.

Perperam autem nonnulli conquesti sunt de hoc Decreto; quasi vero libertas discussionis laesa esset. Hi enim non animadvertebam, tum libertatem synodi laesam fuisse, et quidem gravissime, si contra eiusdem synodi voluntatem, indicantis cessationem discussionis, ipsj loqui potuissent.

Ceterum non est novum, et in ipso Concilio Tridentino exempla habemus, ut post sufficientem disputationem de aliquo doctrinae capite, Patres, intercepta disputatione, iudicarent, an res de qua ageretur satis esset discussa, ita ut deveniri posset ad ferenda suffragia. Sic ex. gr. refert in suis memoriis Bartholomaeus a Martyribus, Àrch. Bracarensis

Domino Nostro, per Decretum diei 20 Februarii nobis facta, utentes, generali discussioni propositi schematis finem imponimus:»

Reliqui Patres, qui de schemate generatim spectato veniam loquendi obtinuerant, hi sunt: lac. Stepischnegg Lavantinus - Thomas Nulty Midensis - Michael Fogarasy Transylvaniensis - loan. Huerta Puniensis - Ant. Fania Potentinus et Marsicensis - Theod. Gravez Namurcensis-Steph. Lipovnizki Magno Varadiehsis rit. lat.-Car. Freppel Andegavensis - Franc. Pedicini Arch. Barensis - Cyrillus Behnam Benni Arch. Mussuliensis rit. syr.-Lud. Haynald Arch. Colocensis et Bacsiensis - Franc. La Croix Baionensis - Richardus Whelan Weelingensis - Henr. Bindi Pistoriensis et Pratensis - Petrus Kenrik Arch. S. Ludovici- Fr. Xav. Apuzzo Arch. Surrentinus-Alexander Franchi Arch. Thessalonicensis - Ioan. Losanna Bugellensis - Emman. Dei Valle Huanucensis - Ioannes Marangò Tenensis et Miconensis - Vincentius Iekelfalusy Albae Regalensis - Philip. Krementz Varmiensis - Michael Heiss Crossensis - Sigism. Covacs Quinque Ecclesiensis - Georgius Errington Archiepiscopus Trapezuntinus - David. Moriarty Kerriensis - Ant. Peitler Vaciensis - Patritius Dorrian Dunensis et Connorensis ~ Stephanus Ramandié EU nensis-Ios. Aggarbati Senogalliensis - Henric. Schmid Abbas Monasterii S. Mariae Einsiedeln in Helvetia - Petrus Doimus Maupas Arch. ladrensis - Ioan. Bapt. Berteaud Tutelensis - lac. Bailles olim Lucionensis - Georgius Butler Limericensis - Car. Colet Lucanensis - Nie. Adames fialicarnassensis - Steph. Pankovics Munkacsiensis rit. ruth. - Fr an. Gros Taranlasiensis- Petrus La Carriere iam Guadalupensis - Thomas Grimley Antigonensis - Hyac. M. Martínez S. Christophori de Havana - Iulius De Ruggero Abbas Ordinarius SS. Trinitatis Cavensis - Lud. Delalle Ruthenensis - Georgius Smiciklas Crisiensis rit. ruthen.- Michael l?aya y Rico Conchensis in Hisp. - Ioan. Landnot Arch. Rhemensis - Emus Card. Caesarius Mathieu Arch. Bisuntinus - Felix Dupanloup Aurelianensis.

et Hispaniae Primas, qui Concilio Iriolentino intererat: «Sexta Sessio cele» brata est die 17 Septembris, in qua » de altissimo Missae sacrificio dictum » est. Displicuit tamen nonnullis Patri» bus, quod poneretur secundus canon » de institutione Sacerdotum per illa » verba: ***noe*** *facite in meara commemo-* » *rationem* eie, quae esto res esset, vi» dereturque probabilis, non tamen vi» debatur sufficienter discussa. Quia ta» men hi paucissimi erant 50 aut 32 cir» citer, et aliis videbatur sufficienter » discussa res et examinata, ideo et defi» nita est.» *Summa Conc. per F'". Barth. a Martyr, edit. Marietti* ***1869 p. 597.***

Lectum est ab Emo Card. De Angelis hoc aliud monitum:

« Rmi Patres. Notum vobis est, quod SSmus L). N. ad implorandam Spiritus Sancti gratiam uberrimam praesenti Concilio et misericordiam caelestem universo mundo hoc Pentecostes tempore solemnem in Basilicis et Ecclesiis Urbis expositionem SSmi Sacramenti cum supplicationibus fieri iusserit. Idem SSmus D. N. vobis, Rmi Patres, significari voluit, quod ipse, comitante sacro Cardinalium Collegio, Feria II post Pentecostem hora VI cum dimidio post meridiem ad Basilicam Vaticanam descensurus est, ut solemnibus precibus et Benedictioni SSmi Sacramenti intersit. Rmi Concilii Patres, qui voluerint huic solemnitati adesse suasque preces cum precibus SSmi I). N. iungere, praedicta hora Basilicam Vaticanam accedentes, occupabunt loca in Capellis Pontificiis ipsis assignari solita, induti habitu Praelatitio, id est, cum Rocchetto et Mantelletta.»

Denique ab eodem Emo Card lectum est hoc aliud quod sequitur

MONITUM

« Proxima Congregatio gener, habebitur Feria II, sequentis hebdomadae hora VIII cum dimidio, in qua fiet discussio specialis do prooemio schematis primae Constitutionis de Ecclesia; et deinceps procedetur ad discussionem specialem primi capitis. Rmi Patres, qui de prooemio vel de singulis capitibus loqui volent, poterunt interim suum nomen dare, ita tamen, ut in petitione sua clare exprimant de qua parte schematis in discussione speciali loqui voluerint, et qui loquetur de altera dicti schematis parte habeat in promptu emendationes, quae, iuxta numerum 7 Decreti diei 20 Februarii, Praesidibus post habitum sermonem scripto exhibendae sunt. Praeterea monemus Rmos Patres, ut loquentes omnes, iuxta normam discussioni praescriptam in citato Decreto numero 10, sedulo inter fines propositi argumenti tam in prooemio, quam in singulis capitibus se cohibeant.»

Die 6 ***Iunii, Feria 11, habita est Congregatio gen.*** 65, ***lecta sunt nomina quinque Patrum, qui de prooemio in specie veniam loquendi petierunt, et statim subiectum est hoc quod sequitur.***

« Ceterum monentur Rmi Patres ut loquentes omnes iuxta normam discussioni praescriptam in Decreto diei 20 Februarii

n. 10 sedulo intra fines propositi argumenti tam in prooemio, quam in singulis capitibus sese cohibeant»

Inde Emus Praeses Antoninus De Luca subdidit:

« Cum Emus ac Rmus D. Caesarius Mathieu Arch. Bisuntinus ***(qui primus erat inter eos, quorum nomina hodie lecta fuerant)*** sibi reservaverit facultatem lequendi, cum ventum fuerit ad specialem discussionem capitis quarti, ascendat nunc ambonem Rmus D. Thaddaeus Amat Montereyensis.»

Post eum locuti sunt: Aug. Verot S Augustini - Valentinus Wiery Gurcensis - Benedictus Thomas Rupellensis. Quibus successive accesserunt : Hyac. M. Martínez S. ***Christophori de Havana - Richardus Whelan Weelingensis - Salvator Magnasco Bqlinensis.***

Declaratum est ab Emo Praeside: clausam esse discussionem prooemii, cum nemo alius veniam loquendi petierit. Nuntiatum item est, emendationes propositas, quamprimum typis impressas distribuendas esse, ut postea de iis s iffragia ferrentur; interim in pro* xima Congregatione gen. habenda die sequente faciendam esse dis* cussionem de cap. primo, de quo unus veniam loquendi petierat, et de capite secundo, de quo veniam loquendi petierant duo Rmi Patres, et tum incipiendum discussionem capitis tertii.

Die 7 Iunii, Feria III habita est Congregatio gen. 66, ei ***locuti sunt de primo capite, Emus Card. Frid. Schwarzenberg Arch. Pragensis - Al. Moreno Ipporegiensis - Victor Dechamps Arch. Mechliniensis, ut responderet difficultatibus a duobus praecedentibus oratoribus propositis - Petrus M. Ferré Casalensis - Salvat. Magnasco Bolinensis.***

Declarata est ab Emo Card. De Luca clausa discussio primi Capitis. Et tum locuti sunt de secundo capite Beneventus Monzón y Martins Arch. Granatensis-Al. Filippi Aquilanus - Theod. Amat Montereyensis et Angelorum.

Declarata est clausa discussio secundi capitis, et indicta est discussio capitis tertii pro Feria V sequente.

Die 9 ***Iunii, Feria V, habita est Congregatio gen.*** 67; ***locuti sunt de capite tertio Emus Card. los. Olhm. Rauscher Arch. Vindobonensis - Victor Aug. Dechamps Arch. Mechliniensis - lulianus Despfez Arch. Tolosanus - Cyrillus Behnam Benni Arch. Mussuliensis Syrorum.***

Distributae sunt emendationes propositae super prooemio schematis primae Constitutionis dogmaticae de Ecclesia.

Prosecuti sunt Patrum sermones et locuti sunt: Ioan. Franc. Landriot Arch. Rhemensis - (Felix Dupanloup Aurelianensis, qui veniam loquendi petierat, non aderat) - Thaddaeus Amat Montereyensis et Angelorum.

Die 10 *Iunii, Feria VI, habita est Congregatio gen.* 68, *sex alii Patres nomen ad loquendum dederunt.*

Locuti sunt: Felix Dupanloup Aurelianensis - los. Hipp. Salas SSmae Conceptionis de Chile - (Nie. Pace Amerinus abstinuit) - loa. Petrus Sola Nicensis- Aug. Verot S. Augustini.

Distributae -sunt emendationes propositae super capite primo et secundo.

Locuti deinde sunt: Aug. David Briocensis - Panthaleon Monserrat y Navarro Barcinonensis.

Die 1 *i Iunii, Sabbato, habita est Congregatio gen.* 69; *lecta est relatio, quae sequitur, a Iudicibus Excusationum exhibita:*

« Aliquot Concilii Patres ex gravissimis causis veniam a Concilio discedendi petierunt, scilicet Rmi £)D. Ioan. Marcellus Touvier Ep. Olenensis-Franc. Raynaud Epis. Aegensis; uterque ob praesentissima animarum eorum curae commissarum pericula extraordinaria novissime plurimum aucta.

» Iudices Excusationum etc.»

Patres surgendo assensum manifestant.

Alter Pater nomen ad loquendum dedit; atque locuti sunt /**os.** *Papp-Szilagyi Magno Varadiensis rit. rum. - Carolus Place Massiliensis - Laur. Gastaldi Salutiarum - Io. Bapt. Callot Oranensis - Amatus Guilbert Vapincensis-Sal. Magnasco Bolinensis - Leop. Zelli Abbas* S. *Pauli de Urbe.*

Die 13 *Iunii, Feria H, habita est Congregatio gen.* 70, *facta est nomine deputationis relatio de emendationibus propositis circa prooemium, et exposita est sententia Deputationis quoad illas emendationes. Hanc relationem et expositionem fecit Rmus D. Patritius Leahy Arch. Casseliensis.*

Tum Emus Card. De Angelis, postquam nuntiaverit, progrediendum esse ad suffragia ferenda, monitum quod sequitur legit.

« Monentur autem Rmi Patres, quo melius et securius ea res peragatur, ut singuli, quamdiu actus suffragia ferendi durat, lo-

cum sibi assignatum in aula Concilii occupent, atque insuper, ut qui assensum vel dissensum suum surgendo manifestare voluerint, stantes maneant, donec satis de maiori vel minori suffragiorum numero constet.»

Iam ad propriam habitationem missum fuerat Patribus folium typis impressum continens emendationem propositam a Deputatione ex duabus primis emendationibus in Congregatione generali propositis: lata sunt suffragia, eaque saepe ab omnibus vel fere omnibus Patribus, semper a longe maiori parte, iuxta sensum a Deputatione expressum.

Lecta sunt nomina quinque Patrum qui de tertio capite adhuc veniam loquendi petierunt.

Locuti sunt: (Raphael Ricca Gen. Minimorum vocatus, abstinuit) - Emus Card. Io. Bapt. Pitra - Lud. Regnatili Ep. Carnutensis - Car. Colet Ep. Lucionensis - (Henr. Maret Surensis abstinuitj-Ferd. Ramírez y Vasquez Pacensis - (los. Foulon Nanceyensis et Tullensis abstinuit)-(Ludov. Haynald Arch. Colocensis abstinuit) - (Greg. Iussef Patr. Anlioch. Melch. non aderat) - Petrus Dreux Bréxé Moulinensis - (Io. P. Bravard Constantiensis) - (Salv. Aug. De Martis Galtellinensis et forensis) - (Phil. Krementz Varmiensis).

Quum praeter reliquos etiam isti postremi Oratores vel non adessent, vel non essent parati, Emus Praeses veniam loquendi dedit los. Caixal y Estrade Urgellensi.

Die **14** *Iunii, Feria III, habita est Congregatio gen.* **71**, *duo alii accesserunt oratores.*

Locuti sunt: Lud. Haynald Archiep. Colocensis et Bacsiensis - Greg. Iussef Patriarc. Antiochenus Melchitarum - lo. Petrus Bravard Constantiensis - Salv. Ang. De Martis Galtellinensis et JSorensis - Philip. Krementz Varmiensis - Hi omnes die praecedente loqui debuissent. Tum locuti sunt alii Patres: Ioan. Vanesa Arch. Fogarasiensis et Albae Iuliensis rit. gr. rum. - Car. Freppel Andegavensis.

Declarata est ab Emo Praeside clausa discussio de tertio capite, et indicatum, quid agendum in proxima Congregatione gen. ac denique lectum est monitum quod sequitur.

« Cum in hesterna Congregatione plures e Rmis Patribus, qui veniam loquendi obtinuerant, quum in suo ordine vocarentur ad loquendum non essent praesentes, quod et per se parum con

veniens est et bonum ordinem perturbat; idcirco monentur Rmi Patres, quod si quis deinceps, impetrata loquendi venia, in suo ordine vocatus praesens non fuerit, is ipso facto veniae obtentae renuntiasse censebitur.»

Die 15 ***Iunii, Feria IV, habita est Congregatio generalis*** 72, ***Rmus D. Bartholomaeus D'Avanzo Epis. Calvensis et Theanensis nomine Deputationis retulit de emendationibus propositis super primo et secundo capite, exponens quid ipsa Deputatio de his sentiret.***

Postea revocatum est in Patrum memoriam monitum alias factum de occupando loco unicuique assignato et de stando donec satis constet de suffragiorum numero; et deinde processum est ad suffragia ferenda; eaque lata sunt fere semper ab omnibus Patribus iuxta id quod Deputatio sentiret.

Lecta sunt Patrum nomina, qui de capite quarto veniam loquendi petierunt. Hi autem fuerunt septuaginta quinque, ex quibus quum unus praetermissas fuisset, Rmus D. Secretarius post absolutam a Subsecretario nominum lectionem, ipsi hoc monitum tradidit legendum.

« Archiepiscopus ladrensis reclamavit, durante ipsa nominum lectione, quod ipse nomen dederit suo tempore: quod verum est. Cum ex errore eius nomen fuit praetermissum, in suo ordine inseretur.»

Locuti sunt de quarto capite Emus Card. Caesareus Mathieu Arch. Bisuntinus - Emus Card. los. O. Rauscher Archiep. Vindobonensis.

Die 18 ***Iunii, Sabbato, habita est Congregatio gen.*** 73, ***atque lecta sunt nomina duorum et triginta Patrum, qui de capite quarto adhuc veniam loquendi petierunt.***

Locuti sunt Emus Card. lo. Bapt. Pitra per Petrum Geraud de Langalerie Epis. Bellicensem, qui eim sermonem legit - E'ïïus Card. Philippus M. Guidi Arch. Bononiensis - Emus Card. Henr. M. de Bonnechose Arch. Rothomagensis - Emus Card. Paulus Gullen Arch. Dublinensis.

Die 20 ***Iunii, Feria II, habita est Congregatio gen.*** 74, ***lecta sunt nomina septem Patrum, qui de quarto capite adhuc veniam loquendi petierunt.***

Locuti sunt Barth. D'Avanzo Epis. Calvensis et Theanensis, e Deputatione, ut responderet aliquibus observationibus ac praecipue

ut conceptum infallibilitatis pontificiae explicar et - Paulus Ballerini Patriarcha Alexandrinus rit. lat. - los. Valerga Patriarcha Hierosolymitanus rit. lat. - Ioannes Mac Hale Arch. Tuamensis - los. Alemany Arch. S. Francisci. Lectum est hoc quod sequitur

MONITUM

« Necessarium visum est, Rmos Patres, qui in speciali discussione capitis quarti veniam loquendi petierunt, monere, ne redeant ad generalem discussionem loquendo iterum de opportunitate vel necessitate huius definitionis, sive de iis quae ad capita priora huius schematis pertinent. Praeterea sedulo curent, ut argumento huius capitis quarti presse inhaereant, caventes, ne ullo modo extra rem vagentur, omnesque brevitati, adeo ab omnibus desideratae, studeant.»

Die 22 ***Iunii, Feria IV, habita est Congregatio gen.*** 75, ***lecta sunt nomina duorum Patrum, qui de capite quarto adhuc veniam loquendi petierunt, et lectum est hoc quod sequitur monitum:***

« Repetitur monitum iam lectum in fine ultimae Congregationis generalis, eo quod plures Patres ex eadem iam discesserant. ***(Lectum est monitum modo allatum).***

» Renovamus quoque monitum alias factum, ut Rmi Patres abstineant a quibusvis signis vel adprobationis vel improbationis eorum, quae a singulis oratoribus proferuntur.»

Locuti sunt Patres Frane. Apuzzo Archiep. Surrentinus- Vino. Spaccapietra Arch. Smymensis - Georgius Errington Arch. Trapezuntinus- Salv. Nobili Vitelleschi Arch. Ep. Auximanus et Cingidanus -Th. Connoly Arch. Alifaxiensis - Car. De la Tour d'Auvergne Arch. Bituricensis - Benventus 'Monzón y Martins Archiep. Granatensis.

Die 23 ***Iunii, Feria V, habita est Congregatio gen.*** 76, ***novus orator nuntiatus est.***

Locuti sunt Petrus Domnius Maupas Archiep. ladrensis - loa. Franc. Landnot Arch. Rhemensis - Anast. Rodrigo Yusto Archiep. Burgensis - loa. Lynch Arch. Torontinus - Ioannes Losanna Episc, Bugellensis.

Die 25 ***Iunii, Sabbato, habita est Congregatio gen.*** 77, ***duo novi oratores accesserunt, quorum nomina lecta sunt ab Eminentissimo Card. De Luca.***

Locuti sunt: (Fr. Lacroix Baiocensis abstinuit) - Rich. Whelan Weelingensis - (Guill. Ullathorne Birmingamiensis abstinuit) - Barth. Legat Tergestinus- Fel. Cantimorri Parmensis - Guill. Keane Gloynensis - Guill. de Ketteler Magutinus - Petrus La Carrière olim Guadalupensi s.

Die 28 ***Iunii, Feria III, habita est Congregatio gen.*** 78, ***locuti suni: (Barth. D'Avanzo Calvensis et Theanensis abstinuit) - Iesualdus Vitali Ferentinus- lac. Ginoulhiac Arch. Lugdunensis (promotus in hesterno Consistorio ab Episcopatu Gratianopolitano) - los. Caixal y Estrade Urgellensis.***

Lectum est ab Emo Card. De Angelis et deinde a Subsecretario monitum quod sequitur.

« Distribuuntur nunc Rmis Patribus exemplaria prooemii nec non capitis primi et secundi Constitutionis Primae dogmaticae de Ecclesia Christi a Deputatione pro rebus fidei adaptati iuxta emendationes ab ipsa Congregatione gen. admissas.

» Porro de hoc textu prooemi, nec non de textu capitis primi et secundi suffragia Patrum exquirentur in Congregatione generali Sabbati huius hebdomadae, ita quidem ut primum suffragia sint ferenda de textu prooemii, tum vero de textu capitis primi ac denique de textu capitis secundi.»

Facta distributione, Patres ab Emo Praeside moniti sunt, sequente Feria V non haberi Capellam papalem apud S. Paulum. Et prosecuti sunt sermones.

Locuti autem sunt: Thaddaeus Amat Montereyensis et Angelorum - David Moriarly Kerriensis et Aghadoniensis.

Die 30 ***Iunii, Feria V, habita est Congregatio gen.*** 79, ***lecta est relatio quae sequitur a Iudicibus Excusationum exhibita.***

« Aliquot Concilii Patres ex gravibus causis veniam a Concilio discedendi petierunt, scilicet: Tobias Aun Arch. Berytensis Maron., ob habitualem graviorem infirmitatem senio auctam - Basilius Nasser Ep. Heliopolitanus Melchitarum, ob gravem infirmitatem iam a multo tempore contractam - Petrus Wilmer Ep. Hariemensis ob continuam infirmitatem - loa. Purceïl Arch. Cincinnatensis, propter plurimas suae dioecesis necessitates nuper-

rime valde auctas, et malam valetudinem, qua Romae continuo laboravit - Raph. Popow Episc. Bulgarorum, ob grave periculum animarum ex conatibus assiduis schismaticorum imminens - loa. Conroy Ep. Albanensis in stat. foed. Amer. Septentr, ob gravissimas necessitates, quae eius praesentiam in dioecesi quam instantissime requirunt.

» Iudices Excusationum etc »

Patres surgendo assensum manifestant.

Locuti sunt: Renatus Sergent Epis. Corisopitensis - Dom. Zelo Aver sanus - (Petrus Rota Guastallensis renuntiavit) - Conr. Martin Paderbornensis.

Distributae sunt emendationes propositae ad caput tertium. Deinde locuti sunt: Petrus M. Ferre Gasalensis - Armandus Maupoint S. Dionysii Reunionis - (Bernandus Conde y Corral Zamorensis renuntiavit) - Aug. Verot S. Augustini.

Nuntiatum est Patribus, obiisse in sua dioecesi Io. Derry Ep. Clonfertensem in Hibernia, qui iamdiu veniam a Concilio discedendi obtinuerat.

Die 1 ***Iulii, Feria VI, habita est Congregatio gen.*** 80, ***locuti sunt: Michael Paya y Rico Conchensis - (Ioach. Lluch Salmanticensis renuntiavit) - Car. Colet Lucionensis - Henricus Mar et Surensis - Aug. David Briocensis - Nie. Adames Luxemburgensis (translatus in Consistorio diei*** 27 ***Iunii, antea Ep. Halicarhassensis, Vic. Apóstol. Luxemburgi) - (los. Papp Szilagyi Magno Varadiensis rit. rum. renuntiavit) - Gar. loa. Greith Ep. S. Galli.***

Nuntiatum est, quid agendum in proxima Congregatione gen.

Significatum est, initium Congregationum generalium die sequente et deinceps fore hora octava.

Die 2 ***Iulii, Sabbato, habita est Congregatio gen.*** 81: ***rogata et lata sunt suffragia de integro textu reformato, primum prooemii, quod admissum est ab omnibus fere* Patribus; tum primi capitis, quod admissum est ab omnibus, paucissimis (sex vel septem) dissentientibus.***

Locuti sunt: Thomas Nulty Midensis- (loa. Ios. Faiet Brugensis renuntiavit) - Gaspar Mermillod Hebronensis - (Mich. Fogarasy Transylvaniensis renuntiavit) - Guill. Meignan Catalaunensis-Steph. Ramadié Elnensis- Hyac. M. Martínez S. Christophori de Havana^- Fi\ Moreyra Ayacuguensis - los. Aggarbati Senogalliensis - (Fr. Zun-

nui Casula Uxellensis et Terralbensis - Ant. M. Fania Potentinus et Marsicensis renuntiaverunt) - Laur. Gastaldi Salutiarum - (EUg. Galletti Albae Pompeiensis - Ant. Colli Alexandrinus, renuntiaverunt) - (Fel. De las Cases Constantinianus aegrotabat) - (Corn. Mac Cabe Ardagadensis - Raph. Corradi Balneoregiensis renuntiarunt) - (Phil. Krementz Varmiensis non aderat) - (Ephraem Garrelon Nemesinus - Car. Hefele Rottemburgensis renuntiarunt) - Car. Frappel Andegavensis - (Iul. de Ruggero Ab. Ord. SS. Trin. Cavensis - Vinc. landel Magister Gen. O. P. renuntiarunt).

Moniti sunt Rmi Patres ab Emo Card. De Luca proxima Feria HI post relationem exquirenda esse suffragia de emendationibus tertii capitis et canonis a Rmis Patribus propositis.

Die 4 ***Iulii, Feria H, habita est Congregatio gen.*** 82, ***lecta est relatio quae sequitur a Iudicibus Excusationum exhibita:***

« Aliquot Concilii Patres ex gravibus causis veniam a Concilio discedendi petierunt, nimirum: Ignatius Persico Ep. Savanensis ob adversam valetudinem et gravissimas suae dioecesis necessitates.

» Iudices Excusationum etc.»

Patres surgendo assensum manifestant.

Emus Praeses De Luca nuntiavit, veniae obtentae loquendi renuntiasse Rmos Patres, qui sequuntur:

Emus Card. Frid. Schwarzenberg Arch. Pragensis - loa. Simor Arch. Strigoniensis Primas Hungariae - Fr. Blanchet Arch. Oregonopolitanus - Marianus Ricciardi Arch. Reginensis - Al. Franchi Arch. Thessalonicensis - Ioachim Limberti Archiep. Florentinus - Fr. Pedicini Arch. Barensis.»;

Tum ad ambonem vocavit Georgium *Darboy Arch. Parisiensem* ***: sed iste non aderat. Tum Emus Praeses*** *nuntiavit, veniae* ***obtentae renunciasse Ioannem Ghilardi Montis Regalis. Inde vocatus ad ambonem locutus est Fran. Gandolfi Cornetanus et Centumcellensis.***

Postea Emus Praeses significavit veniae obtentae renuntiasse Rmos Patres, qui sequuntur: Felix Dupanloup Aurelianensis - loa. Ranolder Vesprimiensis - Petrus Dreux Bréxé Moulinensis - Franc. Roullet de la Boullerie C ar cassanensis - los. Formisano Nolanus

Vocatus est ad ambonem Guill. Clifford Cliftoniensis, sed renuntiavit

Nuntiatum est, renuntiasse quoque Patres, qui sequuntur: Petrus Sola Niciensis - Lud. Delalle Ruthenensis - Mich. Milella Aprutinus-Ant. Peitler Vaciensis - Patritius Dorian Dunensis et Connorensis-Ioan. Bapt. Ormaechea de Tulancigo-Nic. Dabert Petrocoricensis.

Vocatus est ad ambonem Carolus Place Massiliensis: sed renuntiavit. Renuntiaverat etiam Ans. Fauli Grossetanus - Vocatus est ad ambonem Henricus Bindi Pistoriensis et Pratensis: sed renuntiavit. Renuntiaverat et Leo Meurin Ascalonensis.

Vocatus ad ambonem locutus est Ioan. Fr. Callot Oranensis.

Significatum est, quod renuntiaverant: Salv. Magnasco Bolinensis-Albertus Passeri Ab. gen. Canonicorum Reg. Lateranensium-Germ. Gai Ab. gen. Congregationis Vallis Umbrosae - Aug. Savini Gen. Ord. Carmelitani Vel. Observ. - Lud. Haynald Arch. Colocensis et Bacsiensis - Fran. Victor Rivet Divionensis - Ioan. P. Bravard Constantiensis - Vinc. lekelfalusy Albae Regalensis - Franc. Gros Tarantasiensis - Amatus Guilbert Vapincensis - Theob. Cesari Ab. Gen. Ord. Cisterciensium - Ioan. Mae Evilly Galviensis- Th. Grimley Antigonensis - los. Bovieri Faliscodunensis.

Vocatus ad ambonem Al Moreno Ipporegiensis, renunciavit. Item vocatus ad ambonem los. Georgius Strossmayer Bosniensis et Sirmiensis, renunciavit.

Quum nemo alius veniam loquendi petierit, declaratum est ab Emo Praeside Antonino De Luca, clausam esse discussionem specialem capitis quarti; et ita Congregatio generalis soluta est paulo post horam nonam ante meridiem.

Die 5 *Iulii, Feria III, habita est Congregatio gener.* 83; *atque, nomine Deputationis, relatio de emendationibus propositis ad caput tertium facta est a Rmo D. Friderico M. Zinelli Epis. Tarvisino per duas fere horas.*

Tum suffragia lata sunt circa singulas emendationes, eaque saepe ab omnibus vel fere omnibus, saepe a longe maiori Patrum numero, iuxta emendationes quas Deputatio acceptabat, et iuxta sensum quem acceptabat lata sunt.

Sed quum emendatio idtima quoad canonem III admitteretur iuxta modum *a Deputatione, quae formam canonis paullo a se immutatam, proposuit, Arch. Colocensis et Bacsiensis primum, deinde Arch. Parisiensis latiori voce e suo loco adnotare fecit:* hanc

novam formam canonis non satis notam esse nec fuisse discussioni subiectam.

Tum Emorum Praesidum iussu nuntiatum est a Subsecretario Rmis Patribus: actum suffragia ferendi de hac emendatione differri, et novum canonem typis impressum singulis Patribus missum iri. ***Tum vero suffragia lata sunt de duabus proxime praecedentibus emendationibus, quae ex se exclusae fuissent si haec ultima, de qua diximus, emendatio acceptata esset.***

Nuntiatum est ab Emo Card. De Angelis diem proximae Congregationis generalis significatum iri singulis Patribus: quod postea factum est per hoc quod sequitur

MONITUM

«Proxima Congregatio generalis habebitur Feria II die **11** cur. mensis, hora octava. In ea primum fiet brevis relatio de emendatione **72** capitis tertii, de qua postmodum suffragia Patrum exquirentur. Dein fiet Relatio de emendationibus quarti capitis schematis primae Constitutionis de Ecclesia iam distributis, et exquirentur suffragia Patrum de iisdem emendationibus.

» E Secretaria Concilii Vaticani die **8** Iulii **1870**.»

IOSEPHUS EPISC. S. HIPPOLYTI
Secretar. Concil.

Die **11** ***Iulii, Feria H, habita est Congregatio gen.*** **84**; ***atque Emus primus Praeses legit monitum his verbis:*** « Superest ex ultima Congregatione emendatio **72** in caput tertium proposita, de qua, sicut etiam de canone III ad caput tertium pertinente, iuxta mentem emendationum in Congregationibus generalibus propositarum reformato, typis impresso, Patribusque distributo ***(domi Feria V)*** primum audiendus est relator, nempe Rmus D. Fridericus M. Zinelli Ep. Tarvisinus, ac postea ferenda erunt suffragia Patrum.»

Facta relatione, revocatoque ab Emo Praeside in memoriam Patrum consueto monito de occupando loco unicuique in aula assignato et de stando donec satis constet de suffragiorum numero, lata sunt suffragia de emendatione septuagésima secunda admissa

a Deputatione iuxta modum, ***eaque admissa etiam est a Congregatione generali paucis dissentientibus.***

Postea facta est a Rmo D. Vincentio Gasser Ep. Brixinensi relatio generalis de capite quarto per duas horas et amplius; itemque relatio specialis de primis viginti emendationibus per mediam fere horam. (Emendationes de capite quarto typis traditae missae fuerant domum Feria V, atque Sabbato domum pariter missae fuerant nonnullae emendationes a Deputatione propositae).

Tum revocato in mentem saepe dicto monito, lata sunt suffragia de primis his viginti emendationibus, eaque iuxta sensum a Deputatione expressum, paucis solummodo aliquoties dissentientibus.

Rmus relator Ep. Brixinensis relationem fecit de aliis emendationibus per horam et amplius.

Demum lata sunt suffragia de his aliis emendationibus iuxta sensum a Deputatione significatum, paucis dissentientibus in nonnullis admittendis vel adiiciendis. Formula definitionis proposita est.

Monitum lectum est ab Emo Praeside et postea a Subsecretario de ferendis proxima Feria IV suffragiis circa textum capitis tertii die sequente distribuendum, et dein capitis quarti, ac demum .canonum: quibus latis, suffragia ferrentur de integro schemate reformato per verba, placet, ***aut*** non placet, ***aut*** iuxta modum.

Die 13 ***Iulii, Feria IV, habita est Congregatio gen.*** 85, ***atque lecta est relatio quae sequitur a Iudicibus excusationum exhibita.***

« Aliquot Concilii Patres ex gravibus causis veniam a Concilio discedendi petierunt, scilicet: Iac. Gibbons Ep. Adramystensis, Vic. Apost, in Carolina Septentrionali, ob gravissimas sui Vicariatus indigentias et maximam Sacerdotum penuriam - Venceslaus Achaval Ep. S. Ioannis de Cuyo in Republica Argentina, pariter ob gravissimas suae dioecesis necessitates et graviorem infirmitatem - Eduardus Fitzgerald Episc. Petriculanus, propter dioecesis suae gravissimas necessitates, praecipue ob Sacerdotum penuriam - Michael Domenec Ep. Pittsburgensis in Stat. foed. Am. Sept. propter graves necessitates suae dioecesis-Ioan. Farrel Ep. Hamiltonensis in Canada - Claudius Dubuis Ep - Galvestoniensis in Texas - Al. Dos Santos Ep Fortalexiensis in Brasilia, ob varias et gravissimas necessitates suarum dioecesium, quae omnes tres recentissimo tempore erectae fuerunt-Steph. Fennelly Ep. Thermopylensis Vic. Ap. in Madras, propter gravissimas necessitates

sui Vicariatus, quae ipsius praesentiam omnino necessariam reddunt - Patritius Moran Ep. Dunedinensis in Nova Zelandia, pariter propter gravissimas suae dioecesis nuper erectae indigentiis - Ferdinandus Dupont Ep. Azotensis, Vic. Apost, in Siam, propter graves tribulationes, quibus fideles suae curae commissi ex parte Gubernii obnoxii sunt-Thomas Power Ep. S. Ioannis in Insula Terrae Novae - Henricus Carfagnini Ep. Portus Gratiae in eadem insula, uterque ob gravissimas necessitates suarum dioecesium, quae recentissimo tempore erectae fuerunt-Christophorus Boniean Ep. Medensis Vic. Ap. Iafnensis in India, propter varias sui Vicariatus necessitates - Th. Grimley Ep. Antigonensis Vic. Ap. Promontorii Bonae Spei, similiter ob graves necessitates sui Vicariatus-Petrus Dufal Ep. Delconensis Vic. Ap. Bengalae Orientalis, tum ob graves necessitates sui Vicariatus, quam ob aegritudinem qua laborat-Car. Poirier Ep. Rosensis in insula Dominica, quia dioecesis ipsi concredita recentissimo tempore erecta Pastore plurimum indiget-Et ex eadem causa etiam Eug. Guigues Ep. Owtawiensis in Canada - Theod. Koiungi Ep. Sydoniensis Melchitarum ob varias suae dioecesis necessitates.

» Iudices Excusationum etc.»

Putres surgendo assensum manifestant.

Lectum est ab Emo Praeside quod sequitur

MONITUM

« In hodierna Congregatione generali primum exquirentur suffragia Patrum de integro textu capitis tertii schematis propositi, qui iuxta emendationes a Congregatione generali admissas adaptatus, atque Patribus distributus est, cum canone eidem subiuncto; postea autem de integro textu capitis quarti pariter adaptato et distributo itidem cum canone eidem subiuncto- Quoniam vero de canone I et II, qui ad caput primum et secundum nostri schematis pertinent suffragia Patrum nondum lata fuere, idcirco praemittendus est actus ferendi suffragia de hisce duobus canonibus, qui nullam subiere mutationem et leguntur i m prompti in folio distributo, quod continet caput tertium et quartum.

(Missum fuerat domum cum alio folio continente integram Constitutionem reformatam).

» Itaque Rmi Patres qui assentiuntur hisce duobus canonibus, surgant.

Fere omnes surrexerunt.

» Iamvero qui hisce contradicunt, surgant.»

Nemo surrexit.

Hic ab Emo Praeside, facta prius declaratione, hos duos canones a Congregatione generali fuisse admissos, propositus est suffragiis Patrum integer textus capitis tertii novissime adaptati et canon eidem subiunctus.

Admissus est a Congregatione generali, quinquaginta circiter Patribus dissentientibus.

Tum suffragiis subiectus est textus capitis quarti novissime adaptatas cum canone eidem subiuncto.

Admissus est a Congregatione generali, quinquaginta vel paulo pluribus Patribus dissentientibus.

Lectum est ab Emo Praeside hoc quod sequitur

MONITUM

« Postquam tum super emendationibus, tum super singularum partium textu suffragia Patrum per actum surgendi lata fuerint, superest, ut iuxta numerum 14 Decreti diei 20 Februarii de toto schemate Patrum sententiae rogentur. Haec autem suffragia oretenus edentur per verba ***placet*** aut ***non placet,*** vel, ut alias factum est, per verba, ***placet iuxta modum,*** tradendo simul in scripto ***modum*** seu conditionem quam singuli forte desiderant.

» Itaque nunc R. D. Subsecretarius ad exquirenda suffragia singulorum Patrum ex ambone leget nomina et rogabit singulos suo nomine, et singuli voce clara et intelligibili suffragium suum edent.»

Latis suffragiis factaque computatione lecta est relatio quae sequitur.

Rmi Patres

« Notum vobis facimus, quod iuxta computationem suffragiorum, suffragia dederunt Patres 601. Ex his 451 dederunt suffira-

ginn» per verbum ***placet,*** alii 88 per verba ***non placet,*** et 62 per verba, ***placet iuxta modum.»***

Inde et hoc alterum monitum lectum est: « Suffragia quae data fuerunt ***iuxta modum*** in scripto, typis imprimentur ac Patribus distribuentur, ut in proxima Congregatione generali congrua eorum ratio haberi possit.

» Dies proximae Congregationis significabitur Rmis Patribus.»

Demum nunciatum est, obiisse duos e Concilii Patribus, Rmum D. Georgium Sthal Episc. Herbipolensem et R. D. Dominicum a S. Iosepho Praepositum generalem Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, eorumque animae suffragiis Rmorum Patrum commendatae sunt; atque clausa est Congregatio.

Significata est dies subsequentis Congregationis per monitum domum missum, hisce verbis:

MONITUM.

« Proxima Congregatio generalis habebitur Sabbato, die 16 huius mensis, hora octava. In ea fiet brevis Relatio de exceptionibus, quae suffragiis super integro schemate primae Constitutionis de Ecclesia Christi in ultima Congregatione latis a quibusdam Patribus additae fuerunt, et quae typis impressae huic folio adiectae Reverendissimis Patribus mittuntur.

» E Secretaria Concilii Vaticani die 14 Iulii 1870.»

IOSEPHUS EP. S. HIPPOLYTI
Secretar. Concil.

Die 16 ***Iulii, Sabbato, festo B. M. V. de Monte Carmelo, habita est Congregatio gen.*** 86; ***facta est relatio de exceptionibus scripto exhibitis ab illis Rmis Patribus, qui suffragia dederant*** iuxta modum, ***quae typis impressae domum ad singulos Patres missae fuerant.***

A Rmo D. Bartholomaeo D'Avanzo Ep. Calvensi et Theanensi facta est relatio de exceptionibus ad prooemium et ad caput primum et secundum.

A Rmo D. Vincentio Gasser Ep. Brixinensi facta est relatio de exceptionibus ad caput quartum, seu potius de quatuor propositionibus, idest de textu S. Augustini; de verbo definit: ***de de fi-***

menda extensione infallibilitatis, et de explicite excludenda in fine definitionis necessitate ***assensus Episcoporum.***

Emus Praeses inde ait:

Rmi Patres

« Iuxta hanc expositionem, nomine Deputationis pro rebus fidei factam, de duobus articulis exquirenda erunt suffragia Patrum, idque per actum surgendi fiet modo solito. R. D. Subsecretarius praeleget articulos de quibus ferenda erunt suffragia.»

R. D. Subsecretarius reiecto primo ex his articulis ab Emo Praeside prolatis, subdidit:

« Rogantur itaque Rmi Patres ut unusquisque suum occupet locum.

» Proponitur suffragiis Patrum emendatio, quae venit sub num. 76, quae sic se habet: Optatur ut paragraphus secunda quarti capitis terminaretur per verba evangelica: ***Ego rogavi pro te etc.*** omissis quae sequuntur : ***Neque ignorantes ad Romanam Ecdesiam etc.***

» Deputatio de fide hanc emendationem admittit.»

Pro hac admittenda longe maior pars surrexit: pro ea excludenda paucissimi surrexerunt, idest decem vel duodecim.

Declaratum est ab Emo Praeside hanc emendationem fuisse admissam.

R. D. Subsecretarius prosecutus est.

« Proponitur emendatio, quae est sub numero 152 ***(lecta est).*** Haec emendatio admittitur a Deputatione de fide ***iuxta modum.*** Modus autem est, ut haec ultima verba sic legantur: ***Ideoque eiusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse.»***

Ad hanc emendationem acceptandam longe maior pars surrexit: ad eam excludendam longe minor pars surrexit, idest triginta circiter.

Declaratum est ab Emo Praeside, hanc emendationem fuisse admissam a Congregatione generali. Tum idem Praeses subdidit:

« Emendationes admissae suis locis inserentur schemati, quod accuratissime revisum iuxta omnes emendationes admissas singulis RR. Patribus ante sessionem publicam ad propriam habitationem mittetur.»

Inde perrexit.

Rmi Patres

«Distribuuntur nune folia cuiusdam protestationis publice a nobis faciendae pro tuendo honore sacrosancti huius Concilii. »

Distributa sunt: durante distributione, Subsecretarius elata voce ita Rmos Patres monuit:

« Sciant RR. Patres Congregationem non esse absolutam.»

Post distributionem ait ex ambone.

« Nomine Emorum Praesidum legitur praesens Protestatio.» ***Eam statim legit, quae erat tenoris qui sequitur:***

REVERENDISSIMI PATRES

« Ex quo Sacrosancta Synodus Vaticana, opitulante Deo, congregata est, acerrimum statim contra eam bellum exarsit; atque ad venerandam eius auctoritatem penes fidelem populum imminuendam, ac si fieri posset, penitus labefactandam, contumeliose de illa detrahere, eamque putidissimis calumniis oppetere plures scriptores certatim aggressi sunt non modo inter heterodoxos et apertos Crucis Christi inimicos, sed etiam inter eos qui Catholicae Ecclesiae filios sese dictitant, et quod maxime dolendum est, inter ipsos eius sacros ministros.

» Quae in publicis cuiusque idiomatis ephemeridibus, quaeque in libellis, absque auctoris nomine passim editis et furtive distributis, congesta hac de re fuerint probrosa mendacia, omnes apprime norunt, quin nobis necesse sit illa singillatim edicere. Verum inter anonymos istiusmodi libellos duo praesertim extant, gallice conscripti sub titulis: « ***Ce qui se passe au Concile*** et ***La dernière heure du Concile,*** » qui ob suam calumniandi artem, obtrectandique licentiam ceteris palmam praeripuisse videntur. In his enim nedum huius Concilii dignitas ac plena libertas turpissima oppugnantur mendaciis, iuraque Apostolicae Sedis evertuntur; sed ipsa quoque SSmi Dñi Nostri augusta persona gravibus lacessitur iniuriis. Iam vero Nos officii nostri memores, ne silentium nostrum, si diutius protraheretur, sinistre a malevolis hominibus interpretari valeat, contra tot tantasque obtrectationes vocem extollere cogimur, atque in conspectu omnium vestrum, Rmi Patres, protestan ac declarare: falsa omnino esse et calu-

rnniosa quaecumque in praedictis ephemeridibus et libellis effutiuntur, sive in spretum et contumeliam SSmi Dñi Nostri et Apostolicae Sedis, sive in dedecus huius Sacrosanctae Synodi, et contra assertum defectum in illa legitimae libertatis.»

Datum ex Aula Concilii Vaticanii, die 16 Iulii 1870.

PHILIPPUS Card. DE ANGELIS *Praeses*
ANTONINUS Card. DE LUCA *Praeses*
ANDREAS Card. BIZZARRI *Praeses*
ALOISIUS Card. Bino *Praeses*
HANNIBA L Card. C APA L TI *Praeses*

IOSEPHUS EP. S. HIPPOLYTI
Secretar. Concilii.

Absoluta lectione Emus primus Praeses ait:

« Rogamus modo RR. Patres, ut quot huic nostrae protestatio^ ac declarationi tamquam testes veritatis adhaerere intendunt, assensum suum surgendo manifestent.»

Surgentibus Patribus idem Praeses ait: « Longe maior pars surrexit.» *Plures Patres illico subiunxerunl:* omnes, omnes.

Tum lectum est ab Emo primo Praeside et deinde a R. D. Subsecretario hoc monitum.

* Rogamus vos modo, Rmi Patres, ut in testimonium adhaesionis vestrae alterum ex duobus exemplaribus huius protestationis ac declarationis nostrae distributis appositione vestri nominis munire velitis *(plures Patres dixerunt,* libentissime!), illumque Rmo D. Secretario tradere, ut in actis huius Concilii ad perpetuam rei memoriam asservari possit.»

Plures Patres subiunxerunt illico: « Libentissime » « ex toto corde » « etiam cum sanguine » etc.

Lecta inde sunt a R. D. Subsecretario quae sequuntur:

« SSmus Dominus Noster, quamvis hoc Vaticanum Concilium post Sessionem IV continuari velit absque ulla suspensione vel prorogatione, benignissime tamen Rmis Patribus, qui vel ratione negotiorum in sua dioecesi peragendorum, ad tempus ex hac alma Urbe discedere volunt, veniam abeundi generaliter concedit, ita tamen ut discessum suum pro notitia significent in scripto ad Se-

cretarium Concili; misso, nec absentia haec protrahatur ultra Festum S. Martini diei **11** Novembris huius anni.

» Simul etiam omnibus intra hoc temporis spatium pro una vice tantum facultatem elargitus est habendi ordinationem generalem ***extra tempus*** si id pro sua dioecesi necessarium vel opportunum in **Comino** iudicaverint.

» Praeterea sunt aliqui Patres, qui ex gravibus causis veniam a Concilio discedendi petierunt absque obligatione redeundi, de quibus Iudices excusationum suo munere functi iuxta Litteras Apostolicas ***Multiplices inter,*** relationem aliquam exhibuerunt.

» Itaque hanc veniam a Concilio discedendi petierunt: Lud. D'Herbomez Ep. Miletopolitanus Vic. Apost. Columbiae Britannicae, ob gravissimas necessitates Vicariatus suae curae commissi-Thomas Croke Ep. Auckopolitanus in Nova Zelandia, propter innumeras necessitates suae afflietissimae missionis - Thomas Connolly Arch. Alifaxiensis, propter varias et gravissimas suae dioecesis necessitates-Ambrosius Abdu Ep. Mariamnensis Melchitarum, ex eadem causa - Al. De la Place Ep. Hadrianopolitanus, Vic. Ap. Pekini, propter graves persecutiones in suo Vicariatu nuper exortas - Car. Bermundez Ep. Popayanensis in Nova Granata - Armandus Maupoint Ep. S. Dionysii Reunionis - Ignatius Bourget Ep. Marianopolitanus in America, ob graves suarum dioecesium necessitates - Emmanuel Da Silveira Arch. S. Salvatoris in Brasilia et Primas, ob graviorem infirmitatem, qua iam ante accessum ad Concilium laborabat-Bern. Mac Quaid Ep. Reffensis in America, ob plurimas necessitates suae dioecesis - Eugenius Des Fleches Ep. Sinitensis Vic. Ap. in China - Ivo Croc Ep. Laradensis Vic. Apost, in Tunkino - Alexius Canoz Ep. Tamassensis Vic. Ap. in Maduré - Felix Ridel Ep. Philippolitanus, Vic. Ap. in Corea - Aloisius Elloy Ep. Tipasitanus Coad. Vicarii Ap. Oceaniae centralis-Bern. Petitican Ep. Myriophitensis, Vic. Ap. in Iaponia. Hi omnes propter gravissimas Vicariatus suae curae commissi necessitates.

» Iudices Excusationum etc.»

Patres surgendo assensum manifestant. Demum JR. ***D. Subsecretarius legit quod sequitur***

MONITUM

« SSmus Dominus Noster statuit ut IV Sessio sacri oecumenici Concilii Vaticani celebretur Feria II hebdomadae sequentis quae est dies 18 Iulii, hora per schedam designanda.

» In hac sessione suffragia Patrum super prima Constitutione dogmatica ***de Ecclesia Christi*** exquirentur eodem plane modo, qui nuper in Congregatione generali adhibitus est, ita nempe, ut nomina singulorum Concilii Patrum iuxta ordinem dignitatis et promotionis alta voce recitentur, iique, quorum nomina fuerint recitata, elata ac intelligibili voce suffragium edant respondendo ***placet*** vel ***non placet.***

» Animavertendum quippe est, quod in publica sessione iuxta litteras Apostolicas, ***Multiplices inter,*** non liceat suffragium aliter dare, nisi per ista verba ***placet*** aut ***non placet.***

» Praeterea rogantur Rmi Patres, ut in hac sessione singuli occupent eum locum, qui iuxta numerum in catalogo Patrum mense Maio distributo assignatus est.»

Congregatio soluta est paulo ante meridiem.

DE QUARTA PUBLICA SESSIONE

Intimatio per Cursores facienda, domi quoque dimisso exemplari.

« Die decima octava Iulii anni 1870 Feria II hora nona antimeridiana in patriarchali Basilica S. Petri in Vaticano habebitur sessio IV sacri Concilii Oecumenici.

» Emi et Rmi DD. Cardinales ***vestibus rubris*** induti cum ***calceis nigris*** accedent ad memoratam basilicam ubi adorato SS. Sacramento, paramenta ***coloris rubri*** cuique ordini propria assument et petent subsellia in aula conciliari.

» Rmi DD. Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi et Abbates locum in Concilio habentes, adorato ut supra SS. Sacramento, in parato sacello S. Sebastiani vestes sacras ***coloris rubri*** sibi debitas induent et in aulam praedictam convenient.

» Missa votiva de Spiritu Sancto celebrabitur sine cantu ab Emo et Rmo **D.** Card. Barili.

» Expleta Missa statutae preces iuxta Ordinem persolventur, quibus absolutis suffragium dabitur a Patribus ea forma, quae praescripta fuit a Rmo Episcopo S. Hippolyti Concilii Secretario die 18 mensis Aprilis proxime elapsi evulgato.

» Intimentur itaque omnes et singuli Emi et Rmi **DD.** Cardinales, Episcopi, Abbates et supremi Moderatores Congregationum et Ordinum regularium ex Apostolica concessione locum in Concilio Vaticano habentes.

» Intimentur quoque Vice-Camerarius, Princeps solii, Concilii Custos, R. C.~A. Auditor, Antistes Pontificiae domui praepositus, Senator et Conservatores Urbis, Magister S. Hospitii, Protonotarii de numero Participantium quinque, Auditores Rotae quatuor, Clerici Camerae Apostolicae duo, Votantes Signaturae quatuor, Abbreviatores de parco maiori duo, Officiales Concilii.»

DE MANDATO SANCTISSIMI D. N. PAPAE

Aloisius Ferrari Protonot. Apost. Caerem. Praefectus.

Haec sessio, si ad extrinsecum apparatum respicias, paullo minus splendida visa est quam praecedens. Namque dies erat feriatis, nec Missa solemniter celebrata est.

Latera fictitia, quibus inhaerent ianuae maiores aulae, submota non fuerant, sed aula patuit tantum adstanti populo quantum ipsae maiores ianuae patebant: ideoque neque ex aula conspici poterat omnis multitudo populi, neque maxima populi pars introspicere poterat conciliarem aidam.

Si ad aerem animadv er tisses, levis pluvia fere cum sessione coepta est, quae, pedetentim aucta, eo usque devenit, ut quum prope esset actus Pontificis confirmandi sanciendique Decreta, densitas nubium super ipsum Vaticanum (ut fuit Romae animadversum) tota visa sit coadunari atque fulgura et tonitrua comitarentur voces postremorum Patrum dicentium, placet: ***atque ita ut intra aulam Concilii non deessent qui amice dicerent:*** sumus in monte Sinai suscipientes a Deo legem per Moysem: ***vel:*** Daemon agitatur,

signum est hoc sibi haud placere (1). ***Densitas autem nubium paullo ante Apostolicam confirmationem dissipari coepta est.***

Adspectus Patrum, quamquam tranquillus esset, non tamen eiusdem hilaritatis visus est, prout in praecedentibus sessionibus. Huius rei causa fuerat cogitatio, quod plerique Patres, qui ab initio definitioni obstiterunt, in sua opinione denique permansissent, uti constabat ex praecedente et ultima Congregatione generali. In ea namque Congregatione moerorem quendam plurimis Patribus ingesserai ea obstinatio in opinione quam erroneam ipsa Congregatio post tot tantasque disceptationes indicaverat; et non defuerunt in illa Congregatione Patres, qui fraterna charitate, iunctis quoque manibus, exorarent suos amicos, ut opinionem illam tandem derelinquerent ceterisque omnibus assentiantur.

Uno verbo, Patrum adspectus in hac publica sessione significare videbatur aliquid sibi deesse, quod optarent, quod in eorum fronte fere legisses: Petre confirma fratres tuos !

Quod autem externus apparatus non praestitit, praestitit Deus mirabili exitu statim ac Pontifex auctoritate sua Decreta Canonesque confirmavit atque sancivit ut infra enarrabimus.

Itaque hora nona, adstantibus Patribus pluviali rubri coloris indutis, Missa de Spiritu Sancto celebrata est sine cantu ab Emo Card. Barili.

Post Missam descendit in aulam Summus Pontifex et facta ad altare brevi oratione solium petiit atque conscendit.

Consuetis effusis precibus, Emus Card. Diaconus Capalti Evangelium cantavit ex Matthaeo c. 16.

Cantato hymno Veni Creator, ***Episcopus S Hippolyti Secretarius Concilii et Episcopus Fabrianensis accesserunt ad solium Pontificis, qui accepto a Secretario textu Constitutionis dogmaticae primae*** de Ecclesia Christi, ***illum legendum tradidit Ep. Fabrianensi.***

Hic textus accuratissime revisus et denuo emendatus, iuxta

(1) Tonitrua in ipsa maiestate tempii vix reboare audiebantur : fulmina, quae lupiter Paganorum paraverat, nullum Urbi damnum inferre valuerunt, eaque a romana terra absorpta nullum reliquerunt vestigium: pluvia quae irruenter cecidit, quo irruentior eiat, eo velocior per cloacas excessit, secum vehementia sua pertrahens, quae adhuc publicas dehonestarent vias: superfuit eito quaedam levis pluvia ex sereno fere coelo terrae salutaris.

quae diximus de ultima Congregatione generali, singulorum Patrum domum missus iam fuerat.

Episcopus itaque Fabrianensis ambonem conscendens elata voce Constitutionem legit, quam Patres prae manibus eliam habebant, quaeque tenoris est qui sequitur.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

SACRO APPROBANTE CONCILIO

Ad perpetuam rei memoriam.

«r Pastor aeternus et episcopus animarum nostrarum, ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit, in qua veluti in domo Dei viventis fideles omnes unius fidei et charitatis vinculo contuerentur. Quapropter, priusquam clarificaretur, rogavit Patrem non pro Apostolis tantum, sed et pro eis, qui credituri erant per verbum eorum in ipsum, ut omnes unum essent, sicut ipse Filius et Pater unum sunt. Quemadmodum igitur Apostolos, quos sibi de mundo elegerat, misit, sicut ipse missus erat a Patre: ita in Ecclesia sua Pastores et Doctores usque ad consummationem saeculi esse voluit. Ut vero episcopatus ipse unus et indivisus esset, et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur, beatum Petrum ceteris Apostolis praeponens in ipso instituit perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum, super cuius fortitudinem aeternum exstrueretur templum, et Ecclesiae coelo inferenda sublimitas in huius fidei firmitate consurgeret (1). Et quoniam portae inferi ad e\rertendam, si fieri posset, Ecclesiam contra eius fundamentum divinitus positum maiori in dies odio undique insurgunt; Nos ad catholici gregis custodiam, incolumitatem, augmentum, necessarium esse iudicamus, sacro appro-

(1) S. Leo M. serro. IV (al. III) cap. 2 io diem Natalis sui.

bante Concilio, doctrinam de institutione, perpetuitate, ac natura sacri Apostolici primatus, in quo totius Ecclesiae vis ac soliditas consistit, cunctis fidelibus credendam et tenendam, secundum antiquam atque constantem universalis Ecclesiae fidem, proponere, atque contrarios, dominico gregi .adeo perniciosos errores proscribere et condemnare.

CAPUT I.

DE APOSTOLICI PRIMATUS IN BEATO PETRO INSTITUTIONE.

» Docemus itaque et declaramus, iuxta Evangelii testimonia primatum iurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate ct directe beato Petro Apostolo promissum atque collatum a Christo Domino fuisse. Unum enim Simonem, cui iam pridem dixerat: Tu vocaberis Cephas (1), postquam ille suam edidit confessionem inquiens Tu es Christus, Filius Dei vivi, solemnibus his verbis allocutus est Dominus: Beatus es Simon Bar-Iona; quia caro, et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cöelis est: et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam : et tibi dabo claves regni coelorum : et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in coelis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis (2). Atque uni Simoni Petro contulit Iesus post suam resurrectionem summi pastoris et rectoris iurisdictionem in totum suum ovile, dicens: Pasce agnos meos: Pasce oves meas (3). Huic tam manifestae sacrarum Scripturarum doctrinae, ut ab Ecclesia catholica semper intellecta est, aperte opponuntur pravae eorum sententiae, qui constitutam a Christo Domino in sua Ecclesia regiminis formam pervertentes negant, solum Petrum prae ceteris Apostolis, sive seorsum singulis sive omnibus simul, vero proprioque iurisdictionis primatu fuisse a Christo instructum; aut qui affirmant, eundem primatum non immediate, directeque ipsi beato Petro, sed Ecclesiae, et per hanc illi ut ipsius Ecclesiae ministro delatum fuisse.

(1) Ioan. I, 42. - (2) Matth. XVI, 16-19. - (8) Ioan. XXI, 15-17.

» Si quis igitur dixerit, beatum Petrum Apostolum non esse a Christo Domino constitutum Apostolorum omnium principem et totius Ecclesiae militantis visibile caput; vel eundem honoris tantum, non autem verae propriaeque iurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Iesu Christo directe et immediate accepisse; anathema sit.

CAPUT II.

DE PERPETUITATE PRIMATUS BEATI PETRI IN ROMANIS PONTIFICIBUS.

» Quod autem in beato Apostolo Petro princeps pastorum et pastor magnus ovium Dominus Christus Iesus in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiae instituit, id eodem auctore in Ecclesia, quae fundata super petram ad finem saeculorum usque firma stabit, iugiter durare necesse est. Nulli sane dubium, imo saeculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus, Apostolorum princeps et caput, fideique columna et Ecclesiae catholicae fundamentum, a Domino nostro Iesu Christo, Salvatore humani generis ac Redemptore, claves regni accepit: (Jui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus, episcopis sanctae Romanae Sedis, ab ipso fundatae, eiusque consecratae sanguine, vivit et praesidet et iudicium exercet (1). Unde quicumque in hac Cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet. Manet ergo dispositio veritatis, et beatus Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit (2). Hac de causa ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse semper fuit omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, ut in ea Sede, e qua venerandae communionis iura in omnes dimanant, tamquam membra in capite consociata, in unam corporis compagem coalesceret (3).

» Si quis ergo dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione seu iure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Roma-

(1) Cf. Ephesini Concilii Act. III. — (2) S. Leo M. Serra. III (al. II) cap. 3. — (3) S. Iren. Adv. haer. I. III c. 3, et Conc. Aquiiei. a. 381 inter opp. S. Ambr. ep. XL.

num Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem; anathema sit.

CAPUT m.

DE VI ET RATIONE PRIMATUS ROMANI PONTIFICIS.

» Quapropter apertis innixi sacrarum litterarum testimoniis, et inhaerentes tum Praedecessorum Nostrorum, Romanorum Pontificum, tum Conciliorum generalium disertis, perspicuisque decretis, innovamus oecumenici Concilii Florentini definitionem, qua credendum ab omnibus Christi fidelibus est, sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur.

»Docemus proinde et declaramus, Ecclesiam Romanam, disponente Domino, super omnes alias ordinariae potestatis obtinere principatum, et hanc Romani Pontificis iurisdictionis potestatem, quae vere episcopalis est, immediatam esse : erga quam cuiuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli quam simul omnes, officio hierarchicae subordinationis, veraeque obedientiae obstringuntur, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; ita ut custodita cum Romano Pontifice tam communionis, quam eiusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo pastore. Haec est catholicae veritatis doctrina, a qua deviare salva fide atque salute nemo potest.

» Tantum autem abest, ut haec Summi Pontificis potestas officiât ordinariae ac immediatae illi episcopalis iurisdictionis potestati, qua Episcopi, qui positi a Spiritu Sancto in Apostolorum locum successerunt, tamquam veri pastores assignatos sibi greges,

singuli singulos, pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali Pastore asseratur, roboretur ac vindicetur, secundum illud sancti Gregorii Magni: meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur (1).

» Porro ex suprema illa Romani Pontificis potestate gubernandi universam Ecclesiam ius eidem esse consequitur, in huius sui muneris exercitio libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiae, ut iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint. Quare damnamus ac reprobamus illorum sententias, qui hanc supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eandem reddunt saeculari potestati obnoxiam, ita ut contendant, quae ab Apostolica Sede vel eius auctoritate ad regimen Ecclesiae eonstituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis saecularis placito confirmentur.

» Et quoniam divino Apostolici primatus iure Romanus Pontifex universae Ecclesiae praeest, docemus etiam et declaramus, eum esse iudicem supremum fidelium (2), et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse iudicium recurri (3); Sedis vero Apostolicae, cuius auctoritate maior non est, iudicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius licere iudicare iudicio (4). Quare a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant, licere ab iudiciis Romanorum Pontificum ad oecumenicum Concilium tamquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare.

» Si quis itaque dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis; aut hanc eius potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac

(1) Ep. ad Eulog. Alexandrin. I. VIII ep. XXX. - (2) Pii PP. VI Breve, *Super soliditate* d. 28 Nov. 1786. — (3) Concil. Oecum. Lugdun. II. —(4) Ep. Nicolai 1 ad Michaelem Imporatorem.

singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles; anathema sit.

CAPUT IV.

DE ROMANI PONTIFICIS INFALLIBILI MAGISTERIO.

»Ipso autem Apostolico primatu, quem Romanus Pontifex tamquam Petri principis Apostolorum successor in universam Ecclesiam obtinet, supremam quoque magisterii potestatem comprehendi, haec Sancta Sedes semper tenuit, perpetuus Ecclesiae usus comprobat, ipsaque oecumenica Concilia, ea imprimis, in quibus Oriens cum Occidente in fidei charitatisque unionem conveniebat, declaraverunt. Patres enim Concilii Constantinopolitani quarti, maiorum vestigiis inhaerentes, hanc solemnem ediderunt professionem: prima salus est, rectae fidei regulam custodire. Et quia non potest Domini nostri Iesu Christi praetermitti sententia dicentis: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, haec, quae dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper catholica reservata religio, et sancta celebrata doctrina. Ab huius ergo fide et doctrina separari minime cupientes, speramus, ut in una communione, quam Sedes Apostolica praedicat, esse mereamur, in qua est integra et vera Christianae religionis soliditas (1). Approbante vero Lugdunensi Concilio secundo, Graeci professi sunt: Sanctam Romanam Ecclesiam summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinere, quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe sive vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit; et sicut prae ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et, si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri. Florentinum denique Concilium definivit: Pontificem Romanum, verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse.

(1) Ex formula S. Hormisdae Papae prout ab Hadriano II Patribus Concili oecumenici Constantinopolitani IV proposita et ab iisdem subscripta est.

»Huic pastorali muneri ut satisfacerent, Praedecessores Nostri indefessam semper operam dederunt, ut salutaris Christi doctrina apud omnes terrae populos propagaretur, parique cura vigilarunt, ut, ubi recepta esset, sincera et pura conservaretur. Quocirca totius orbis Antistites nunc singuli, nunc in Synodis congregati, longam ecclesiarum consuetudinem et antiquae regulae formam sequentes, ea praesertim pericula, quae in negotiis fidei emergebant, ad hanc Sedem Apostolicam retulerunt, ut ibi potissimum resarcirentur damna fidei, ubi fides non potest sentire defectum (1). Romani autem Pontifices, prout temporum et rerum conditio suadebat, nunc convocatis oecumenicis Conciliis aut explorata Ecclesiae per orbem dispersae sententia, nunc per Synodos particulares, nunc aliis, quae divina suppeditabat providentia, adhibitis auxiliis, ea tenenda definierunt, quae sacris Scripturis et apostolicis Traditionibus consentanea Deo adiutore cognoverant. Neque enim Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut eo assistente traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent. Quorum quidem apostolicam doctrinam omnes venerabiles Patres amplexi et sancti Doctores orthodoxi venerati atque secuti sunt; plenissime scientes, hanc sancti Petri Sedem ab omni semper errore illibatam permanere, secundum Domini Salvatoris nostri divinam pollicitationem discipulorum suorum principi factam: Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.

»Hoc igitur veritatis et fidei numquam deficientis charisma Petro eiusque in hac Cathedra successoribus divinitus collatum est, ut excelso suo munere in omnium salutem fungerentur, ut universus Christi grex per eos ab erroris venenosa esca aversus, coelestis doctrinae pabulo nutriretur, ut sublata schismatis occasione Ecclesia tota una conservaretur, atque suo fundamento innixa firma adversus inferi portas consisteret.

» At vero cum hac ipsa aetate, qua salutifera Apostolici muneris efficacia vel maxime requiritur, non pauci inveniantur, qui illius auctoritati obtrectant; necessarium omnino esse censemus, praerogativam, quam unigenitus Dei Filius cum summo pastorali officio coniungere dignatus est, solemniter asserere.

(1) Cf. S. Bern. Epist. CXC.

» Itaque Nos traditioni a fidei Christianae exordio perceptae fideliter inhaerendo, ad Dei Salvatoris nostri gloriam, religionis Catholicae exaltationem et Christianorum populorum salutem, sacro approbante Concilio, docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus: Romanum Pontificem, cum ex Cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque eiusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse.

»Si quis autem huic Nostrae definitioni contradicere, quod Deus avertat, praesumpserit; anathema sit.»

Absoluta lectione idem Fabrianensis Episcopus surgens ita subiunxit: « Rmi Patres, placentne vobis Decreta et Canones, qui in Constitutione continentur? »

Tum ille descendens, ambonem conscendit R. D. Subsecretarius, et appellatio coepta est omnium Patrum, qui, nisi per accidens impediti essent, synodo adesse potuissent.

Putamus heic dare pretiosum historicum documentum, si in* dicemus quinam ex Patribus sessioni interfuerint; quinam autem abfuerint iuxta appellationem hac die coram Pontifice in aula conciliari factam. Quamquam autem ex appellatis aliqui absentes fuerint ratione accidentalis impedimenti; plerique tamen illi erant, qui in Congregatione generali praecedente suffragium suum positivum denegaverat. Nescio profecto qua de causa abfuerint; namque, quidquid dixerint, scripserint, aut cogitaverint in praecedentibus Congregationibus generalibus, erant actus, ut aiunt, privati, erant propriae opiniones, erant eruditae disputationes, ipsaeque generales Congregationes erant actus praeparatorii, atque praeterea nihil. In publica enim sessione coram Pontifice, qui adest tamquam supremum Ecclesiae caput, animo adprobandi aut reprobandi, repraesentatur universa catholica Ecclesia docens in actu docendi. Hic est synodi oecumenicae legitime congregatae actus, qui ex promissione divina erroneus esse nequit, sive intersint omnes Episcopi sive pauci: ubi enim Petrus ibi Ecclesia. ***Quare Episcopi, qui ali-***

ter sentirent, quam senserat maxima pars Congregationis generalis* per suam absentiam ab hac sessione, non aliud effecerunt, quam permittere, ut verissimo sensu dici posset, sententiam maximae partis Congregationis esse sententiam omnium Patrum Synodi oecumenicae duobus tantum exceptis, quos infra indicabo.

Patres autem qui appellati fuerunt in hac publica sessione, quique aderant, vel non aderant, sunt qui sequuntur.

Ex Emis Cadinalibus

Appellati sunt omnes Emi Cardinales quos in catalago (1) enumeravimuss praeter eos qui asterisco * ibidem sunt notati. Aberant autem ex appellatis Card. Mallei - Schwarzenberg - Mathieu - Raucher - Orfei - D'Hohenlohe. Idest, ex octo et quadraginta appellatis abfuerunt sex.

Ex Rmis Patriarchis

Appellati fuerunt, Constantinopolitanus rit.lat.-Alexandrinus rit. lat. - Antiochenus rit. graec. melch. qui abfuit - Hierosolymitanus rit. lat. - Babilonensis rit. chald. qui abfuit - Indiarum Occidentalium rit. lat. -Ciliciensis rit. arm. - Antiochenus iam rit. graec. mele

Ex Rmis Primatibus

Omnes fuerunt appellati qui hisce numeris in catalogo a nobis dato Vol. V pag. 513 et seqq. notantur: 1, 2, 4, qui abfuit, 5, 6, 8, qui abfuit, 9, 10, 11 (idest Lugdunensis, in catalogo dato inter Primates omissus), qui abfuit.

Ex Rmis Archiepiscopis

Appellati fuerunt, qui hisce numeris in catalogo notantur: 13, 15, qui abfuit, 17, qui abfuit, 20, 24, 26, 28, 30, 31, 32, 34, 35, qui abfuit, 36, qui abfuit, 37, 38, 40, 41, 43, 44, 45, 46, 48,

(1) Lectores, qui conspicere velint Patrum nomina quae sumus indicaturi, necesse est ut prae oculis habeant catalogum, quem dedimus in *Yol.VpagM 45 et seqq.*

50, 52, qui abfuit, 58, qui abfuit, 59, 61, 62, 63, 64, qui abfuit, 65, 66, 68, 69, 70, qui abfuit, 71, 72, 75, 76, qui abfuit, 77, 78, 80, 81, qui abfuit, 85, 86, 88, 92, 93, 94, 95, qui abfuit, 96, qui abfuit, 97, 98, qui abfuit, 101, 103, qui abfuit, 104, 105, 106, 108, III, 113, 115, 116, 118,119, 120, 122, 123, qui abfuit, 124, 126, 127, 130, 131, 132, 135, qui abfuit, 138, 141, 142, qui abfuit, 145, qui abfuit, 146, 148, 150, 151, 152, 153, qui abfuit, 154, 156,157, qui abfuit, 158, 160,161, 163, 164, 166, 167, 168, 170, 171, 172, 176, 177, qui abfuit, 178.

Ex Rmis Episcopis

179, qui abfuit, 190, 192, 193, 195, 197, 198, 199, 200, qui abfuit 201, 202, qui abfuit, 203, qui abfuit, 204, qui abfuit, 205, 213, qui abfuit, 215, 220, 225, 226, 227, 231, 233, 236, 237, 238, qui abfuit, 241, qui abfuit, 243, 245, 246, 248, 251, qui abfuit, 252, qui abfuit, 253, 254, 256, qui abfuit, 257, 258, 260, 261, 263, 266, 267, 268, 269, 274, 275, 276, 277, 278, 279, 281, qui abfuit, 282, 283, 285, 286, 287, 288, 289, 290, 291, 294, 295, 298, 303, 304, 306, 309, 312, 313, 314, 315, 316, 317, 319, 320, 321, 323, 324, qui abfuit, 325, 329, 330, qui abfuit, 331, 335, 336, 337, qui abfuit, 338, qui abfuit, 339, 344, 346, 347, 349, 352, 353, 354, 355, 356, 363, 364, 365, qui abfuit, 368, qui abfuit, 369, 370, qui abfuit, 371, 372, 373, 374, 375, qui abfuit, 376, 378, 381, 382, 383, 388, 390, 391, 393, 399, 400, 401, 403, 404, 405, qui abfuit, 408, 409, qui abfuit, 411, 414, 417, 418, qui abfuit, 419, 420, 421, 424, qui abfuit, 428, 430, 431, 432, 433, 434, 436, qui abfuit, 437, qui abfuit, 438, 439, 440, 442, 444, 445, 446, 447, 449, 451, 452, 453, 454, 455, 457, 459, 461, 463, 464, 465, 466, 467, 468, 469, 470, 473, 477, 478, 479, 480, 483, 484, 485, qui abfuit, 486. 487, 488, 489, 490, 492, 493, 494, 495, 500, 502, 504, 506, 507, qui abfuit, 508, qui abfuit, 509, qui abfuit, 510, qui abfuit, 511, 512, 514, 516, 517, 519, qui abfuit, 522, 524, 526, 532, qui abfuit, 533, 542, qui abfuit, 543, 544, 550, qui abfuit, 552, 553, 554, 555, 556, qui abfuit, 564, qui abfuit, 566, 567, 568, 571, 573, 574 (1), 575, 576, 577, 578,

(1) Hoc numero 574 indicatur Episcopus Caiacensis, qui appellatus re- *sponàiinon placet;* sed quum suffragiorum Repetitor, id non recte audiens, decla-

581, 582, 583, 584, 586, 588, 589, 590, 591, 593, 594, 596, 598, qui abfuit, 599, 600, 601, 602, 603, 604, qui abfuit, 605, 606, 607, qui abfuit, 608, 609, 611, 612, 613, 614, 616, 617, qui abfuit, 622, qui abfuit, 623, 624, 625, 626, 628, 630, qui abfuit, 631, 632, 633, 635, qui abfuit, 636, 641, 643, 644, qui abfuit, 649, 650, qui abfuit, 652, 658, 659, 660, 661, 663, 664, 666, 668, 669, 670, 672, 674, 679, 680, 681, 682, qui abfuit, 685, 686, 687, qui abfuit, 690, 691, 692, 693, 695, 696, 697, 698, 701, 703, 705, qui abfuit, 706, qui abfuit, 707, qui abfuit, 708, qui abfuit, 7Q9, 711, 712, 714, qui abfuit, 715, 716, 720, qui abfuit, 723, 727, 728, 730, 731, 732, 733, 735, 738, 741, 743, 744, 748, 749, 752r754 (1), 755, 756, 757, qui abfuit, 758, 760, qui abfuit, 761, qui abfuit, 762, 763, 764, 765, 766, 767, 768, 772, 775, 776, 777, 778, 779, 780, 781, 782, 783, 784, 785, 785, 787, 788, qui abfuit, 789, qui abfuit, 790, 791, qui abfuit, 792, 793, 794, 795, 796, 797, 798, 799, 800, 801, 802, 803, 804, qui abfuit, 805, qui abfuit, 806, qui abfuit, 808, qui abfuit, 809, 810, 811, 813, qui abfuit, 816, qui abfuit, 819, 820, 822, 823, qui abfuit, 824, 825, qui abfuit, 828, 829, §30, 832, 833, 835, 837,, qui abfuit, 838, 840, qui abfuit, 841, 842, 845, qui abfuit, 846„ 849, 850, 851, 852, 853, 854, 855, 859, 865, qui abfuit, 866, 867, 869, 871, 872, 874, qui abfuit, 877, 878, 879, 880, 881, 882, qui abfuit, 883, 885, qui abfuit, 889, 893, 894, 895, 897, qui abfuit, 900, qui abfuit, 901, 903, 906, 909, 911, qui abfuit, 912, 913, 914, 915, 916, 917, 918.

Ex RR. Abbatibus nullius Dioecesis.

920, 921, 922, 928.

Ex RR. Abbatibus Generalibus Ordinum Monasticorum.

924, 925, 928, 929, qui abfuit, 930, 931, 932, 934, 935, 936, 937, qui abfuit, 942, qui abfuit, 943, 944, 945.

rnasset *placet,* ille suo iure Ubere utens elatiore voce iterum dixit *non placet;* quod fuit recte repetitum ab eodem officiali,

(1) Episcopus hoc numero 754 designatus idest Petriculanus, non fuerat appellatus, propterea quod a Secretario petierat ut in appellatione praeteriretur, quamquam synodo interesse vellet: at postea in ipsa aula Concilii, passus non est eiusmodi praeterilionem, petiit» que, ut appellaretur : quare appellatus fuit post expletam Episcoporum appellationem, idest post numerum 918, atque respondit: *non placet.*

Ex RR. Generalibus et Vicariis Generalibus Congregationum Clericorum Regularium.

947, 948, 949, 950, 951, 952, 953, 954.

Ordinum Monasticorum.

956, 957.

Ordinum Mendicantium

960, 962, 963, 964, 966, 967, 968, 969, 970, 971, 972, 973, 974, 975.

Adfuerunt itaque hac in Sessione Patres numero 535, ***ex quibus*** 533 ***responderunt,*** placet; ***duo autem, idest Episcopus Caiacensis, et Episcopus Petriculanus responderunt,*** non placet. ***Ex numero Patrum qui appellati fuerunt, aberant*** 112. ***Haec actio synodalis appellandi ferendique suffragia absoluta est prope meridiem; deerant enim octo horae momenta.***

Inde relatio de latis suffragiis coram Romano Pontifice in Solio sedente deducta est a Rmo D. Secretario comitantibus Scrutatoribus.

Tum Pontifex, relatione audita, surgens, Constitutionem Auctoritate Apostolica his verbis confirmavit:

« Decreta ei Canones, qui in Constitutione modo » leda continentur, placuerunt Patribus omnibus, duo- » bus exceptis : Nosque, sacro adprobante Concilio, » ijla et illos, prout in Constitutione modo lecta conti- » nentur, definimus et Apostolica Auctoritate confir- » manius.»

His prolatis, talis facta est rerum mutatio, ut describi vix possit: describi enim deberet intimum animorum omnium excitatis" simum gaudium. Illico Patres effusi sunt in plausus. Populus, nec

infimi subsellii (1), *qui, neglecta molestia pluviae ad S. Petri frequentissimus cucurrerat, vix ac eiusmodi plausus audivit, suos adeo coniunxit, ut ex inopinata rei novitate nescires eo temporis momento ubi esses: templum enim ipsum Principum Apostolorum, posthabita quavis consuetudinis ratione, ex universo plausu reboans gestire videbatur. Ea enim veneranda consuetudo Romae viget, ut eiusmodi plausus in sacro templo scandalum crearent.*

Non erant illi plausus, qui studio aut furore ciuntur, quos hisce ultimis horis, dum haec scribimus, perpeti iterum Romae debuimus, a desperatis perditisque hominibus, pacatissimam Urbem pervadenlibus, concitatos: sed plausus erant ex gaudio sponte effluentes, quo fruuntur, non quidem filii hominum, qui servi sunt, sed filii Dei in veram libertatem vocati, quam illi nec intelligere valent.

Illi duo Episcopi, qui responderant, non placet, *ambo se nunc credere Patribus prope considentibus professi sunt; atque adeo, ut verba illis deesse viderentur ad exprimendam ex animo firmam adhaesionem suam, postquam Petrus est locutus.*

Quod quidem pari modo, haud dubitamus, contigisset ceteris Episcopis a sententia Congregationis generalis discrepantibus, si sessioni inter fuissent. Re quidem vera, si id iam praestiterunt plerique omnes extra synodum per praeclaras fidei professiones, sive apud Pontificem, sive apud populos sibi concreditos; quid, confirmante Petro, non fecissent in synodo?

Itaque, gestientibus ex gaudio Patribus et fidelibus, Pontifex perslitit; atque manu silentium pacatissime indicens in has sententias synodum est allocutus.

(1) Non erat popellus, qui accurrent, quum dies esset feriatis: non comptae mulieres, quum eas pluvia impediret: maxima populi pars non erant alienigenae, quum hi, tempore vehementis aestatis, nec Romam conveniant, nec Romae maneant: non erant exteri vel vicini, qui forte accurrerint habita notitia sessionis, quum haec notitia primo data fuerit in aula post Congregationem generalem diei 16 pro sessione habenda die proxima 18: neque sessionis celebratio tam proxima praevideri poterat, quum notum esset quot Patres veniam loquendi petierint. Et veluti prodigio adscribendum est id quod contigit (dum prosequebantur solemnia Principum Apostolorum) in Congregatione generali 81 et 82, in quibus multi Patres veniae loquendi obtentae praeter communem expectationem sponte sua renuntiarunt: si id enim non contigisset, haec sessio adhuc expectaretur.

Maxima itaque populi pars erant ex nostratibus, qui plane intelligerent, rem ea in sessione agi maximi momenti pro universa christiana republica.

« Summa ista Romani Pontificis auctoritas, Venerabiles Fratres, non opprimit sed adiuvat, non destruit sed aedificat, et saepissime confirmat in dignitate, unit in charitate, et Fratrum, scilicet Episcoporum, iura firmat atque tuetur. Ideoque illi, qui nunc iudicant in commotione, sciant non esse in commotione Dominum. Meminerint, quod paucis abhinc annis, oppositam tenentes sententiam abundaverunt in sensu Nostro et in sensu maioris partis huius amplissimi Consessus (1); sed tunc iudicaverunt in spiritu aurae lenis. Numquid in eodem iudicio iudicando duae oppositae possunt existere conscientiae? Absit. Illuminet ergo Deus sensus et corda; et quoniam Ipse facit mirabilia magna solus, illuminet sensus et corda, ut omnes accedere possint ad sinum Patris, Christi Iesu in terris indigni Vicarii, qui eos amat, eos diligit, et exoptat unum esse cum illis. Et ita simul in vinculo charitatis coniuncti proeliare possimus proelia Domini, ut non solum non irrideant nos inimici nostri, sed timeant potius, et aliquando arma malitiae cedant in conspectu veritatis, sicque omnes cum D. Augustino dicere valeant: ***Tu vocasti me in admirabile lumen tuum et ecce video.*** Deus vos benedicat.»

Hinc novi plausus illico editi sunt. Accedentibus inde ad Pontificis solium Protonotariis et Concilii Promotoribus, hi illos rogarunt, ut Instrumenta conficerent ex omnibus in sessione gestis; illique, testibus nuncupatis, facturos spoponderunfc'

(1) Romanus Pontifex alludere hie videtur ad doctrinam alias palam significatam et traditam ab Episcopis iisdem sive in innumeris realis obsequii protestationes ad eundem missis, sive in solemnibus litteris communi Episcoporum suffragio subscriptis, sive in propositionibus ex animo prolatis quum definiendum erat Dogma de Immaculata Conceptione, sive in doctrina in synodis provincialibus tradita, sive in pastoralibus epistolis. Haec omnia, quae tradebantur pacato animo, continere solebant catholicam doctrinam de infallibilitate Romani Pontificis, ita ut iure merito credi debebat, eiusmodi doctrinam, si in synodo oecumenica definienda proponeretur ad sollemniorem eiusdem promulgationem in fidelium utilitatem, nullam prorsus ex parte Episcoporum excitaturam esse difficultatem: erat enim communis Ecclesiae catholicae doctrina per Episcopatum hac aetate nostra palam expressa. Inde apparet, quam immerito nonnulli acriter redarguerint catholicos scriptores, qui hanc doctrinam et definitionem promoverunt; quasi vero id effecissent animo contradicendi Episcopis. Vix enim id in mentem venire poterat, quum ex publicis documentis abunde constaret, non esse aetate nostra ecclesiarum Angelos, qui adversam erroneam doctrinam animo nutrirent.

Inde Pontifex hymnum, Te Deum, ***cantu incepit: quo tempore meridies septem circiter horae momentis transactus erat, adeo ut et Apostolica confirmatio contigerit instante meridie (qui est initium secundae partis diei, quo ad vesperas declinamus); et gratiar rum actio, brevissimo interiecto temporis intervallo, post meridiem successerit.***

Modus autem, quo haec gratiarum actio per angelicum hymnum processerit, praeter omnium expectationem, fuit pariter singularis. Cantores enim pontificii prosecuti sunt de more versiculum a Pontifice inceptum. Nescio quomodo contigerit, omnis popidus Cantoribus praevaluit, adeo ut, id, quod cecinere debuissent soli Cantores, cecinebat populus cum Cantoribus, quorum voces vittae ipsum po^ pulum sequi coactae sunt; et sic populo respondebat synodus: quamquam populus synodo respondere putaret, et synodus in cantu primas partes habere videretur (1).

Ita alternatim hymnus maiestate summa prosecutus est usque ad exitum, cui, tamquam communis gaudii corona, solemnis Apostolica Benedictio successit: atque sessio soluta est. Exeuntibus Episcopis, fideles certatim annulum sacrasque eorum vestes deosculati sunt gratias simul agentes.

Haec enucleate describere curavi, propterea quod de actu Ecclesiae catholicae solemnissimo agatur, atque maximi momenti pro universa christiana republica.

In comperto iam omnibus est quae inde in rebus publicis praecipitanter contigerint. Namque sequente die 19 ***Iulii notitia vulgatur Gubernium Gallicum bellum Borussico Gubernio indicere: brevi***

(1) Quod meo sensu puto ita in universa Ecclesia esse eventurum, statim ac meridies pulsaverit, quo omnes populi iterum ad nuptias Agni invitentur non tantum rore, sed pluvia graüae Dei. Hi enim populi sibi trahent Ecclesiae Praesules et Gubernia et Reges, quamquam in externa forma videantur iidem populi a Praesulibus, Guberniis et Regibus duci. Harum rerum quaedam initia iam conspicere nobis videmur, de quibus nonnulla scripsimus, in *Vol. IV pag. 5 40,* dum dies 11 Aprilis 1869 in universo orbe et sine sufficiente humana causa praeter hominum memoriam solemnissime celebraretur.Ineptiaesunt,quae cor hominis non aiunt, ea, quae insani huius saeculi homines agunt suis sophismatibus innixi, quibus incautos populos alliciunt, unitatem nationum sub uno gubernio cupientes, iura populorum extollentes, illimitatam libertatem verbis profundentes. Faciet, faciet quidem Deus veram nationum unitatem in fide sub uno universali Pastore: vera populorum iura ipse excitabit, ut eam consequantur libertatem in quam filii [Dei sunt vocati.

dierum intervalle atrocissimis proeliis factis, atque Gallicis copiis superatis, Galliarum Imperator captivus die 2 Septembris comprehenditur, atque in manu eius hostium adhuc detinetur.

Dum illud bellum in Gallus perseverat, Gubernium Italicum, eiusmodi occasionem nactum, magno strepitu Romam cum reliqua tenui pontificia ditione vehementer concupiscit. Denique misso suo egeno exercitu Romam vi capit die 20 Septembris. Undique Romam confluentibus facliosls flagitiosisque hominum gregibus, latrocinali plebiscito patrato, Apostolica Sedes cum universalis Ecclesiae Pontifice in manu est Italici Gubernii.

In alienis itaque manibus in praesentia sunt tum iniquitatis publicae Moderator, tum publicae honestatis Magister. Quid inde operabitur Deus perquam citissime videbimus.

Ceterum, in statu quo nunc humana societas reperitur, duae magnae Potestates necessariae esse videntur, quae simul consilia conferant, et unaquaeque pro sua ratione agat: quarum una, quae iamdiu exstitit novo splendore per quartam sessionem Vaticani Concilii munita est; altera in consiliis divinis delitescit.

EX AEDIBUS VATICANIS

LITTERAE PROTESTATIONE DATAE DIE IPSA INVASIONIS URBIS XX SEPTEMBRIS ANNO MDCCCLXX AD DIPLOMATICUM GUBERNIORUM COETUM LITTERIS PATENTIBUS APUD S. SEDEM INSTRUCTUM.

Dalle stanze del Vaticano, 20 Seti. 1870.

« Sono ben note a V. S. le violente usurpazioni della maggior parte degli Stati della Chiesa commesse nel giugno del 1859 e nel settembre del successivo anno 1860 dal Governo stabilitosi in Firenze, e sono altresì note le solenni reclamazioni e proteste contro il sacrilego spoglio, fatte da Sua Santità, sia con Allocuzioni pronunciate in Concistoro e quindi pubblicate, sia con note dirette dal sottoscritto Cardinale segretario di Stato al Corpo diplomatico accreditato presso la Santa Sede.

» Il Governo invasore non avrebbe certamente lasciato di compiere lo spoglio sacrilego se il Governo francese, conscio degli

Ex Aedibus Vaticanis die 20 Septemb. 1870.

VERSIO. ***Probe comperta est tibi, Ulme Domine, violenta direptio maximae partis civilis ecclesiasticae ditionis a Gubernio Florentiae constituto peracta mense Iunio an.*** 1859 ***et mense Septembri*** 1860, ***prout etiam cuivis innotescunt reclamationes et protestationes adversus' sacrilegam spoliationem a Brno Patre editae sive in Allocutionibus in Consistorio prolatis, ac dein publica luce donatis, sive diplomaticis Notis per infrascriptum Cardinalem exteris pontificiae ditionis negotiis praepositum directis ad coetum diplomaticum patentibus litteris apud S. Sedem instructum.***

Non defuisset certe mens raptori Gubernio sacrilegae usurpationis consummandae, si Gubernium Gallicum ambitiosa molimina ani-

ambiziosi di lui propositi, non lo avesse arrestato con prendere sotto la sua protezione Roma e il suo ristretto territorio, mantenendovi una guarnigione.

» Ma in seguito di accordi pattuiti fra il Governo francese e quello di Firenze, coi quali si credeva di assicurare la conservazione e la tranquillità degli stati rimasti alla Santa Sede, le truppe francesi si ritirarono. Gli accordi però non furono rispettati; e nel settembre dell'anno 1867 alcune orde, spinte da mani occulte, si gettarono nel territorio pontificio col perverso intendimento di sorprendere ed occupare Roma Tornarono allora le truppe francesi, e queste, coadiuvando i nostri fedeli soldati, che già vittoriosamente combattevano l'invasione, terminarono nei campi di Mentana di fiaccare l'audacia degli invasori, e ne sventarono completamente gli iniqui disegni.

» Avendo però il Governo francese, in seguito della guerra dichiarata alla Prussia, richiamato le sue truppe, non omise di rammentare al Governo di Firenze gli impegni da esso contratti coi summentovati accordi e di ottenere dal medesimo le più for-

madvertens, non ea cohibuisset, Urbemque, eiusque exiguam territorii partem, dato praesidio, in suam fidem ac tutelam recepisset.

Postea vero pactis initis inter Gallicum et Florentinum Gubernium, vi quorum conservatio, et tranquillitas residuae ditionis ad S. Sedem pertinentis in tuto ponere credebantur, agmina Gallica recesserunt. At mense Septembri an. 1867 ***quidam facinorosorum greges occultis manibus impulsi, spreta solemnitate pactorum, in Pontificium territorium irruerunt, perverso ducti consilio Romam ex improviso adoriendi, atque occupandi. Tum Gallicae copiae reversae sunt, opemque ferentes fidelibus nostris militibus, qui, iam secundo marte invasioni obnitebantur, Nomentano demum proelio, praedonum audaciam plenius fregerunt, eorumque pravas machi' nationes dissiparunt.***

Cum autem Gubernium Gallicum, indicto Borussiae bello, Romanum praesidium ad se revocasset, minime destitit Florentinum Gubernium commonere de obligationibus per initam pactionem contractis, ab eodemque exigere solemnissimas promissiones de certa earundem obligationum observatione. Sed adversam belli for tu-

finali assicurazioni sulla loro osservanza. Ma essendo state sfavorevoli alla Francia le sorti della guerra, il Governo di Firenze, approfittando di questi rovesci, in onta agli accordi medesimi, prese la sleale .risoluzione d'inviare una forte armata, e con questa consumare lo spoglio dei dominii della Santa Sede, mentre dapertutto regnava, non ostante i pressanti eccitamenti che venivano di fuori, la più perfetta quiete, e si facevano ovunque, « particolarmente qui in Roma, spontanee e continue dimostrazioni di fedeltà, di attaccamento e di filiale amore all'augusta persona del S. Padre.

» Prima di compiere quest' ultimo atto di tanto atroce ingiustizia, si spedi a Roma il Conte Ponza di S. Martino, latore di una lettera scritta al Santo Padre dal Re Vittorio Emmanuele, nella quale si dichiarava, che, non potendo il Governo di Firenze contenere l'ardore delle aspirazioni nazionali e l'agitazione del partito, detto di ***azione,*** era costretto ad occupare Roma ed il rimanente del suo territorio. Può V. E. agevolmente immaginare ii profondo dolore e la viva indignazione onde fu compreso l'ani-

nam cum Gallia experta fuerit, Gubernium Florentinum occasionem calamitatis arripiens, pactorum sanctitate posthabita, in improbam deliberationem verni copiosum exercitum immittendi, qvo reliqua S. Sedis dominia penitus auferrentur, dum interea* irrilis externorum sollicitationibus, perfectissima quies ubique regnaret, et undique sese proderent, Romae praesertim, "numquam interruptae significationes fidelitatis, observantiae^ ac prorsus filialis dilectionis erga Augustam Personam Bini Patris.

Antequam hic postremus tam immanis iniquitatis actus compleretur, missus fuerat Romam comes Pontia a S. Martino cum litteris Regis Victorii Emmanuelis ad Summum Pontificem, quibus declarabatur, nationalia vota adeo exardescere, tantoque aestu far ctionem, quae actionis ***dicitur, agitari, ut Florentinum Gubernium, cum ea compescere nequiret, cogeretur Romam, reliquamque territorii partem invadere. Qua acerbitate doloris, quove intimae indü gnationis sensu Beatissimus Pater inauditam illam declarationem exceperit, Excellentissime Domine, facile intelliges. Ipse tamen exsecutioni sacrorum suorum munerum stabiliter inhaerens, totumque***

mo del Santo Padre per sì inaudita dichiarazione. Fermo però nello adempimento de'suoi sacri doveri, e, confidando pienamente nella divina Provvidenza, respinse recisamente ogni proposta, dovendo esso conservare intatta la sua sovranità come gli è stata trasmessa da'suoi predecessori.

» In presenza di questo fatto, che conculca i sacrosanti principii di ogni diritto, e specialmente quello delle genti, consumato sotto gli occhi di tutta l'Europa, Sua Santità ha ordinato al sottoscritto Cardinale Segretario di Stato di reclamare e protestare altamente, siccome nell'augusto suo nome reclama e protesta contro l'indegno e sacrilego spoglio che si è ora commesso dei dominii della Santa Sede, chiamando responsabile il Re ed il suo Governo di tutti i danni che derivano alla Santa Sede ed ai sudditi pontificii da sì violenta e sacrilega usurpazione.

» Ha inoltre ordinato Sua Santità, che si dichiari, come il sottoscritto nell'augusto suo nome dichiara, essere tale usurpazione irrita, nulla e di niun valore, nè verun pregiudizio poter mai irrogare ai diritti incontrovertibili e legittimi di dominio e

se Divinae providentiae committens, cuivis propositae sententiae fortiter obstitit, suum esse cogitans, eundem Principatum sibi a praedecessoribus transmissum sartum tectum custodire.

Cum itaque hic habeatur factum, quod omnia conculcai cuiuscumque iuris, ac maxime gentium, sanctissima principia, et quidem universa spectante Europa patratum, SSmus Pater in mandatis dedit infrascripto Cardinali, ut vehementer reclamaret, ac protestaretur, quemadmodum et augusto eius nomine réclamât, ac protestatur adversus indignum et sacrilegam usurpationem dominiorum ad S. Sedem spectantium, rationem exigens a Rege eiusque Gubernio omnium damnorum ex hac adeo violenta ac sacrilega direptione S. Sedi populisque Pontifici subiectis obvenientium.

Iubet praeterea SSmus Pater, ut declaretur, quemadmodum infrascriptus in augusto eius nomine declarat, huiusmodi latrocinalem actum nullum esse, irritum, nulliusque valoris, nullumque exinde detrimentum capere posse legitima, extraque omnem controversiam posita, iura dominationis ac possessionis, tum sua, tum etiam suorum successorum in perpetuum, et si modo ab eorundem exercitio

di possesso, come suoi, così anche de' suoi successori in perpetuo, e se la forza le ne impedisce l'esercizio, intende e vuole la Santità Sua conservarlo intatto per ripigliarne a suo tempo il reale possesso.

» Il sottoscritto Card. Segretario di stato, nel rendere informata V. E. per ordine espresso di sua Santità dell'inqualificabile avvenimento e delle conseguenti proteste e reclami, aftinché possa dedurre tutto ciò a notizia del suo Governo, nutre fiducia che il medesimo vorrà prendere il dovuto interesse in favore del Capo supremo della Chiesa cattolica, posto in condizione di non poter esercitare la sua spirituale autorità con quella piena libertà e indipendenza che le sono indispensabili.

» Adempiuto per tal guisa il sovrano volere, non resta al sottoscritto che profittare del nuovo incontro per confermare all'È. V. i sensi della sua più distinta stima.»

G. Card. ANTONELLI.

illata vi prohibetur, intendit nihilominus ac vult SSmus Pater, eius integram conservationem, realem eius possessionem suo tempore resumpturus.

Infrascriptus Cardinalis dum de expressa iussione SSmi Patris tam infandi flagitii, necnon reclamationum, ac protestationum te E. D. certiorem facit, ut haec omnia Gubernio tuo paté facias, in spem erigitur fore, ut tuum Gubernium debito studio prosequatur Supremum Ecclesiae Catholicae Caput in ea rerum angustia collocatum, ut spiritualem suam auctoritatem -exercere nequeat ea et expedita libertate et independentia, queis pro sui ministerii ratione carere numquam potest.

Supremi Pontificis voluntate ad hunc modum adimpleta, infrascriptus nil reliqui habet, quam ut occasionem novo eventu oblatam nanciscens peculiaris aestimationis sensus erga te Excellentissime Domine profiteatur.

I. Card. ANTONELLI.

EX VATICANO

LITTERAE SANCTISSIMI PATRIS AD EMINENTISSIMOS S. R. E. CARDINALES DATAS DIE XXIX SEPTEMB. MDCCCLXX DE SACRILEGA URBIS INVASIONE.

PIUS PP. IX

Dilecti Filii, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

« Dominus Noster Iesus Christus qui humiliat et sublevat, mortificat et vivificat **(1),** flagellat et salvat (2), permisit nuper ut haec romana urbs Supremi Pontificatus Sedes in hostiles manus incideret una cum reliqua illa parte ecclesiasticae ditionis, quam inimici ipsi aliquandiu ab usurpatione immunem relinquendam censuerant. Paternae Nos caritatis affectu adducti erga dilectos Filios Nostros S. R. E. Cardinales, ac in Ipsis cooperatores huius supremi Nostri Apostolatus respicientes, constituimus hodie in luctu et moerore Nostro Eisdem declarare, uti officii Nostr ratio postulat, et ipsa Nos conscientiae vox urget, intimos animi Nostri sensus, queis palam et aperte hunc praesentem rerum statum detestamur ac reprobamus. Nos enim qui licet indigni et immerentes vicaria Christi Domini in terris potestate fungimur, et qui Pastor sumus in universa domo Israel, nunc libertate illa carere reipsa experimur, quae ad regendam Ecclesiam Dei, eiusque rationes curandas omnino Nobis necessaria est, atque hanc protestationem a Nobis emittendam esse ex officii Nostri debito sentimus, eam publicis etiam consignare litteris in animo habentes, ut universo catholico orbi veluti par est, innotescat. Nec vero cum ereptam ademptamque Nobis huiusmodi libertatem testamur, illud potest ab adversarius Nostris reponi, huiusmodi querelam et declarationem fundamento carere: nemo enim est sanae mentis quin videat et fateatur, quod erepta Nobis suprema illa ac libera potestate, qua in publici cursus usu proindeque in publico epistolarum commercio civilis Nostri Principatus iure frue-

(1) Ueg. 2, 6. - (2) Tob. 13, 2.

bamur, et cum fidere non possimus Gubernio ipsi quod eam sibi potestatem arrogavit, necessaria expeditaque via ac libera facultate prorsus destituamur negotia agendi, quae Iesu Christi Vicarius et communis Fidelium Pater ad quem Filii ex omni wbe confugiunt, omnino pertractare ac expedire debet. Quae sane observatio recenti etiam facto luculentius confirmatur, quod superioribus diebus accidit, quibus scilicet ii qui e Vaticani Nostri domicilii limine egrediebantur, perquisitioni subiecti fuere, explorantibus novi Gubernii militibus, si quae illi sub vestimentis occulerent. Contra huiusmodi rem reclamatum est eique reclamationi erroris obtentu et excusatione responsum. At quis nesciat quam facili negotio huiusmodi alluci nationes iterari ac aliae ex aliis suboriri possint?

» Gravissimum praeterea malum in hac alma urbe institutionis publicae rationi impendet: non enim longe est ut in Lyceo magno Urbis annuus disciplinarum cursus instauretur, atque ille locus qui, maxima licet fere mille ac ducentorum iuvenum frequentia celebratus, hactenus tranquillitatis ac ordinis exemplo fuit, unicurnque perfugium tot christianis honestisque parentibus, quo filios suos audiendos absque hauriendae corruptionis periculo mitteient, ille quidem sive ob falsas erroneasque quae tradentur doctrinas, sive ob eorum ingenium qui ad eas tradendas eligentur, in eam conditionem prolapsurus esse intelligitur, quae a veteri longe discrepabit. Significatum porro fuit vigentes in Urbe leges, eas ipsas occupata urbe integras inviolatasque permansuras, et tamen, hisce declarationibus irritis, tabularía ipsa Paroeciarum Urbis per vim excutiuntur et' indagantur; nec obscurum est id fieri ad illas cognitiones petendas, quae tabulis fortasse militarium conscriptionum conficiendis inserviant, atque aliis finibus, qui facile perspici possunt. Hisce accedit, quod insectationes et iniuriae ab ultionis cupiditate et partium studio profectae impunitae relinquantur, eademque impunitas servata est quoad foedas et indignas contumelias, quibus fideles Nostrorum militum cohortes de societate ac religione optime meritae, honestis viris dolentibus, fuerunt affectae. Ordinationes demum et decreta nuper edita quoad Ecclesiae bona, quo spectent usurpatorum consilia, iam satis aperte declararunt. Iamvero contra haec omnia, quae iam gesta sunt, ac ea etiam quae deteriora imminent, su-

prema Nostra auctoritate protestati intendimus, quemadmodum hisce Nostris litteris in praesentia protestamur queis, Tibi dilecte Fili noster, ac singillatim unicuique ex S. E. R. Cardinalibus, notam facimus peculiarium rerum quas breviter attigimus expositionem, id Nobis praeterea sumentes, ut alias uberiorem sermonem instituamus. Interea Omnipotentem Deum fervidis ac non intermissis precibus obsecremus, ut inimicorum Nostrorum mentes illuminet, quo desinant animas suas ecclesiasticarum censurarum laqueis in die magis obstringere, et terribilem Dei viventis ac videntis iram, cuius non est qui effugiat manum, in se concitare. Pro parte autem Nostra constanti animo ac humilitate divinam Maiestatem exoremus, Immaculata Deipara et Beatissimis Apostolis Petro ac Paulo deprecatoribus adhibitis, idque agamus sancta innixi fiducia ea quae petimus impetrandi, quoniam iuxta est Dominus iis qui tribulato sunt corde, ac prope est omnibus invocantibus eum in veritate. Tibi interim dilecte Fili Noster pacem et gaudium a Domino Nostro Iesu Christo adprecantes, Apostolicam Benedictionem ex intimo corde profectam peramanter impertimus.

» Datum Romae apud S. Petrum die 29 Septembris S. Michaeli Archangelo sacra. Pontificatus Nostri Anno vicesimoquinto.

PIUS PP. IX.

EPISTOLA SANCTISSIMI PATRIS.

Reiectis petitionibus de Urbe danda reiectisque promissionibus nomine Regis Victorii Emmanuelis factis per legatum Romam missum, hanc epistolam eidem Regi dedit Pontifex.

Maestà !

« Il Conte Ponza di S. Martino mi ha consegnato una lettera che a V. M. piaeque dirigermi; ma essa non è degna di un figlio affettuoso che si vanta di professare la fede cattolica, e si gloria di regia lealtà. Io non entrerò ne'particolari della lettera, per non l'innovellare il dolore che una prima scorsa mi ha cagionato. Io benedico Iddio, il quale ha permesso che V. M. empia di amarezza l'ultimo periodo della mia vita. Quanto al resto, io non posso ammettere le domande espresse nella sua lettera, nè aderire a' principii ch' essa contiene. Faccio di nuovo ricorso a Dio, e pongo nelle mani di Lui la mia causa, che è intieramente la Sua. Lo prego a concedere abbondanti grazie a V. M. per liberarla da ogni pericolo, e renderla partecipe delle misericordie* ond'EUa ha bisogno.

» Dal Vaticano, 11 Settembre 1870. « Pius PP. IX. »

Maiestas !

VERSIO. ***Redditae mihi sunt per Comitem Pontiam a S. Martino litterae, quas Maiestati Tuae ad me mittere placuit, sed eas minime dignas esse perspexi Filio benevolo, qui decori sibi ducit fidem catholicam profiteri, regiaque fidelitate gloriatur. Haud equidem epistolam singillatim expendam, ne recrudescere sentiam dolorem , quem primo eius obtutu percepì. Benedictus Deus, qui dedit Maiestati Tuae, ut ultimam vitae meae periodum amaritudine compleret! Ceterum, petitionibus in epistola expressis annuere non possum, nec adstipulari principiis in ea contentis. Rursus ad Deum confugio, atque Eius manibus causam meam commuto, causam alioquin omnino Suam. Ipsum adprecor, ut affatim Maiestati Tuae gratiarum dona concedat, quae eam ab omni periculo custodiant, atque misericordiarum quibus indiget participem efficiat.***

Ex Vaticano die Ii ***Septembris*** 1870.

LITTERAE APOSTOLICAE

QTJIBUS AD ALIUD OPPORTUNIUS ET COMMODIUS TEMPUS CONCILIUM TATI CANUM SUSPENDITUR.

PIUS PP. IX.

Ad futuram rei memoriam.

« Postquam Dei munere oecumenici Vaticani Concilii celebrationem inire anno proxime superiori Nobis datum est, vidimus sapientia, virtute ac sollicitudine Patrum, qui ex omnibus orbis terrarum partibus frequentissimi convenerant, maxime adnitente, ita res gravissimi huius et sanctissimi operis procedere, ut spes certa Nobis affulgeret eos fructus, quos vehementer optabanius, in religionis bonum et Ecclesiae Dei humanaeque societatis utilitatem ex illo fore feliciter profecturus. Et sane, iam quatuor publicis ac solemnibus sessionibus habitis, salutares atque opportunae in causa fidei Constitutiones a Nobis eodem sacro approbante Concilio editae ac promulgatae fuerunt, aliaque, tum causam fidei tum ecclesiasticae disciplinae spectantia, ad examen a Patribus revocata, quae suprema docentis Ecclesiae auctoritate brevi sanciri ac promulgari possent. Confidebamus istiusmodi labores communi fraternitatis studio ac zelo suos progressus habere, et ad optatum exitum facili prospereque cursu perduci posse; sed sacrilega repente invasio huius almae Urbis, Sedis Nostrae, et reliquarum temporalis Nostrae ditionis regionum, qua contra omne fas civilis Nostri et Apostolicae Sedis Principatus inconcussa iura incredibili perfidia et audacia violata sunt, in eam Nos rerum conditionem coniecit, ut sub hostili dominatione et potestate, Deo sic permittente ob imperscrutabilia iudicia sua, penitus constituti simus.

» In hac luctuosa rerum conditione, cum Nos a libero expediteque usu supremae auctoritatis Nobis divinitus collatae multis

modis impediamur, cumque probe intelligamus minime ipsis Vaticani Concilii Patribus in hac alma urbe, praedicto rerum statu manente , necessariam libertatem, securitatem, tranquillitatem suppetere et constare posse ad res Ecclesiae Nobiscum rite pertractandas; cumque praeterea necessitates fidelium, in tantis iisque notissimis Europae calamitatibus et motibus, tot Pastores a suis Ecclesiis abesse haud patiantur; idcirco Nos, eo res adductas magno cum animi Nostri moerore perspicientes, ut Vaticanum Concilium tali in tempore cursum suum omnino tenere non possit, praevia matura deliberatione, motu proprio, eiusdem Vaticani oecumenici Concilii celebrationem usque ad aliud opportunius et commodius -tempus per hanc Sanctam Sedem declarandum, Apostolica Auctoritate tenore praesentium suspendimus, et suspensam esse nunciamus, Deum adprecantes auctorem et vindicem Ecclesiae suae, ut submotis tandem impedimentis omnibus, sponsae suae fidelissimae ocius restituat libertatem ac pacem.

» Quoniam vero, quo pluribus et gravioribus periculis malisque vexatur Ecclesia, eo magis instandum est obsecrationibus et orationibus nocte ac die apud Deum et Patrem Domini Nostri Iesu Christi, Patrem misericordiarum et Deum totius consolationis, volumus ac mandamus, ut ea quae in Apostolicis Litteris die i **1** Aprilis anno proxime superiori datis, quibus indulgentiam plenariam in forma Iubilaei occasione oecumenici Concilii omnibus Christifidelibus concessimus, a Nobis disposita ac statuta sunt, iuxta modum et rationem iisdem litteris praescriptam in sua vi, firmitate et vigore permaneant, perinde ac si ipsius Concilii celebratio procederet. Haec statuimus, nunciamus, volumus, mandamus, contrariis non obstantibus quibuscumque; irritum et inane decernentes si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

» Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrorum suspensionis nunciationis voluntatis mandati ac decreti infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei èt Beatorum Petri ac Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum. Ut autem eaedem praesentes litterae omnibus quorum interest innotescant, volumus illas seu earum exempla ad valvas Ecclesiae Lateranensis et Basilicae Apostolorum nec non S. Mariae Maioris

de Urbe affigi et publicari, sicque publicatas et affixas omnes et singulos quos illae concernunt perinde arctare, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent.

» Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 20 Octobris anno 1870. Pontificatus Nostri anno vicesimoquinto. »

N. GARD. PARACCIANI CLARELLI.

EX S. CONGREGATIONE SS, RITUUM.

BERGOMEN.

BE CONTROVERSIA EXCITATA DE SANCTIS MARTYRIBUS BERGOMATIBUS DOMNO, DOMNIONE ET EUSEBIA.

Die 20 Augusti 1870.

Compendium facti. Bergomi in Italia exstat templum S. Apostolo Andreae dicatum, quod iamdiu existebat extra Castri Bergomatis muros, anno Christi Domini 785. Sub medio altari recondita quiescunt corpora Sanctorum martyrum Domni, Domnionis et Eusebiae, qui martyrium subiisse Bergomi traduntur initio saeculi IV in persecutione Diocletiani et Maximiani. Bergomates eos uti martyres venerati sunt atque vençrantur: eorum nomina Romano Martyrologio sunt inscripta: eorundemque martyrum officium S. Sedes adprobavit sub Pontificibus Sixto V et Pio VII.

Dubia modo excitata sunt de genuitate huius longaevae traditionis. Namque in Tomo duodecimo eruditissimi operis quod a percelebri scriptore Bollandio incepit, cui titulus ***Acta Sanctorum,*** commentarius continetur, ad diem vicesimam nonam Octobris, qui hunc titulum praesefert: ***De S. Eusebia Virgine, eulta ut mar-***

lyre Bergomi in Italia. Huius commentarii Auctor sibi persuasisse visus est, Sanctos Domnum, Domnionem et Eusebiam martyres haud esse, dubia saltem movens de traditionis martyrii genuitate; quamquam definitivum hac de re iudicium S. Congregationi SS. Rituum remittat.

Quum huius rei notitia pervenisset ad Episcopum Bergomensem, omnem Antistes curam adhibuit, ut quae in dubium posita fuerant adversus Bergomensis ecclesiae traditionem in suam lucem restituerentur: idque duplici de causa fecit, tum ne honore martyrii defraudarentur Sancti illi, cuius possessio a S. Sede esset quoque admissa; tum etiam, ne scandala in populum derivarent si notitia commentarii illius vulgaretur.

Quare rem prius examinandam commisit Antistes Sacerdoti Bergomensi Petro Uccelli, viro in re archeologica perito, qui de his martyribus iam duo opuscula Bergomi ediderat anno 1850, et 185i, ***Dell'autenticità dei corpi e degli alti dei Santi Martiri Domneone, Domno ed Eusebia:*** postea vero documentis scriptisque collectis rem definiendam proposuit S. Congregationi.

De more S. Congregatio votum Consultoris in re archeologica periti exquisivit, qui scripturas, a dicto Presbytero Bergomensi in defensionem genuitatis traditionis martyrii deductas, laudans, opinionem suam pro genuinitate traditionis patefecit.

Hac occasione, in causa proponenda, ex officio significatum quoque est S. Congregationi, nonnulla alia, facilitate nimia nimisque fidenter, edita esse a nonnullis aetatis nostrae eruditis, quae adversantur historicis traditionibus in Romano Martyrologio admissis; quod constat quantum ad illud caute emendandum adlaboraverat viri doctissimi Cardinalis Baronius et Benedictus XIV, et quam caute in hisce emendationibus sit procedendum, cuius definitivum iudicium ad S. Congregationem pertinet.

His significatis, quaestio de qua agimus S. Congregationi dirimenda proposita est. De more argumenta utrimque adducta perstringimus.

Disceptatio synoptica.

ARGUMENTA AB AUCTORE COMMENTARII SCRIPTA ADVERSUS GENUINITATEM TRADITIONIS. Auctor Bollandianus in suo commentario initio ani-

madvertit, in more positum fuisse iuxta Romanas leges, ut cadavera extra moenia sepeilirentur, eandemque legem innovasse Theodosium adversus gliscentem contrariam consuetudinem: amantibus autem fidelibus prope martyrum tumulos quiescere aut non procul altaribus eucharisticis, quam primum licuit, extructas fuisse circum oppida aedes sacras, Basilicas communiter dictas, quae omnes aut pene omnes coemeteriales essent. Hoc aedificiorum genere carere haud potuisse Castrum antiquissimum, cuiusmodi erat Bergomum, angusto murorum ambitu conclusum: atque inter eiusmodi sacras aedes, Basilicas appallatas, illam S. Andreae reperiri: eandemque sacram aedem, furentibus licet temporis vicissitudinibus, anno 1401 adhuc incolumem mansisse: eoque anno novam celebritatem Basilicae illi accessisse, ex facto quod sic narratur ab oculari teste Castello de Castello, qui erat Notarius Bergomensis: « Anno 1401 die dominico 24- Iulii, in mane » apertum fuit unum lavellum, existens in ecclesia S. Andreae » sub altari magno dictae ecclesiae, per totum Clerum Bergomi; » in quo lavello reperta fuerunt tria corpora martyrum, scilicet » Dominonis et Domnonis et Eusebiae, amborum nepotum dicti » Domnonis de Bergomo, ut apparebat per scripturam super uno » lapide quadrato, reperto in dicto lavello; et quae corpora ego » Castellus vidi, et legi dictam scripturam: et quod lavellum fuit » apertum ut plueret, eo quia tum erat maximum siccum, ita » quod arbores, vites et fructus siccabant, et post paucos dies » pluit. Et die 1 Augusti dicti anni clausum fuit dictum lavellum.

» Et die 27 dicti mensis Iulii duo lavella fuerunt inventa sub » duobus altaribus, existentibus in corporibus sanctis Divi Ale» xandri; sub uno dictorum altarium inventum fuit corpus do» mini sancti Narni Episcopi et de crapa ipsius S. Orcebati scatu» riebat de aqua clarissima; et quasi omnes Bergomenses faciebant » accipere aliquantulum de ipsa aqua cum summa solemnitate; » quod altare est a mane parte dictae ecclesiae; et sub alio altare » inventum est Corpus S. Viatoris Episcopi, et quod est a sero » parte dictae ecclesiae in corporibus sanctis.

» Et facta fuit maxima solemnitas per totum Clerum Bergomi » et per maximam partem populi Bergomi. Et die dominico ul» timo Iulii celebrata fuit una solemnis Missa iuxta portam S. Alejo xandri intus sub Ulmo, et praedicatum fuit de inventione di-

» ctorum corporum; et terminatum fuit, quod dicta lavella (quae
» lune rupta fuerunt faciendo unum foramen in dictis laveUis
» tam magnum, ut unus homo potuisset ponere duo pugna cum
» brachiis) deberent bene claudi dicta duo foramina, quod nullus
» deberet dimittere aliquid de dictis corporibus.

» Et hoc fuit factum propter maximam siccitatem aquarum
» et ut Dominus Deus faceret pluere. Et die sequenti post dictam
» inventionem pluit in civitate et alibi in districtu eiusdem, et
» modicum tempestavit, et die ultimo mensis pluit et tempestavit.»

Lapis autem quadratus, de quo mentionem facit in hac narratone Castellus, sic est inscriptus

HIC REQVIESCVNT
IN PA' B' M' DOMNIO
CVM NEPOTIBVS SVIS
EVSEBIA ET DOMNONE
DEP' DOM NO AVVS XVII
K' AVCVS' EVSEBIA HII
NOVEMB' DOMNIO
NON' IAN'

Quamvis autem haec non indiligenter scripta tradantur, corrigenda tamen esse notabat Commentarii Auctor, iuxta alia exemplaria ita, ut in quinta linea legendum sit ***Domnio*** non autem ***Domno*** et septimae lineae praemittendam esse litteram K'.

His positis authenticis documentis, aiebat, inter ipsos Bergomates videri plures dubitare, an initio saeculi XV recte patres sui statuerint vera martyrum corpora a se inventa fuisse, ut colligi posset ex scriptione Finactii, qui omnium ultimus de his rebus commentarium edidit.

Quaenam autem sint dubitandi argumenta facile posse di vinari. Eaque ita coniecit Auctor commentarii de quo agimus: primum argumentum esse, ante illam inventionem plane ignotos fuisse illos sanctos martyres: eorum nomina non reperiri in Martyrologio Hieronymiano; neque in Romano parvo, Adonis, Rabani, Wandelberti, Notheri et Usuardi aut in aliis eorundem actuariis: similiter eorum nomina non legi in Kalendariis Bergomensibus saeculi XI et XII olim a Mario Lupo descriptis, ***Codex diplom ei-***

vitat, et eccles. Bergomatis: nullam earundem passionem, quae inventione illa antiquior sit, umquam Bergomi repertam esse aut alibi.

Quod si respondeatur, Bergomates et alios quatuor uti martyres venerari quorum corpora reperta anno 1291, quique inscripti pariter non sint in iisdem Kalendariis: notandum esse, negasse tum Muratorium tum Zannetium eos fuisse martyres: quibus, si Marius Lupus copiose et erudite respondit, afferre tamen argumenta antiquiora anno 1291 non valuerit.

Secundum argumentum est, Domnonis et Domnionis nomina vix aut ne vix quidem in usu fuisse initio saeculi IV.

In his autem nominibus plura consideranda esse, videlicet, in libera republica odiosam fuisse domini appellationem; sed sub Imperatorum principatu paullatim vulgarem evasisse, ita ut amici se inter salutandum domini vocabulo appellarent, atque intra ipsos domesticos parietes, uxor maritum, frater fratrem, parentes filios, et vicissim, venerationis aut amoris causa dominos dicerent: huius consuetudinis vestigia in lapidibus superesse (1).

Interea crescente accentus potestate, primam vocabuli syllabam quasi longam factam esse, et proxime sequentem vicissim tanto breviorem, atque mox suppressam: unde vocem ***Domnus*** loco ***Dominus*** ortam esse.

Initio hanc appellationem fuisse communem, ut quae Gallica nunc in usu est, ***monsieur;*** sed paullatim in nomen proprium inter christianos esse conversam, adeo ut, ad finem saeculi III et initio sequentis, inter martyres et Patres Nicaenos, potissime orientales, iam pauci aliquot reperiantur proprio nomine dicti Domni et mulier nuncupata Domna.

Proximum esse, ut hinc nomen ***Domnio*** efformaretur; florentibus enim latinis litteris, iam ad imitationem Graecorum irrepsisse diminutivam seu potius *munto punat»* formam ***io*** non solum in nominibus communibus, sed et in nominibus propriis **(2);** ve-

(1) Cf. de Phialis rubricatis pag. 28 et 29; Edm. Le Blant, Inscriptions Chrétiennes de Gaules, n. 202 t. 1 pag. 279 et seqq.

(2) **ID** nominibus communibus, ut, pusio, homuncio senecio ; ia nominibus propriis ut, Tyrannio, Dorio, Olympio^ Acanthio, Glabrio, Turpio, Assellio, Ephestio, Felicio, Publio, Rufio, Secundio, Communio, Ofellio, Ursio, yuartio etc. Marini, gli Atti e monumenti de' fratelli Arvali, pag. 249 et seqq.

rum tamen ***Domnio*** rarum nomen, nullumque esse Episcopum, qui Conciliis adfuisse legatur, qui hoc nomine appellaretur, neque reperiri in veterum inscriptionum collectionibus.

Quod si quidam Episcopus et alter Gubicularius inter martyres colantur, die 11 Aprilis Solonae in Dalmatia, qui hoc nomine ***Domnio*** appellentur; quum tamen eorundem passio a fabulositate vacua non sit, ***Acta Sanctorum, tom.*** 2 ***pag.*** 5, eorum aetatem constitui certo non posse: hoc quidem nomen occurrere in scriptione quadam Veronensi hisce verbis concepta: **DOMNIONI. BENEMERENTI - QUI VIXIT AN. XL MEN. VIII - V IDUS OCT. IULIANO III ET SALUSTIO -** coss. Maffei, ***Museum Veronense pag.*** 310 ***n.*** 5, sed eandem scriptionem antiquiorem non esse anno 353.

At vero in nomine ***Domnone*** certius novitatis indicium; quum hoc nomen aliud non sit quam ***Dominus;*** ut de S. Fulco; quem appellatum esse constat et Fulcum et Fulconem. At eiusmodi formas valde differre, neque vocem ***Damno*** induci potuisse, nisi quum latina lingua plurimum esset corrupta.

Re quidem vera priscis Romanis tum nomen ***pavum*** notum fuisse tum ***pavonem*** et pauca aliquot alia nomina id genus. Sed nomen ***Domno,*** aliam causam habere. Coniiciebat videlicet Commentarii Auctor nomen ***Domno*** ex corruptione linguae provenire ab accusativo ***Domnum,*** vel ab ablativo ***Domno;*** quorum quidem corruptorum nominum vestigia ad initium saeculi [V referri non possent.

Tertium argumentum coniiciebat idem Auctor ex epitaphii verbis: Hic **QUIESCUNT IN PA**. B. M. **DOMNIO CUM NEPOTIBUS** etc. quae sine controversia explanari deberent hac ratione: ***Hic quiescunt in pace bonae memoriae, Domnio etc.*** non autem: ***Hic quiescunt in pace beati Martyres Domnio etc.*** Adnotabat autem eam integram formulam, Edmundum Le Blant, ***Inscriptions Chrétiennes des Gaules pref. p.*** **9,** in Gallus non reperisse inscriptam ante annum 488; sed dein saeculo VI multum fuisse in usu. Antiquissimum titulum Romanum: ***Hic requiescit,*** scriptum fuisse anno 396: verba, ***bonae memoriae,*** in Romanis titulis non reperiri ante annum 342, De Rossi, ***Inscriptiones christianae pag.*** 59. Dictionem, ***in pace,*** antiquissimam esse, sed, ***requiescit in pace,*** Romae non inveniri ante annum 401, Le Blant, ***loc. cit. p.*** 215 n. 501. Quare

difficile Archeologo suaderi posse has omnes dictiones vario tempore inductas, simul prima vice occurrere in Bergomensi epitaphio.

Eo magis, quod simile exemplar Bergomi superesset dicti epitaphii Bergomatis, in quo et certus adscriptus esset annus, his verbis: Hic **REQUIESCIT IN PACE** B. M. **IOANNES. - EPS' QUI VIXIT AXN**. I M. xxii-**DP. SV**. (alias xii) K. D. **IND. HII IMPER. -IUSTINIANO**. Hunc enim esse ipsissimum titulum ex quo Bergomates S. Ioannem Episcopum martyrem effinxerint, qui, testimonio Pauli Diaconi aliorumque, floruit ad finem saeculi VII, de quo conferendus Muratori ***Annales Italiae, t. i p.*** 117, Ronchetti, ***Memorie, t.*** 1 ***p.*** 63, Ughelli, ***Italia sacr. t.*** 4 ***coll.*** 413 ***edit. venet.*** Imperante autem Iustiniano II, Indictionem IV Constantinopolinam mense Novembri aut Decembri cucurrisse cum anno 690; adeo ut ex similitudine scriptionis reliquisque expositis, omnia vergere viderentur ad concludendum, ss. Domnionem, Domnonem et Eusebiam, non sub Maximiano Hercúleo martyrium fecisse, sed vixisse multo post, saeculo forte VII.

Quartum denique argumentum coniiciebat idem Auctor, quod alii simili errore illusi fuissent. Enarrabat enim, ineunte saeculo XVII, quum Sardiniae incolae incidissent in titulos, quorum magna pars siglas B. M. idest: ***bonae memoriae,*** aut ***beatae memoriae*** haberet, sibi persuasisse, penes se esse beatorum martyrum coemeterium: inde trecenta corpora extulisse, quorum vigintiquinque dederint Placentinis cum nonaginta aliis Reliquiis: errorem autem Sardorum ab omnibus fuisse agnitum, ***Acta Sanctor. t.*** 5 ***p.*** 219, Muratori ***Antiq. Ilai. t.*** 5 ***col.*** 17.

Similia contigisse Nolanis, qui, repertis nonnullis lapidibus, et perperam lectis, existimaverint, **SANC** M. Sanctum Martyrem significasse, Remondinius, ***Della Nolana eccl. Storia 1.*****1** ***p.*** 510, ***et t.*** 3 ***p.*** 74; Ughelli ***loc. cit. col.*** 253 etc.

Haec quidem argumenta coniecit Auctor commentarii, pro illis Bergamotibus qui de genuinitate traditionis dubitarent; at praeterea duo argumenta expendit, quae potissimum in contrarium afferri solerent, eaque disiicere curavit.

Animadvertit, praeter Castellum, qui testis ocularis fuerat, cuius testimonium supra recitavi, alios afferri, videlicet, testimonium Michaelis A. Carrariensis, qui quasi coaevus inventioni, haec scripta reliquit: «Anno redemptionis nostrae 1401 inventa fuerunt

» corpora Sanctorum nostrorum Domneonis, Domnonis et Euse-
» biae virginis, Bergomi civium, in aede divi Andreae.» Item testimonium Marci Antonii Benalii in haec verba: <r Anno Christi
» nativitatis 1401, die 24 Iulii, qui erat dominicus dies, quum
» praecessisset perseveraretque maxima aeris siccitas... animi
» angustia premebantur Bergomates: namque non solum terrae
» fructus, cibo aptos, arescere cernebatur, sed etiam arbores et
» vites. Quum igitur divinum invocandum esse auxilium arbitra-
» retur, ***itum est ad urbis Bergomi Episcopum, Franciscum nomine,***
» noviter electum; a quo supplicationis modo postulantes, respondit
» ipse, legisse se in quadam antiqua schedula sepulta esse antiqui-
» tus tria martyrum corpora in aede sacra divi Andreae. Rati vero,
» si haec invenirentur, futurum esse ut plueret, statuerunt con-
» gesseruntque processionis seriem, quibus se ducem praebuit
» Episcopus. .. quum illic devotissime applicuissent, aperuerunt
» monumentum quoddam, sub altari magno existens praedictae
» ecclesiae, ibique reperta sunt tria illa beatorum martyrum cor-
ii pora. Paucis post diebus pluvia abundanter e caelo cecidit; et
» primo die Augusti anni eiusdem clausere dictum monumen-
» tum. . . Haec habuimus ex memoriali codice Castelli Bergoma-
» tis et ex LC et ultimo libro Annalium Italiae Michaelis Car-
» rariensis.»

His autem recitatis testimoniis tum Michaelis Carrariensis tum Benalii, inter cetera animadvertit commentarii Auctor, Benalium floruisse circa annum 1530, et neque Castellum neque Carrariensem, ex quibus narrationem Benalius desumpsit, verba facere de Episcopo Francisco et de lecta ab eo antiqua schedula: ideoque dicendum haec potius Benalium divinasse, et quidem pessime.

Quod perperam divinaverit Benalius ex hoc deprehendi, quod Episcopus Fr. de Lantis tum non esset Bergomi Episcopus. Namque animadvertit commentarii Auctor, Luduvicum Bonettum constitutum esse Episcopum Bergomensem anno 1399: anno autem 1401 hanc episcopalem cathedram dimisisse, quum Archiepiscopus Pisanus creatus esset: vacasse deinde eam sedem, quando anno 1401 die dominico 24 Iulii inventio eorum corporum facta esset: namque historia tradit, die 24 Septembris anno 1401 quendam Mordinum de Bottanuco, electum vicarium Capitularem, concessisse Blaxio de Cluxiano, Episcopo Berytensi, Pontificalium

exercitium: postea nonnisi die dominico 26 Novembris eiusdem anni 1401, ut Castellus testis ocularis tradit, Franciscum de Landis de Pisis (Episcopum designatum per litteras Apostolicas die 4 Augusti) ***honorifice intrasse Bergomum pro Episcopo, scilicet, cum vestimentis ornatis et debilis ad faciendam intratam.***

Ex qua rerum historia concludebat idem commentarii Auctor, Clericos, non Episcopum universum hoc perfecisse negotium; ideoque perperam Benalium divinasse.

Alterum argumentum, quod pro genuitate traditionis Bergomensis afferri posset, petebat idem Auctor ex Ecclesiae consuetudine ponendi sub altari sanctorum martyrum corpora. Ostendit namque a primis Ecclesiae saeculis hanc fuisse Ecclesiae consuetudinem, sic S. Ioannes ***Apoc.*** 6, 9 « ***Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei;*** » sic in Libro Pontificali (edit. Bianchini t. 1 p. 27) traditur S. Felix Papa I, qui anno 284 martyrium fecit, constituisse supra sepulcra martyrum Missas celebrari; sic S. Optatus Milevitanus (adversus Parmen. opp. edit. M igne col. 1605) appellavit altaria, structa super martyrum sepulcra, sedem Corporis et Sanguinis Christi; idem cecinit S. Prudentius in Peristephano de Altari sepulcrali S.Hippolyti, et passim.

Attamen coniiciebat, si corpora martyrum non haberentur, non propterea amissas fuisse Altarium constructiones: hanc fuisse semper christianorum curam, ut sanctissimis locis post mortem ipsi conderentur, ut sociarentur sanctorum martyrum sepulcris aut in Oratoriis et Basilicis eorum componerentur; eiusmodi fidelium desiderium vicisse quoque leges tum civiles tum ecclesiasticas: ecclesiarum autem fundatoribus permissum fuisse quod aliis esset negatum: hinc in lapide quodam fracto, olim Arélate eruto legi :. .. EXTRUCTOR. TEMPLI, QUO CORPORIS, ARTOS ORNA. SEPULCRALIS RETINET. CUM PACE PERENNI. QUIQUE. . . Le Blant, ***loc. cit. tom.*** 2 ***pag.*** 273.

Propterea s. Ambrosium, quum Basilicam Ambrosianam extruxisset, locum sibi sub altari elegisse, quem postea cessit ss. Gervasio et Protasio, ***Epist.*** 22 ***n.*** 13 ***Opp. t.*** 3 ***col.*** 1023. Et in testamento s. Ephraemi haec legi: « Si quis fallacibus rationibus » ausus fuerit, sub altari me collocare, supremum ac coeleste » altare talis nunquam videat. Non enim decet vermem putredine » scatentem in templo et Sanctuario Domini reponi; sed neque

» alio in loco templi permittatis me poni. » At vero, quamvis haec s. Ephraem scripta de se reliquerit, non tamen haec omnium fuisse sensa; ideoque neque tantum defunctos Episcopos collocari potuisse sub altari, sed etiam alios; praesertim vero templi extructores, quibus permitteretur facilius quod aliis esset denegatum: neque absurdam esse coniecturam Marii Mutii, qui in scribenda Bergomensi historia, Sanctis de quibus agimus, adscripsit templi s. Andreae aedificationem.

Haec Auctor commentarii de quaestione praesenti: omittimus quae adversus genuinitatem actorum horum martyrum adiecit, quae eadem fere ratione in dubium posuit

EA, QUAE-DEDUXIT IN CONTRARIUM EPISCOPUS BERGOMENSIS. E COnverso praefracte Episcopus initio negavit, templum s. Andreae fuisse ***coemeteriale,*** prout ex adverso supponebatur; atque ostendit, unam fuisse Bergomi coemeterialem ecclesiam, eamque fuisse vetustissimam cathedralem s Alexandri, de qua re consulendus quoque Lupus, praeclarissimum ecclesiae Bergomensis ornamentum, qui suis historicis investigationibus tantum lumen rei archeologicae et canonicae affuderit, ***Cod. dipi. n. M.'i animadv.*** 27, ***et diss.*** 6 ***col.*** 354 ***de Alexandrino polyandro.*** Quod si etiam admitteretur contra factum historicum, templum s. Andreae fuisse coemeteriale, contrarium esse coniiciendum; idest propterea fideles ibidem sepeliri exoptasse, ut penes martyrum corpora quiescerent: atque ita corporum martyrum existentiam arguendam.

Ad documentum Castelli, quod supra recitavi; animadvertit, Auctorem commentarii illud desumpsisse ex Chronica a Muratori edita, quam repetiit Fi netti: sed mendosam esse, ita ut ex verbo quoque male lecto alium Sanctum Muratorius creaverit, idest, ***s. Ocerbatttm,*** quum in codice vetustissimo membranaceo in Bibliotheca Bergomensi asservato, ibi legatur, ***ipsius sancti oriebatui ;*** et in adducto ab Auctore commentarii documento, cum dicto codice collato, se reperisse viginti tres saltem errores.

Adnotavit praeterea epitaphium propositum sic forte accuratius corrigendum: in secunda linea scribendum quoque esse ***Domno*** loco ***Domnio:*** in tertia linea ***Domnione*** loco ***Domnone:*** et ponepdam esse literam ***K*** ante ***Novemb/***

Fassus praeterea est Episcopus nullum esse, inter notos scriptores, qui de his martyribus dubitaverit: omnia acta SS. Yisita-

tionum eorum cultum testari: nonnulla Ieria dubia fuisse tantum recens excitata a Presbytero Ioanne Suardi, eademque diluisse Presbyterum Uccelli in epistola Bergomi edita anno Í851.

His praemissis, singula persequens quae in contrarium supra exposui, animadvertit: non posse admitti, ante inventionem factam anno 1401, plane ignotos fuisse sanctos illos. Duas enim fieri posse de rebus ignotis inveniendis hypotheses, vel quod casu inventio contingat; vel inspiratione divina fiat: neutrum autem in themate contigisse, sed data opera inventionem factam esse per omnem clerum, magna solemnitate, ex publica causa ad obtinendum quadam animi securitate divinum auxilium.

Sed praeter eiusmodi animadversionem, quae iam ex sese sufficiens esset ad retundendam eam coniecturam contra possessionem traditionis, duo documenta adduxit, quae ostenderent, ante illam inventionem eos sanctos martyres iam Bergomi notos fuisse: idest quandam vetustam chartam in archivio Capitulari asservatam, qua describuntur omnes Reliquiae positae in Concathedrali S. Vincentii ab Episcopo quodam Ambrosio, qui floruit ab anno 1023 ad 1057; inter has Reliquias connumerari Reliquiam S. ***Domnini civis Bergomi.*** Domnini videlicet loco Domnionis, prout ea aetate scribi quoque soleret; cuius rei exemplum exstaret in ipso documento a Castello conscripto, et asservato in Bergomensi Bibliotheca.

Item in alia simili charta, in archivio monasterii S. Gratae Bergomi asserata, legi, quod Carolus Magnus « ***instauravit ecclesiam S. Andreae Apostoli extra muros urbis, ubi tria corpora Martyrum et civium Bergomensium iacent videlicet Domui, Domnini et Eusebiae.»***

Quod horum martyrum nomina desiderentur in allegatis ex adverso Kalendariis ex eo posse oriri, quod in ecclesia Bergomensi non alia haberentur Kalendaria praeter ea, quae Sanctos recensèrent ad cathedralem spectantes, quorum officia in cathedrali celebrabantur: at vero repertum esse Kalendarium ab Angelo Mazzoleni viro in criticis investigationibus versato et fide dignissimo, qui haec sua manu notavit ex Kalendario, quod asservatur in archivio a Misericordia dicto: ***S. Domnone, Domneone ed Eusebia - Ignoti nel Martirologio ms. di S. Grata,*** 1491 c. 113, ***e nel Messale di Misericordia c.*** 123. ***S. Domneone è scritto Dom-***

leonis, c. 123. ***S Domneone nel ms. messale di Misericordia è in Gennaio - S.*** *Doninone* ***in Luglio, nel Breviario ms. di Misericordia si trova*** 17 ***Kal. Aug. c.*** 127.

Quaestionem vero a Muratorio, motam non de quatuor martyribus sed de uno martyre, aliam habere causam, quae nihil commune haberet cum praesente quaestione: eamque copiose sapienterque more suo expendisse et diluisse Marium Lupum.

Ad coniecturas depromptas ex usu radice et inflexione eorum nominum, animadvertit, usum plura docere: et quod attinet ad nomen ***Domnionem,*** admittendum iam esse ex adducto superius Veronensi epitaphio ab anno 363; alium quoque ***Domnionem*** venerari in Dalmatia, quidquid in contrarium dici velit: immo adiungendum quoque, Romae venerari in Patriarchali Basilica Lateranensi cum officio ***de communi martyrum*** unum ex ***Domnionihus:*** ad quendam ***Domnionem*** S. Hieronymum suos commentarios in libros Paralipomenon direxisse.

At vero nomen ***Domnonis,*** quod tamquam certum novitatis indicium ex adverso tradebatur, claris notis legi in hoc epitaphio: D. M. - **VLVLO. DOMNONI - QUI. VIX. ANIS XXX - AURE. CERALIS - FRUM. LEG. ADR**. IL - B. M. F. Quod quidem epitaphium anno 1867 casu vidit Romae Pres. Uccelli in effossionibus factis ad Thermas Caracallae ab eq. Ioanne Rapt. Guidi: illudque epitaphium (quod in loco repertum fuerat, ubi erant horti Cincinnati, ut putatur, et in publicos hortos conversi a G. Cesano) ita Archeologo^ legere adnotavit: ***Vivio Domnoni, qui vixit annos XXX, Aurelius Cerealis Frumentariae legionis Adrianae secundae bene mer enti fecit.*** Unde concludebat, si ***Domnones*** Romae extiterint Adriani tempore, potuisse quoque esse tempore Maximiani, quo tempore traditur martyres, de quibus agimus, fecisse martyrium: atque ita omnes lingüisticas coniecturas ex adverso prolatas eo ipso concidere: eo magis, quod Bergomates essent colonia Romana ex Tribu Voltinia.

Similia animadvertit Episcopus quoad integrum epitaphium, quasi vero incredibile esset, ut omnia classica lapidaria dicta, pedetentim inducta, simul reperirentur in epitaphio de quo agimus initio saeculi IV. Animadvertit scilicet inter cetera, Auctorem commentarii regulas hac in re desumere praesertim ab Archeologo Le Blant, qui de inscriptionibus gallicis opus confecit: easdemque regulas facile exceptiones admittere, quum de rebus

Italiae agitur: atque non sine contradictione, epitaphium illud referri ad saeculum forte VII, quum hoc saeculo iamdiu cessaverit forma graeca diminutiva in ***io,*** ceu Auctor commentarii innuerat, atque ideo loco ***Domnonis*** et ***Domnionis*** inveniri debuisse nomen ***Domui*** et ***Domnini.***

Ceterum non deesse inquiebat coniecturas suadentes lapidem illum fuisse insculptum saeculo quarto labente, quando pace Ecclesiae data, martyrum corpora forte recondita fuerint in una eademque arca, accurate designato cuilibet depositionis die, iuxta S. Cypriani praeceptum ***epist.*** 37 ***ad Clerum,*** « Denique et dies » eorum, quibus excedunt adnotate, ut commemorationes eorum » inter memorias martyrum celebrare possimus. » Id temporis lapidem fuisse inscriptum suadere quoque pulchram literarum romanarum formam, cuius exemplum dabat: neque admitti posse nostram inscriptionem desumptam esse ab inscriptione allata S. Ioannis; quum haec inscriptio numquam extiterit, nisi in cerebro cuiusdam fr. Caelestini.

Inania esse pariter, quae e contrario adducebantur, saec. XVII simili errore deceptos esse incolas Sardiniae et Nolanos; satis namque esse legere harum rerum allegatas historias, ut illico appareat , eiusmodi exempla cum nostro themate nihil commune habere.

Inani quoque studio ex adverso infirmari testimonium Benalii referentis scripta tum Castelli tum Carrariensis; animadvertit enim, in praesentia non amplius existere historiam a Carrariensi descriptam; ideoque affirmari non posse; ***neque Carrariensem de Episcopo Francisco et de lecta ab eo antiqua schedula verba facere.***

Quod Benalius divinaverit, affirmari non posse: quamvis enim, historia docente, sedes Bergomensis die 24 Iulii 1401 vacaverit, eadem docente historia, die 4 Augusti eodem anno Franciscum de Lantis per litteras apostolicas designatum fuisse Episcopum: eiusmodi authenticam designationem non posse affirmari inopinato factam, quin idem Franciscus, qui iam Episcopus erat vicinae dioecesis, negotium quod gereretur de sua translatione nesciret: neque posse affirmari, id pariter nescivisse Bergomense Capitulum et Clerum; praesertim ratione habita eorum temporum, quibus canonica electio vel postulatio a Capitulis canonice facienda, non adhuc esset penitus abrogata.

His positis, quae verisimilia salten! sunt, vide, an verba Benalii historice pugnent: ***Cum igitur divinum invocandum esse auxilium arbilrarelur, itum est ad urbis Episcopum Franciscum nomine,*** NOVITER ELECTUM, ***a quo supplicationis modo postulantes, respondit ipse, legisse se in quadam antiqua schedula sepulta esse antiquitus tria martyrum corpora in aede sacra divi Andreae. . . quibus se ducem praebuit Episcopus.*** Cui rei sese ingerere poterat Episcopus electus, Capitulo consentiente, quum non esset administrationis dioecesanae actus. Quare neque affirmari posse, Benalium divinasse; multoque minus pessime divinasse: sed e converso eius scripturam indicia continere historicae veritatis.

Sed adnotatis aliis erroribus Bergomensis historiae, quum ab Auctore commentarii confunderetur templum S. Alexandri cum templo S. Andreae, animadvertit, simile factum eodem fere tempore contigisse Brixiae, quod sic narrat Biragus in ***Chronica Daliana pag.*** 17 ***not.*** 4. « ***Cum Anatolo obiusset Brixiae inter persecutionis Neronianae terrores, ita occulte conditus est, ut incerta apud plerosque sepulchri remaneret memoria. Attamen non defuerunt certa monumenta, praecipue catalogi veteres, quae illum prope Basilicam iacere in monte S. Floriani docerent: quibus innixus demum Dominicus Episcopus Brixianus anno*** 1472 ***reperit, ossaque ad cathedralem transtulit. »***

Perperam autem e contrario affirmari, potuisse recondi sub altari Sanctos de quibus agimus, per abusum vel tamquam templi S. Andreae extractores: eiusmodi enim esse simplices assertiones nulli fundamento innixas: constantem enim fuisse ecclesiae consuetudinem nonnisi martyres sub altari recondere; et rarissima habenda esse, si quae sint exempla (quorum nullum in contrarium afferebatur) sub altari reconditum esse aliquod corpus ecclesiastici viri sanctitate insignis: nostros autem sanctos esse omnes laicos, imo et feminam: eo magis, quod ea corpora recondita essent intra ipsum altare duabus marmoreis arcis recondita.

Processit inde Episcopus ad confutanda, quae e contrario asserta fuerant adversus genuinitatem actorum martyrii, a quibus ne longiores simus abstinemus.

VOTUM CONSULTORIS. Consultor plane admittens quae hactenus pro genuinitate traditionis disputavimus, eandem ex eo praesertim

genuinam putabat, quod extarent acta Martyrii, quae a scriptore saeculi quinti vel sexti repetenda esse arbitrabatur; et omnia haberent historicae veritatis indicia, si nonnulla, ex pietate potius adiecta, exciperentur.

His autem positis, atque documentis per summa capita indicatis quae traditionem et cultum usque ad nostra tempora perseverasse significarent, concludebat, non posse eiusmodi traditionem aetate nostra destrui per coniecturas carptim expiscatas.

His aliisque copiose eruditeque utrimque deductis, disputatum est in S. Congregatione

Dubium

« An argumenta allata a Patre de Buck probent in casu.»

RESOLUTIO. S. Congregatio SS. Rituum, causa discussa in comitiis habitis die 20 Augusti 1870, respondere censuit: ***Argumenta allata a Patre De Buck adversus traditionem, quae respicit Sanctos Martyres de quibus agitur, nihil probant.***

Facta autem relatione ad SSmum Patrem ; quoniam et alii Cultores ecclesiasticae historiae aut sacrae archeologiae facilitate nimia adversus eiusmodi traditiones historicas conficiendo et divinando scribere viderentur, SSmus Pater hac occasione iussit evulgari Decretum quod inferius referam.

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Historicas ecclesiarum traditiones cultum Sanctorum respicientes, maxime si aliqua recognitione S. Sedis admissae fuerint, frustra impugnari aut in dubitationem adduci per genéricas coniecturas ex archeologicis disquisitionibus deductas.

II. Praesumptio enim genuitatis veteris traditionis tam valida iure meritoque existimari debet, ut destructa non censeatur, nisi argumenta afferantur quorum vis declinari non possit.

HI. Immo, legibus logices praelucentibus, neque peremptoria contraria argumenta destruere possent omnem impugnatae traditionis extensionem et amplitudinem; sed tantum destruere, quantum falsum aut corrigendum esse ostenderent.

IV. In huiusmodi enim criticis disquisitionibus eaedem sapientes leges valere dicendae sunt, quas in iuridicis disquisitionibus

de bonorum iuriumque possessione Romanae leges tradiderunt; ex quibus principium derivavit: ***melior est conditio possidentis.***

V. Quare in themate neque opus fuisset pro genuitate traditionis Bergomensem martyrum nova argumenta conquirere; sed satis superque fuisset argumenta opposita declinare vel per simplicem negationem vel per probabiles hypotheses.

VJ. Immo argumenta contra traditionis genuitatem in themate allata, rite expensa, quamquam erudite exposita, adeo levia visa sunt, ut neque hypothesibus opus esset, ut diluerentur (1).

(1) Non difficile contingit eruditis viris, ut iuxta propriam cogitandi rationem aliquid sibi suadeant: qui, ob magnam eruditionem, in qua iugiter versantur, facile cumulant argumenta, quibus, quod suaserint, sibi ostendi posse videatur. Nihilominus, quando argumenta allata in facto et in iure ad tramites logicarum legum expendi debeant, saepe deficere reperiuntur. Non enim eruditio, quae est opus memoriae et diligentiae, pari gradu procedere solet cum aequo iudicio et recta rerum aestimatione, quae est opus intellectus.

Porro argumenta in themate allata adversus genuitatem traditionis, ni fallor, neque indigent hypothesibus probabilibus in contrarium faciendis ut dicantur; sed simplici negatione repelli posse videntur.

Sane primum argumentum erat negativum: id est, quod nomina martyrum de quibus agimus, non reperirentur in illis Kalendariis, quae clarus P. De Buck indicare potuit. Illud argumentum negativum, si logice exponeretur, his propositionibus constaret: Sancti illi martyres, si tales essent, reperiri debuissent inscripti illis Kalendariis: atqui illis Kalendariis inscripti non sunt: ergo illi non fuerunt martyres, vel non cogniti saeculo XI et XII uti martyres.

In hoc argumento salis est negare propositionem maiorem, atque proinde consequens et consequentiam, quin suppetat spes probandi contrarium.

Secundum argumentum, quod nomina Domnonis et Domnionis vix et ne vix quidem in usu essent initio saeculi IV, quod est minus speciosum quam prius, in has propositiones logice exponeretur. Dicta nomina, si quae in usu erant initio saeculi IV, erant certe rarissima: atqui haec nomina rarissima non poterant Bergomi reperiri: ergo Domno et Domnio Bergomenses sunt ficta no*-mina.

In hoc secundo argumento satis est negare minorem, atque proinde consequens et consequentiam, quin spes ulla adsit contrariae probationis.

Tertium argumentum, quod lapis ille sepulcralis inscriptus esset classicis dictionibus, quae initio saeculi IV non omnes essent in usu, sic logice exponeretur. Dictiones illae simul iunctae non reperiuntur in usu initio saeculi IV: atqui, quod in usu non erat id temporis, non poterat esse in lapide Bergomensi: ergo lapis ille est posterior: ergo mendax.

Negatur saltem secundum consequens et eius consequentia, sine spe contrariae probationis.

Quartum argumentum, quod initiales litterae B et M significent *Bonae Memoriae* non autem *Beati Martyres,* ita logice exponeretur. Litterae B et M inscriptae lapidibus sepulcralibus signi-

BERGOMEN.

DECRETUM GENERALE

PRO CULTORIBUS HISTORIAE ECCLESIASTICAE ET SACRAE ARCHEOLOGIIAE AGENTIBUS DE SANCTIS, QUI IN POSSESSIONE SUNT PUBLICI CULTUS A SANCTA SEDE RECOGNITA ET ADPROBATA.

« R. Pater Victor De Buck e Societate Iesu commentarium quoddam de Sancta Eusebia Cive Bergomate Virgine et Martyre in lucem edidit in volumine duodecimo Actorum Sanctorum Bollandianae Collectionis ad diem 29 Octobris, quo in commentario plura congessit argumenta, quibus ipse martyrium inficiar! conatus est, non solum Sanctae ipsius Eusebiae, sed et Sanctorum Domni et Domnionis ac aliorum martyrum Bergomensem. Quum autem praefati Sancti Eusebia Domnus et Domnio inter Patronos minus principales Civitatis recenseantur ac insigni devotionis ac pietatis sensu a concivibus suis honorentur, ad avertendum scandalum, quod praefata opinio inter fideles praesertim Civitatis Bergomen, erit allatura, Rmus D. Petrus Aloisius Speranza Episcopus Bergomen., supplici dato libello, Sacrorum Rituum Congregationem

ficare solent *Bonae* vel *Beatae Memoriae:* atqui in lapide de quo agimus hae litterae inscriptae sunt: ergo in eo significant *Bonae* vel *Beatae Memoriae:* ergo ex iílis litteris non ostenduntur martyres.

Negatur consequentia et primum consequens; et impossibile erit contradicenti probare contrarium, nisi probet inductione perfecta, eas litteras initiales in lapidibus sepulcralibus semper significasse *Bonae* vel *Beatae Memoriae.* Concedi potest secundum consequens io abstracto consideratum.

Atque ita simplici negatione argumenta evanescerent.

Ceterum, si eruditisslmus P. De Buck non sibi proposuisset coadiuvare in dubitatione eos, si qui sunt, qui de genuitate traditionis dubitaverint, sed e converso defensionem traditionis sibi proposuisset, certus mihi sum, eum id tam splendide facere potuisse, ut quamvis dubitationis umbram eliminasset.

Mihi autem, qui archeologicis disquisitionibus delector quideto, quam* quam in his non sim versatus, magni ponderis sunt, omissis ceteris, dua illa facta quae pro genuitate traditionis militant: idest primum, quod ea beata corpora ab immemorabili tempore sancte fueriul custodita sancteque recondita sub altari eucharistico. Secundum, acta Martyrii, quae, saltem quoad substantiam, a viro, qui in re archeologica aliquantulum sit versatus, negari serio noa possent esse conscripta multis saeculis a<ite beatorum corporum inventionem.

adiit enixe deprecans, ut huius negotii examen ipsa susciperet, ac decerneret quid sentiendum esset de huius Bollandiani Scriptoris commentario. Instante itaque praefato Rmo Episcopo, Emus et Rmus D. Cardinalis Carolus Sacconi huius Causae Ponens designatus in ordinariis Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis sequens dubium discutiendum proposuit, nimirum « ***An argumenta allata a Patre de Buck probent in casu ?*** »

» Emi porro ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, licet prae oculis habuerint summam utilitatem quam Ecclesiae Catholicae attulit magna Bollandiana Collectio adversus heterodoxorum de Cultu Sanctorum commenta; tamen, accuratissime perpensis omnibus Documentis ad Causae huius elucidationem copiose adductis, hanc edixere sententiam, videlicet « ***Argumenta allata a patre De Buck adversus traditionem, quae respicit Sanctos Martyres de quibus agitur, nihil probant.*** » Die 20 Augusti 1870.

» Facta autem de praedictis per infrascriptum Sacrae eiusdem Congregationis Secretarium SSmo Domino Nostro Pio Papae IX fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habere ac confirmare dignata est. Mandavit insuper ut admoneatur omnes Cultores studiorum Historiae Ecclesiasticae et Sacrae Archeologiae, ***ut quandocumque agitur de Sanctis vel Beatis, qui, approbante Sancta Sede, sunt in possessione publici Cultus Ecclesiastici, caute se gerant, ac prae oculis habeant regulas hac de re traditas a Benedicto XIV in Litteris Apostolicis de nova Martyrologii Romani Editione*** n. 2 ei 18: De ***Servorum Dei Beatificatione et Canonizatione Lib. IV Par. II Cap. XVII n.*** 9 ***et*** 10. ***Ibidem Lib. IV Part. II Cap. XIII n. 7 et S, ubi agitur de Breviario Romano*** (1). Die 1 Septembris anni eiusdem.»

C. Episcopus Portuen. et S. Rufinae
CARD. PATRIZI S R. C. Praefectus

Loco Sigilli

Dominicus Bartolini S. R. C. Secretarius.

(1) Videsis Appendicem I.

lì S, CONGREGATIONE CONCILII TRIDENT, INTERPRETUM.

ORDINIS SUBDIACONATUS ET DISPENSATIONIS.

Die 13 Augusti 1870.

Factorum expositio. Ioachim Lusitanus e patre divite natus, publicoque munere quo fungebatur insignis, ab ineunte aetate longe a paterna domo in urbem A studiorum causa missus fuit a parentibus. Pubertatem attingens vexationes patris matrisque experiri coepit, qui in mentem habebant eum, vellet nollet per fas et per nefas ecclesiasticae militiae nomen dare debere, quique eo molestias perduxerunt, ut nonnisi coactus et patre adstante, in quem oculos nec convertere audebat quin contremisceret, Ioachim minores ordines susceperit.

Maior sed factus et tempore properante quo ad Subdiaconatum conscendere debebat, parentum saevitiae in dies auctae sunt, iisque ita premebatur, ut aegro animo et terrore comprehensus, feriis advenientibus, in patriam remearet. Reluctantem enim et protestantem, se nunquam maiores ordines suscepturum, pater materque minis suspensionis alimentorum verberibusque **MA**-ctaverunt, ut voluntas illius tam firmiter obsistens tandem aliquando in eorum vota concederet.

Ad incitas redactus, laicum etiam gubernium adivit, ut inter milites saltem recenseri valeret; sed frustra: deficiente enim parentum consensu miles fieri nequivit. Itaque, sacrae ordinationis die properante, publicationes locum habuerunt non quo pater commorabatur, quia eo in loco vexationes parentum erga filium hunc omnibus innotuerant, sed in urbe B ubi fortuito natus erat Ioachim: qui tandem invitus et reluctans, vi metuque compulsus urbem C una cum aliis Ordinandis petere debuit, eum comitante patris famulo fidelissimo, cuius praesentia aeque ac illa patris premebatur. In itinere pluries et coram pluribus aperte professus

est se nolle Subdiaconatus ordinem suscipere protestatusque etiam fuit se Sacerdotem nunquam futurum. In urbe vero C titulum falsum ordinationis carpere pertentavit, ut patrem eludere suamque libertatem simul servare posset. Sed rebus omnibus ei male cessis, et omni spe deiectus, hora ordinationis adveniente, sacras vestes pluries suscipiens deponensque signa non dubia dedit adstantibus, eius adversionis sacris ministeriis se addicendi. Tandem ictu ad altare compulsus, absque ulla reverentia ordinem Subdiaconatus suscepit quem nunquam in posterum exercuit, immo reclutantiam suam actis posterioribus confirmare sategit, numquam in Theologiae studia incumbens, nec clericorum vestibus incedens, nee~sacrum ministerium exercens.

Post huiusmodi ordinationem, patre satisfacto, in urbem D se contulit paternis sumptibus, iurisprudentiae studiis operam daturus: hisque ita alacriter manum admovit, ut iurisconsulti egregii fama in praesens auctus merito fuerit, opesque plures cumulaverit.

Porrecto itaque episcopali Curiae urbis A supplici libello, petiit, ad tramites Benedictinae constitutionis, ***Si datam,*** processum fieri super nullitate ordinis Subdiaconatus, articulos exhibens super quibus testes rogari debebant, testesque inducens. Obstitit reconventionali libello ordinis Defensor, contra quem repetitionem Actor illico exhibuit, atque hinc examen formale coeptum est in Curia episcopali adstantibus etiam Actore et ordinis Defensore. Sed Curia episcopalis nullam sententiam edidit. Tunc processus exemplar misit Ioachim ad S. C. C. petens ut ordo Subdiaconatus sibi collatus irritus declararetur, sin minus dispensatio ei concederetur a castitatis voto, aliisque oneribus Subdiaconatus ordinis. Episcopo scripsit S. C. pro informatione et voto, quod eius Delegatus dioeceseos regimini Ioachimo favorabile emisit. Quum autem sententia lata non esset, S. C. iterum Episcopum rogavit ut hac super re sententiam proderet. Tunc Vicarius Generalis quaestionem dirimendam censuit hisce verbis. « Proinde haud dubium videtur Actorem, quamvis invitum, non autem omnino ac simpliciter invitum dici posse, sed tantum secundum quid, quomodo invitus et coactus dicitur mercator, qui merces suas in mare saeviente tempestate proficit, ut nempe vitae suae

» consulat. Si autem ordo Actori non omnino ac plene invito » collatus fuit, pro valido habendus est (1).»

Hac accepta sententia, assueto Decreto, ***Ponatur in folio,*** .causa disputata est sub dubiis infrascriptis, cum Allegatione ex parte Ioachim, et animadversionibus Defensoris ex officio.

Disceptatio synoptica.

ACTORIS ARGUMENTA. EX his quae ab Actoris Defensore fuse allata sunt, quaedam et praecipua tantum delibamus. Antequam nullitatis suscepti ordinis quaestionem propius aggrederetur, nonnulla praenotabat ipse circa processus regularitatem. Inquiebat initio non praesumi Actorem bonis moribus imbutum processum irregulärem Romam mittere voluisse, ubi facile fuisset nullitatem, si quae adfuisset, detegere. Multoque minus praesumi Sacram Congregationem decretum, ***Ponatur infolio,*** edidisse, quoties processus regularitas in dubium revocari potuisset.

Intrinsecus autem processum nihil habere de quo redargui posset, cum omnes ad unguem adhibitae essent Benedictinae Constitutionis, ***Si datam,*** praescriptiones: quae quidem Constitutio pro causis nullitatis professionis religiosae unice prolata, nonnisi ad abundantiam casibus nullitatis ordinis applicari posset. In casu, Actoris instantiam praecessisse quae testes proponebat articulosque ipsis deferebat: testes omni exceptione maiores sive propter aetatem sive propter conditionem iudicialiter vocatos fuisse, et interposito iuramento interrogatoriis suppositus coram Vi-

ii) Haec sententia a Vicario Generali edita, iuridice considerata, erat valde informis: erat potius quaedam erudita dissertatio, in qua allegabantur textus S. Scripturae, habebantur nonnullae psycologicae notitiae, et indicabantur quaedam vetusta historica facta de Sanctis Patribus, qui invitos et reformidantes sacro ordine initiaverint. Sed non perstringebantur in. facto et in iure motiva ex ipso processu accuratissime desumenda, quae ad sententiam sic et non aliter concedendam ducerent. Ideoque sententia erat potius vaga quaedam opinio Vicarii Generalis, quam formalis sententia suis stipata motivis.

Processus tamen in hac causa erat valde regularis: desiderabatur nihilominus examen parentum Ioachimi. Praeterea idem processus non fuerat a Curia transmissus ad S. CC in forma authentica : idest neque subscriptus neque sigillis munitus; ita ut quaestio inde orta sit, an processus esset necne authenticus et a Curia episcopali transmissus.

cario Generali et Defensore ex officio, qui et ipse iuratus examini adfuit prout a Benedictina Constitutione praescribitur, rationesque suas contra nullitatem exposuit.

Nec referre, quod Defensor ordinis interrogatoria non dederit, vel quod Actor examini interfuerit: nihil enim esse in ea Constitutione quae primum ita praesciebat ut, interrogationibus deficientibus Defensoris ex officio, processus vitietur; cum id ostendat, nihil ipsum habuisse, quod rogationibus ab Actore delatis adiiceret. Praesentiam deinde Actoris in examine, nunquam nec ullo modo vetitam esse. Parentum examen ideo posthabitum fuisse, quia nullitatis probationes superabundarent. Ad S. Congregationem Concilii tamquam in primo gradu non in gradu appellationis causam traxisse, propterea quod Curia B nunquam sententiam ferre voluisset, eaque de causa ipsum, non Curiam Episcopalem, acta ad S. Congregationem misisse.

Post haec, bipartitam orationem proponens, quoad primum dubium, in priori capite theologiae quaestionem aggrediens, ostendebat, ex defectu voluntatis neque gratiam consequi Ordinandum, neque characterem in eo imprimi. Atque hoc loco apprime monebat in omnibus voluntatem esse spectandam, et praesertim in nonnullis sacramentis, quorum fundamentum et basis est voluntas dantis et accipientis, licet gratiam conferant ex opere operato. In sacris ordinibus praeter signum sensibile, idest materiam et formam, Ordinantis Ordinandique intentionem requiri, ut ita gratia invisibilis per signum visibile communicetur, ***D. Thomas Summa part.*** 3 ***quaest.*** 68 ***art.*** 3 ***Concil. Florentin. in Decret. Eugenii IV ad Armen.*** Hoc principium confirmari in ***Decret, lib.*** 3 ***tit.*** 42 ***cap.*** 2 ***de Baptismo in fine*** ubi legitur: ***Tunc ergo characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem contrariae voluntatis non inveniat obsistentem.***

Actualem vel saltem ***virtualem*** voluntatem ad validitatem suscepti ordinis necessariam esse. In themate omnes testium depositiones in id concurrere, ut actualem et virtualem voluntatem excluderent. Neque his obicem parare iter ab urbe ad urbem peractum ut ordinem susciperet, quasi ex hoc itinere voluntas aliqua ordinem habendi erumperet. Contrariam namque voluntatem extra dubium ponere, omissionem studiorum Sacrae Theologiae, tentamen ingressus in militiam ut ordinationi se subtraheret,

tentatum titulum falsum suscepti ordinis obtinendi, eius sermones, itinere durante, quibus (ex illorum testimonio omni exceptione maiori, qui cum eo iter fecerunt urbemque C petierunt, ut et ipsi ordines susciperent) aversionem suam ab ordinatione constanter exprimeret, ipsumque iter sub pressione gravis metus inceptum perfectumque, comitante famulo patris fidelissimo et terribili. Constare ipsum pluries vestes sumpsisse ac reposuisse cum iam Ordinandi coram Episcopo accederent, nulla reverentia ordines suscepisse, nunquam in posterum ordinem exercuisse, vel sacris vestibus incessisse. Has concomitantes et subsequentes circumstantias culmen probationibus imponere, defectum actualis virtualisque voluntatis demonstrantibus : qua deficiente voluntate, neque gratiam neque characterem Ioachimum consecutum fuisse **(1).**

At vero, omissa quaestione de validitate ordinationis in se consideratae, an videlicet ille, qui metu coactus sacro ordine initietur, gratiam et characterem suscipiat: hac quaestione inquam omissa, alteram Defensor est aggressus, id est, an Subdiaconus ex vi metuque gravi ordinatus, quidquid de ordinis validitate dici velit, teneatur ad onera Subdiaconatu adnexa ex ecclesiastica lege.

Atque iterum recolebat Orator, quae Auctores tradunt de gravi metu deque coactione quam appellant ***causativam,*** animadvertens in casu nefas esse dubitare de gravis metus existentia: omnes namque testes uno ore deposuisse de minis, indignatione patris, saevitiis, comminatione electionis e domo privatiónisque alimentorum, verberibus, pressione famuli, qui patrem repraesentaret etiam in actu ordinationis; hisque accessisse protestationes susce-

(1) Animadvertant Lectores, ne accuratam theologicam doctrinam apud Canonistas, multoque minus apud Causídicos, quaerant: sed eam quaerant apud doctos theologos. Sic ex. gr. de Subdiaconatu, immo etiam de ordinibus minoribus, Canonistae loqui solent tamquam de sacramentis, quae gratiam conferant ex opere operato et imprimant characterem. Sic ex. gr. Card. De Luca, in iurisprudentia canonica celebris, quando agit de quaestionibus de ordinibus minoribus saepe mentionem facit de charactere. Canonistae solliciti plerumque sunt de sacrorum ordinum analogia, ut iura deducant: et cum Sacra Ordinatio imprimat characterem et conferat gratiam ex opere operato, quidquid sub nomine Sacrae Ordinationis iuxta Ecclesiae ritum aliquo sensu comprehendi potest, facile eodem in censu hhuent, et eodem modo considerant.

ptionem antecedentes, sacrae ordinationi proximae, de quibus similiter testes loquerentur. Cum vero metus gravis violentiae aequiparetur in iure, cumque vis actum gestum nullitate afficiat, dubitari non posse Subdiaconatus ordinem, tali metu susceptum, nullum esse saltem quoad onera ordini adnexa.

Verum, dato etiam, quod metus gravis non probaretur satis, timorem reverentialem saltem intercessisse extra dubium esse ex toto processu. Nec metum reverentialem extingui in casu, ex eo quod valuisset Ioachim metus effectus avertere. Omnia enim, quae tentari poterant, Ioachimum adhibuisse constare, eumque adeo timidum fuisse, ut nec in patrem oculos convertere auderet, quin cdhtremisceret.

His autem positis, animadvertebat Orator, in canonica iurisprudentia satis esse exploratum, onera Subdiaconatui adnexa non contrahi, si Subdiaconus, coactione causativa seu gravi metu coactus, ordinatus fuerit: eiusmodi enim onera, praesertim continentiam, sive ex voto implicite praescripto, servandam, sive ex constitutione ecclesiastica, esse aliquid ordini Subdiaconatus extrinsecum: et eiusmodi causas in iure aequiparari solere causis similibus de Matrimonio et Professione religiosa, Barbosa ***Vot. decis.*** 77; Pitonius ***discept, eccl.*** 177, in qua n. 1, multas allegans auctoritates, haec scripsit: « Supposita ordinatione per vim et me-
» tum, nulla cadit dubitatio, quominus, data etiam impressione
» characteris, nunquam tamen sic ordinatus tenetur ad votum
» continentiae tamquam coactum et nullum. Sola igitur ratio du-
» bitandi consistit in circumstantia facti. . . »

Huic doctrinae consonare, adnotavit Orator, tum S. ROTAM ***in Valentina Ordinis Subdiaconatus coram Caesare de*** *Grassi,* relata inter ***decis, divers.*** 561 *p.* 1, in qua fuit conclusum Ordinatum
» ex coactione causativa, ad continentiam ex iure non teneri, ita
» ut opus non sit Summum deprecari Pontificem pro dispensa-
» tione. » Item in Causa ***Leodien. Ordinis Subdiaconatus, coram Emerix iuniore decis.*** 870.

Pariter penes S. C. C. eandem doctrinam esse confirmatam in ***Namurcen. Dispensationis,*** quae, prius proposita die 16 Decembris 1724, negativo responso fuit dimissa: propositis enim dubiis:
« I. An Orator teneatur ad votum continentiae in casu: et qua-
» tenus affirmative : II. An sit locus dispensationi in casu: » re-

sponsum prodiit: ad I. ***Affirmative:*** ad II. ***Negative.*** Non enim gravis metus demonstratus fuerat.

Eadem causa reproposita est die 19 Novembris 1729, nonnullis extraiudicialibus testibus adductis, et proposita dubitandi formula: « An et in qua parte sit standum vel recedendum a de-» cisis in casu: » responsum prodiit: ***Dilata, et examinentur testes formiter, et scribatur tam Ordinario Leodien., quam Namurcen, iuxta instructionem*** (1).

Denique causa proposita 10 Martii 1731 responsum prodiit: ***Praevio recessu a decisis, non teneri ad votum continentiae.***

Pariter in causa ***Gratianopolitana*** coram S. C. C. proposita die 3 Iulii 1762; in ea propositum tantum fuerat dubium super dispensatione his verbis: « An sit locus dispensationi a voto con-» tinentiae in casu:» quum autem constaret de gravi coactione paterna ob quam orator Subdiaconatum susceperat, S. Congregatio respondit: ***constare de nullitate voti continentiae.***

Haec quoad primum dubium super nullitate. Ad aliud gradum faciens subdebat, quoties nullitas suscepti ordinis reiiceretur ex utroque capite proposito, gratiam dispensationis negari non posse loachimo, I° quia religione et bonis moribus praestaret: 2° quia in iuvenili adhuc aetate versaretur, qua cupiditates fervent: 3° quia Deo voluntaria sacrificia arrideant, non coacta: 4° quia illegiti-

(1) Instructio, quae scripta fuerat Episcopo Namurcensi haec continebat: « Quod testium depositiones, in eius re-» latione enunciatas, praevio formali ex-» amine, ac servatis servandis recipi » mandaret, illasque transmittendo refer-ret, de quo tempore dictus orator de » Canonicatu provisus fuerat, an eidem » Canonicatui ordo sacer sit adnexus, et » an a die suscepti ordinis usque ad » praesentem diem in dicto Subdiacohatus ordine ministraverit.»

Instructio vero directa Episcopo Leodiensi haec continebat: « Ut audito Epi » scopo Thermopolensi Suffraganeo, qui » ordinem Subdiaconatus contulerat ei-» dem Oratori, referret super praetensis > violentus in susceptione dicti Ordinis » ei illatis, an scilicet super hoc puncto » aliquid sciret, aut ad eius aures perve-» nerit, tam de eo tempore, quam de prae-» senti; ac demum, an toto tempore, » quo idem Orator permansit in dioece-» si Leodiensi, unquam in suscepto Sub-» diaconatus ordine ministraverit.»

Relationes habitae ab utroque Ordinario continebant, oratorem illum anno 1718 Canonicatum obtinuisse per alterius resignationem, nec satis compertum esse, an eidem Canonicatui ordo sacer esset adnexus. Examen duorum testium superstitum afferebatur; ac denuo iidem Episcopi S. Congregationi supplicabant, ut Orator ab eiusmodi continentiae vinculo liberaretur.

mae fuerint publicationes extra urbem habitae, in qua patris domicilium constans erat, et in loco ubi fortuito ipse natus erat: 5° quia dubium esset, docente ipso Benedicto XIV ***de Synodo Dioecesana,*** utrum Subdiaconatus sacramenti rationem, virtutem et excellentiam habeat: 6° quia tantum saeculo XI volvente Subdiaconatus inter maiores ordines inceperit numerari: 7° quia continentiae onus neque esset de substantia ordinis neque ex iure divino descenderet, sed tantum ex voto implicito in Ordinationis actu emisso vel ab Ecclesiae consuetudine.

Iustissimam vero et rationabilem causam consulendi SSmum pro dispensatione, in eo positam esse, quod dubia saltem esset validitas suscepti ordinis et voti vel legis continentiae.

DEFENSORIS EX OFFICIO ANIMADVERSIONES. Praemonebat ipse primo loco, agi de re gravissima, et valde necessarium esse, ut vis metusque ad tramites iuris probentur. In casu etiam de processus existentia et authenticitate valde esse dubitandum, quia lato a S. C. rescripto, ***Episcopo pro informatione et voto, qui referat de antecedentibus, concomilantibus et subsequentibus ordinis susceptionem,*** loco Episcopi, dioecesis Gubernator informationem dederit, in eaque nihil de processu obmussitaverit. Exhibitionem documentorum a iudice ***a quo,*** ad iudicem ***ad quem*** desiderari; et non productis actis processualibus a iudice ***a quo,*** nequire Iudicem ***ad quem*** sententiam vel revocare vel confirmare. Insuper testium examen locum habuisse coram Actore, defensorem sacri ordinis interrogatoria non dedisse, nec processui subscriptionem apposuisse.

Ad causae meritum procedens affirmabat, testium dicta inter se pugnare: punitionum genera, quae pater minabatur nor explicari: minas aut nullimode exstitisse aut leves fuisse: eum licet a famulo comitatum, ob indolem fervidam qua polieret, potuisse, si voluisset, ordinationem fugere: eius irreverentiam in actu susceptionis ipsi adversari; namque, si hisce non obstantibus, ordinem susceperit, ideo suscepit quia voluit.

Non obstare Ioachimum protestatum fuisse, ob parentum minas se Subdiaconum esse, nunquam autem uti Subdiaconum ministrasse; haec enim reiiciebat inquiens, durioribus in casibus **S.** C. validitatem admisisse et praesertim in ***Pennen. Ordinis Sub-***

diaconatus et dispensationis 28 Iulii 1866 (1). In hac vero causa S. Congregationem pro validitate stetisse, licet antecedentia, concomitantia et subsequentia voluntatem abfuisse ostenderent, ob gravem metum iniuste Ordinato incussum. Eo magis in casu validitatem esse tenendam quod tam gravis metus non evinceretur.

Adnotabat enim, tria concurrere debere ut metus gravis iudicetur, I° ut malum quod timetur sit revera grave: 2° quod sit praesens: 3° quod sit inevitabile. Altero ex hisce extremis deficiente metum gravem dici non posse. In casu nullum ex hisce extremis inveniri: solere enim parentes alimentorum privationem filiis comminari, ut statum perfectiorem eligant, easque comminationes tandem resolvi in paternas exhortationes. In facto vero alimenta nunquam denegata fuisse post Subdiaconatus susceptionem, idque magni ponderis esse, quum ex ipsius Actoris confessione, omnia in ipsum adhibita essent, non ut Subdiaconus tantum, sed ut Presbyter fieret.

Demum Ioachimo semper ad Episcopum diffögium apertum mansisse, quo potuisset parentum persecutiones compescere. Quo non adhibito, ipsum in Ordinis susceptionem consensisse esse retinendum.

Primo dubio hisce argumentis absoluto, acriter contendebat, dispensationem non esse indulgendam: in eo praesertim insistebat, quod hoc disciplinae caput non debeat relaxari nisi ob bonum publicum publicasque causas.

Hisce aliisque copiose deductis, proposita sunt resolvenda

Dubia

I. « An constet de nullitate ordinis, ita ut Ioachim non te-
» neatur ad votum continentiae et ad alia onera ordini Subdia~
» conatus adnexa in casu.

» Et quatenus negative

» II. An sit consulendum SSmo pro dispensatione in casu.»

RESOLUTIO. S. Congregatio Concilii, causa discussa in comitiis habitis die 13 Augusti 1870, respondere censuit:

Ad I. ***Providebitur in secundo.***

Ad II. ***Affirmative.***

(1) Hanc causam exposui *in Yol. II pag.* ***443.***

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. Causas, quae moventur de nullitate sacrorum ordinum susceptorum ob vim et metum, considerari posse et solere sub duplici respectu: ***a)*** sub respectu validitatis ordinis in se considerati; ***b)*** sub respectu onerum, quae ex ecclesiastica lege sunt cuique adnexa.

II. Multo difficilius probari posse in foro externo nullitatem ordinis in se considerati; quum ostendi debeat voluntas positive contradicens in actu sacrae ordinationis.

III. Facilius posse demonstrari nullitatem onerum, quae ex ecclesiastica lege ordini sint adnexa.

IV. Eiusmodi tamen demonstrationem eiusdem generis esse, ac illa, quae exigitur in causis matrimonialibus vel professionis religiosae vi metuque emissae.

V. Probata coactione, quae in constantem virum vel in constantem iuvenem cadere possit, quaeque directe fuerit illata ad ordinem suscipiendum, onera sacro ordini adnexa ipso iure censeri nulla absque dispensationis ope.

VI. In themate, licet vis metusve Ioachimo illatus gravis videretur, atque proinde ipso iure ab oneribus Subdiaconatus solutus; attamen S. Congregationem magis expedire iudicavisse, ut Apostolica Dispensatio impertiretur (1).

(1) Confer causam huius generis, quam exposui in *Vol. II pag. 443,* nec ton alteram iu *Vol. I pag. 328, ia* quibus plenius doctrina forensis de hac materia exponitur,

SPONSALIUM.

Die 26 Iunii 1869, et 13 Augusti 1870.

Compendium facti. Contra Antonium, iamdiu viduum, ne ad alia vota transiret, impedimentum quod vocant ***nihil transeat*** posuit puella Assumpta in Episcopali Curia, promissionem matrimonii et stuprum causata ab eodem Antonio sibi illatum, ex quo prolem suscepit. Instructo iudicio, feminas quatuor testes ad id probandum produxit, quibus formali examini subiectis, altera deposuit, « se novisse amores inter Antonium et Assumptam, et » pluries virum mulieris domum adeuntem vidisse, seque etiam » saepe eam, viro instante, vocasse ut huius habitationem pete- » ret. Addidit, ex conscientia sibi notum esse, mulierem seductam » fuisse sub promissione matrimonii.» Altera ex testibus ait: « se » novisse seductiones et artes ab Antonio adhibitas, ut Assumpta » in eius vota concederet; illumque postea in huius domo vidisse, » qui Assumptae flenti ob eius rariores visitationes respondit - ***ne » timeas futura hebdomada Ecclesiam adibimus votum sollicitaturi*** - » (a spronare il voto). Tertia se nihil aliud scire protestata est, » quam quod puella, ex Assumpta nata, filia esset Antonii.» Quarta denique adiecit: « se olim Assumptae domum petentem, invenisse » ibi Antonium quem videns ita alloquta ***est-Euge Antoni***- (bravo » Antonio!) qui respondit - ***utique eam uxorem ducam*** - (sì che » la voglio sposare), quo accepto, ad mulierem conversa, ait: - ***ita » ne Assumpta*** - (è vero Assunta?), et illa respondit: - ***utique*** - (si » signora). »

Vir autem testes, qui contradicerent, non deduxit, forte putans ex testimoniis allatis sponsalium existentiam inferri non posse.

His acceptis testium depositionibus, sententiam episcopalis Curia edidit, habita quoque ratione honestatis mulieris, quam nonnisi sub futuri matrimonii promissione seductam censuit: edixit itaque : « plene constare liberam et voluntariam promissionem » et repromissionem de futuro matrimonio contrahendo inter An- », tonium et Assumptam, idest vera et legitima sponsalia, ac

» proinde ipsum Antonium in hac Episcopali Curia impeditum » remanere.»

Hac lata sententia, per interpositam ab Antonio appellationem, causa ad S. C. C. conscendit, ad quam transmissis omnibus actis processus a Curia, disputatum est, die 13 Augusti 1870: « An » sententia Curiae episcopalis sit confirmanda vel infirmanda in » casu: » et S. Congregatio respondere censuit: ***Sententiam esse confirmandam.***

Novam audientiam inde postulavit Antonius, atque quaestio, Causidico sibi advocato, iterum disceptanda proposita est.

Disceptatio gynoptica.

ARGUMENTA PRO SPONSALIUM NULLITATE. Antonii Defensor praemittebat in genere, contractum sponsalium liberam in matrimonio hominis voluntatem coarctare; ideoque non quolibet indicio aut populari rumore sponsalium existentiam demonstrari posse, sed concludentissima argumenta requiri, quae voluntatem viri et mulieris patefaciant, ceu passim apud S. C. C. nominatim vero in ***Melphicten. Sponsa!.*** 27 Iunii 1863,***in Venetiarum Sponsalium $*** Decembris 1863, ***et Neritonen. Sponsalium*** 1 Aprilis 1865. Sponsalia enim consistere in mentione et repromissione nuptiarum futurarum, /. 1 ***ff. de Sponsal.*** et bilateralem contractum continere, cuius duo sint elementa, idest promissio, et repromissio deliberata ac firma de futuro matrimonio, quorum unum si deficiat, contractus sponsalium concidat necesse sit.

In specie autem contendebat, nec verum nec praesumptum sponsalium contractum consistere. Nam ad verum huiusmodi con-r tractum promissionem viri tantum non sufficere, sed una simul mulieris repromissionem uno eodemque contextu editam requiri: et testium depositiones expendens, ostendebat, nec viri promissionem, nec repromissionem mulieris in casu subsistere. Testes enim omnes nonnisi de relationibus amatoriis minus honestis esse loquutos, et diversos sermones diversaque facta retulisse. Facta autem hypothesi, unam aut alteram Antonii expressionem, a testibus relatam, promissionem secumferre, cuiusmodi essent illae: ***& futura hebdomada Ecclesiam adibimus votum sollicitaturi:*** nun-

quam tamen mulieris repromissionem ex toio actorum processu adstrui posse.

Nec pro mulieris repromissione sufficere notabat, quod, Antonio adserente coram una ex testibus: « ***utique eam uxorem ducam*** » eidem testi Assumptam roganti «***ita ne?»*** haec responderit: « ***utique.»*** Id namque ad summum acceptationem continere, quae cum formali repromissione nullo modo esset confundenda.

Concludebat, I° quatuor allatos testes esse omnino singulares, quia non omnes unum idemque factum referrent, sed particulares circumstantias et distincta colloquia cum Antonio: 2° nullam ex feminis in examine excussis factum sponsalium formaliter contractorum retulisse, ideoque non constare de existentia legitimi contractus sponsalitii ex quo canonicum exurgeret impedimentum.

Ad praesumptum contractum removendum gradum faciens, statuebat in iure, tria esse huiusce praesumptionis elementa, I° promissionem veram et liberam futuri matrimonii: 2° copulam carnalem subsecutam: 3° honestatem notoriam mulieris. Atque haec tria elementa simul consistere debere, ut praesumptus contractus sustineatur, propterea quod factum copulae ex se contractum sponsalitium non constituat, ***Reiff, lib.*** 4 ***t.*** 1 ***n.*** 67. Quibus in iure praemissis, animadvertebat, in facto quatuor testes evidentis suspicionis labe infectos app'arere, tum quia feminae et viciniae Assumptae, tum quia singulare studium ad huius matrimonii conciliationem manifestarent. Sed ad argumentum propius rediens, observabat: promissionem viri, si qua existeret, copulam fuisse subsecutam: deficiente vero promissione ante copulam, primum praesumpti contractus elementum exulare. Secundum autem elementum silentio praeteriens, tertium abesse demonstrare curabat ex quodam extraiudiciali testimonio accolarum, quod Antonius sibi compara vera t in hac reproponenda càusa: quo quidem testimonio tota familia Assumptae tamquam pravis moribus dedita traducebatur.

At vero, quum periculum adesse posset, si S. C. a decisis recederei, ut Antonium cogeret ad dotandam mulierem et ad prolem ex stupro susceptam educandam, ultimo loco innuebat, actionem ex stupro in praesenti iudicio venire non posse. Agi enim de sponsalium validitate, non de damnis ex stupro mulieri illatis: et diversae omnino naturae obligationes a sponsalibus dimanare, et

a stupro. Priores enim obligationes oriri ex contractu et dirigi ad matrimonium ineundum. Alias vero ex stupro dimanantes, poenae naturam induere, tamquam ex crimine natas. Hinc diversas esse in iure actiones, quarum una instruitur ad normam ***Cap.*** 2 ***de spons. et Matrim,*** altera vero iuxta ***Cap.*** 1 ***et*** 2 ***de adult. et stupro:*** eiusmodi autem actiones simul commiscendas haud esse, atque in quaestionibus prae oculis esse habendum quaenam fuerit actio instituta, ***Card. De Luca de Iudiciis disc.*** 8 ubi scripsit: « subsistit etiam antiqua regula, quod sententia conformis esse » debeat libello, adeo ut extra petita condemnatio sequi non valí leat; » et hanc regulam S. C. C. secutam fuisse, ut in ***Asculana sponsal.*** 6 Martii 1868; in ***Melphicten. sponsal.*** 8 Iulii 1863.

ARGUMENTA PRO VALIDITATE SPONSALIUM. EX officio favore Assumptae inter cetera observabatur, in iure sponsalia non in specifica verborum formula, sed in reciproca voluntatis significatione subsistere. ***Gloss, in cap. tuae fraternitatis de spons.; Rota in Maioricen, sponsal.*** 25 ***Aprilis*** 1795, ***coram Bussio et passim.*** In facto autem reciprocam hanc animi significationem non deficere, quae si non verbis, factis tamen, quae verbis potentiora sunt, comprobaretur. Testes enim omnes uno ore de arctissima et diuturna familiaritate inter Antonium et Assumptam deponere; quod factum sine viri promissione explicari non posset, admissa Assumptae honestate quam nemo in discrimen revocaret.

His accedere mulieris deflorationem cum subsecuta praegnantia et prole: mulierem enim ceteroquin honestam, qualem omnes Assumptam praedicarent, tantam honoris iacturam passam non fuisse absque spe et fide oblati matrimonii iuxta ea quae tradit Reiffenst. Z. 4 ***Decret, de spons. et matr.*** §. 5 ***n.*** 68; S. ***Rota in Romana sponsal.*** 26 ***Ianuarii*** 1738 ***coram Nunen.*** Auctorem vero stupri Antonium fuisse in dubium revocari non posse.

Praesumptiones firmari ex testium depositionibus, quae promissionem viri copulae praeivisse satis significarent. Quo posito factum deflorationis perpessae in muliere, tacitae repromissionis loco haberi, ***Sánchez de Matrim, lib.*** 1 ***disp.*** 5 ***n.*** 7 S. C. C. ***in Veliterna sponsalium*** 9 Iunii 1855. Testes autem omnes deponere Antonium dixisse, se in animo habere Assumptam uxorem ducere ut suam cum ea familiaritatem excusaret. Quod si aliis haec

dixerat, multo magis tenendum mulieri dictum ab Antonio fuisse ut finem suum turpem assequeretur.

Demum promissionem viri, et mulieris repromissionem aperte existere in depositione unius ex testibus: quo praesente Antonius ait « ***utique eam uxorem ducam*** » cui Assumpta respondit « ***utique.*** » Quibus sane verbis promissionem viri, et mulieris repromissionem locum habuisse videri. His autem positis, naturalem obligationem consurgere et datam praestandi fidem, et illata damna emendandi.

His aliisque animadversis, proposita denuo causa est sub consueta dubitandi formula.

Dubium

« An sit standum vel recedendum a decisis in casu.»

RESOLUTIO. S. Congregatio Concilii, causa iterum cognita die 13 Augusti 1870 respondere censuit: ***in decisis.***

Ex EXPOSITA DOCTRINA COLLIGES:

I. Contractum sponsalium, quae in mutua ac deliberata promissione futuri matrimonii consistit, concludenter (seu validis argumentis quae dubitationem excludant) esse probandum.

II. Repromissionem ex parte mulieris posse identidem praesumi, si constiterit de deliberata promissione ex parte viri, quando mulier, ceteroquin honesta, in tantum sui dedecus devenerit, ut stuprum post dictam viri promissionem passa fuerit.

III. Eiusmodi praesumptionem stuprum ex se non inducere, si de deliberata promissione ex parte viri vel non constiterit, vel stuprum promissio non praecesserit.

IV. Vagam viri promissionem ob quam mulier, spe allecta matrimonii ineundi, copiam sui corporis fecerit, causam esse, si mulier fuerit ceteroquin honesta, ad virum seducentem cogendum ad damna reparanda sive per matrimonium sive alia congrua ratione.

V. Obligationes ex contractu sponsalium et obligationes ex seductione ortas in se differre; quum primae oriantur ex data fide.a qua sponsus altero invito resilire non potest: secundae vero

ex generali obligatione reparandi damna illata, quae variis modis reparari possunt (1).

VI. In themate ex omnibus adiunctis perpensis, quorum ul-

(1) Quod Causidicus in themate se eundo loeo contendebat (timens ne vir cogeretur ad reparanda damna, si forte S. Congregatio recessisset a decisis) sententiam conformem esse debere libello quo quaestio introducitur, ita ut Iudex sententiam ferre debeat iuxta petita, non autem extra id quod petitum fuerit et in quaestionemjion venerit; verum generatim est; praesertim quando, iuris ordine servato, quaestio agitetur in inferioribus tribunalibus. Id quoque servari solet penes SS. Congregationes; at non semper, quum SS. Congregationes fungantur quidem munere iudicandi, sed simul sint ampliori sensu administratrices iustitiae nomine Summi Pontificis: ideoque si iustitia exigat, ut extra petita iudicium quoque protendatur, nihil impedit quominus protendere possint, et non raro protendunt. In themate autem, si forte S. Congregatio a decisis recessisset , summa probabilitate adiecisset conditionem reparandi damna, comprehensa educatione prolis; habita praesertim ratione paupertatis mulieris, quae difficile aliud iudicium in inferiori tribunali sustinere potuisset super damnorum reparatione. Harum rerum neque exempla desunt in his ephemeridibus relata.

Dixi superius obligationes ex contractu sponsalium et obligationes ex seductione ortas in se differre. Quaeri facile potest : quid iuris, si vir, violans obligationem sponsalium, contraheret matrimonium, ut aiunt civile, cum alia muliere; atque deinde postulet idem matrimonium celebrare coram Ecclesia, reclamante prima sponsa? Posset ne Ordinarius facultatem facere, ut matrimonium coram Ecclesia contrahatur? Ad rigorem iustitiae certe non posset: impedimentum enim canonicum non cessat per illegitimum factum, quod falso nomine matrimonium appellant: unde ad iustitiae rigorem, si vir crimine concubinatus infici nollet, ad summum manere posset cum secunda muliere ut frater cum sorore.

At vero, quum vir in ea conditione se posuerit, quamquam ex iniquo facto, secundum quam non potest implere fidem datam primae mulieri, obligationes ex sponsalibus ortae convertuntur (non ex iustitiae rigore, sed ex canonica aequitate) in obligationes illas quae ex generali obligatione derivant reparandi damna illata : ita ut nec videatur Ordinarius posse facultatem facere contrahendi matrimonium coram Ecclesia nisi prius vir damna illata reparaverit; congrue videlicet dotando primam sponsam si opus sit, et prolis educationi prospiciendo.

Quod si vir pauper esset, ita ut nihtf haberet quo dotare posset primam sponsam et educationi prolis prospicere; subintrarent regulae moralis prudentiae,quas tradunt Auctores moralis theologiae: idest, emissa obligatione reparandi omnia damna, facultas contrahendi coram Ecclesia permittitur. Item eaedem regulae subintrare possent, si ex. gr. causa de sponsalibus iudicata forte non fuerit, et in ea iudicanda difficultates occurrerent, quae iudicium nimis prolraherent : tum nihilominus, si eaedem regulae locum haberent, obligationi reparandi damna adiicienda esset clausula *prout et quatenus de iure.*

Confer quoque quae scripsi in *Vol. II pag. 258,* nec non causam sponsalium in Y. /// *p. 502* ubi tutior praxis indicatur.

timum illud non erat, quod vir (iam viduus, qui puellam certo allexerat, atque stupraverat) a deducendis sui favore testibus abstinuerim sponsalium existentiam S. Congregationem iudicasse videri.

MATRIMONII.

Die IS Augusti 1870.

Compendium facti. Anno 1855 inter Titium, qui vix decimum quartum aetatis annum expleverat, et Caiam novemdecim annos natam, utrumque ruricolam et rudem, denunciationibus praemissis, matrimonium celebratum est. Expleta coniugii celebratione coram Parocho, sponsa de more viri domum adducta est, vir ad pascendas oves rediit. Post septem menses ab inito matrimonio, ob soceri molestias Caia maternos lares repetiit insalutato viro, quem ait a nuptiarum celebratione se numquam amplius vidisse.

Tandem solutionem a vinculo matrimonii quaerens, apud Summum Pontificem institit, exponens « se male suasam a parentibus » (a matre vidua et a fratre) matrimonium contraxisse cum Titio » in quarto consanguinitatis gradu sibi coniuncto, qui, initi ma- » trimonii tempore, quatuordecim vix annos expleverat: sed » consummationem numquam locum habuisse: et tantum odium » inter se et virum exarsisse, ut nulla prorsus conciliatio possibi- » lis evaserit: hisque de causis matrimonii solutionem implorare.»

Huiusmodi preces a Pontifice benigne exceptae, ad Episcopalem Curiam fuerunt remissae, ut, processu confecto iuxta Constit. ***Dei miseratione,*** edi taque sententia in prima instantia, causa denique deferretur ad S. C. C.

Vicarius Generalis, processu rite absoluto, definitiva sententia declaravit: « Caiam et Titium in quarto gradu in linea aequali » consanguineos esse et fuisse: ideoque matrimonium ab ipsis

» absque Apostolica dispensatione celebratum nullum fore et esse, » atque fuisse.»

Ab hac sententia ad eiusdem Benedictinae normam provocavit vinculi defensor ad S. C. C. habitaque ratione coniugum paupertatis, causa oeconomice pertractata est sub dubio in calce relato; cum voto scilicet Canonistae et Theologi, atque animadversionibus Defensoris ex officio.

Disceptatio gynoptiea.

VOTUM CANONISTAE. Factis expositis, Canonista ex duplici capite nullum matrimonium contendebat, I° ex defectu consensus, 2° ex consanguinitatis impedimento. Quoad ***primum*** praemittebat, omnibus in contractibus, et in matrimoniis prae aliis, consensum ita esse praecipuum contractus fundamentum, ut nullo modo suppleri valeat, Sánchez ***de matr. lib.*** 2 ***disp.*** 25 ***nn.*** 1 et 5, et hoc principium, iuris constitutivum, tum canonicas tum civiles leges prae oculis habere, /. 30 ***ff. de reg. iuris. « Nuptias non concubitus sed consensus facit.»*** Ius canon, ***in caus.*** 27 ***q.*** 2 ***c.*** 2, ubi legitur: ***sufficiat secundum leges solus eorum consensus de quorum quarumque consensu et coniunctionibus agitur. Qui consensus si in nuptiis solus forte defuerit, cetera, etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur.***

Porro non qualemcumque consensum sufficere in matrimoniis, sed eum, qui a quavis violentiae metusve specie sit immunis, ***Cap.*** 14 ***de sponsal. « Cum locum non habeat consensus ubi metus vel coactio intercedit, necesse est ut, ubi assensus requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem solo consensu contrahitur et, ubi de ipso quaeritur, plena debet securitate gaudere, cuius est animus indagandus, ne per timorem dicat, sibi placere quod odit, et sequatur exitus, qui de invitis solet nuptiis provenire. »***

His positis iuris principiis, matrimonium in casu ex defectu consensus nullum esse contendebat, quia consensus ex metu vitiatus esset. Ex ore enim testium, qui omnes in unum conveniebant, et ipsius Parochi, qui tunc temporis matrimonio benedixit, erui: hoc matrimonium locum habuisse propter curas et sollicitationes patris Titii, qui et ipse artes una cum Caiae matre ad coniugii conciliationem adhibitas confessus esset. Sollicitationes vero, artes et preces a persona procedentes, cui reverentia debeatur, etsi

minis destituías, metum incutere et vim coactionis habere, Sancnez, ***de matrim, lib.*** 4 ***disp. 7 n. 7.*** « Cum ex una parte impor-» tunitas, cuiuscumque sit, valde urgeat, ne dicam vexet et op-» primat, et ex altera parte reverentia personae petenti debita, » pusillanimem ac timidum nec audentem contradicere rogatum » reddat, merito ac iure optimo utraque metuendi causa coniun-» cta, prudentem ac constantem coget, ipsiusque consensum ex-» torquebit.» Sollicitationes autem et suasiones a parentibus erga filios adhibitas ad consensum in-matrimoniis extorquendum, consensum ipsum vitiare, Rota ***in Nicien, Matr.*** 6 ***Martii*** 1857 ***coram Seraphim:*** S. C. C. in ***Lünen. Sarzanen. Matrimonii,*** 22 Iunii 1833.

In themate autem, quamvis non apparerent excruciationes usque ad importunitatem; attamen eo usque sollicitationes processisse inquiebat, ut coactionem revera constituerent. Ait enim Titii pater: « una simul cum Caiae matre ***operam dedimus,*** ut hoc » matrimonium locum haberet.» Ait Parochus: « quamvis ego con-» trariam huic matrimonio opinionem pandidissem, tamen Titii » pater pluries ad illud conciliandum institit: ex quibus eius sol-» licitationibus fui in suspicionem inductus : » aiunt una voce parentes: « huiusmodi matrimonium fuisse celebratum, quin ullus » eorum rei notitiam habuisset.» Ex hisce omnibus Titium libere in matrimonium non consensisse deprehendi, et eius patrem quid mali fuisse molitum. Ad haec concludenda inducere etiam silentium matrimonii erga parentes adhibitum, quum consanguineorum remotio violentam metus praesumptionem pariat, Alciat. ***cons.*** 33 ***num.*** 22 ***lib.*** 2 Serret ***cons.*** 296 ***tom.*** 11 ***post Menoch. praesumpt.*** 4 ***sub num.*** 14.

Praesumptionibus allatis culmen imponere ipsorum coniugum confessionem iuxta Sánchez, ***de matr. lib.*** 2 ***disput.*** 45 ***num.*** 15. Iamvero Caiam deposuisse: « se ad insinuationem patris Titii et » matris suae matrimonium contraxisse, seque et Titium numquam » consensum praestitisse, et coram Parocho ivisse, ut genitoribus » obedirent, eidemque responsa dedisse iuxta iam habitas ab illis » instructiones.» Titium autem addidisse: « tamquam somnium » meminisse se olim in ecclesiam parochialem fuisse adductum, ut » Missam audiret, sed non bene recordari de inventa ibi Caia, » quam postea audivit se in uxorem duxisse.»

Huic patulae coniugum confessioni novum robur ex eo venire,

quod omnes ***neque*** testes deponerent, « Titium semper ruri.com-
» moratum fuisse, in casa obdormiisse, numquam cum uxore cu-
» basse.» Coniugum autem non unionem, protestationes matrimonii celebrationem immediate sequentes, abstentionem a matrimonii consummatione, indicia esse coniugii sine consensu initi, Sánchez ***de matr. lib.*** 2 ***disp.*** 45 ***n.*** 6 ***apud Mantic. Rot. decis.*** 24 ***n. l'i cum alleg, per Sperell. decis.*** 5 ***num.*** 59 ***et*** 60, ***apud*** Buratt. ***decis.*** 861. Deficientiam consensus in matrimoniis ex factis praecedentibus, concomitantibus et subsequentibus desumi, Rota ***coram Ludovisio decis.*** 826, et alibi passim. Indicia demum et vehementes iuris praesumptiones ad matrimonii nullitatem ex hoc capite sufficere ***Decis. cit. coram Ludovisio.***

In capite secundo voti agebat Canonista de nullitate ex consanguinitate in quarto gradu in linea collaterali, quo Titius et Caia simul iungerentur; doctrina posita ***capitis*** 8 ***de consanguinitat. et affluit,*** ubi statutum legitur: « ***Cum ergo usque ad quartum gradum*** (consanguinitatis vel affinitatis) ***prohibitio coniugalis copulae sit restricta, eam ita volumus esse perpetuam non obstantibus constitutionibus sub hoc dudum editis vel ab aliis, vel a nobis, ut si quis contra prohibitionem huiusmodi praesumpserit copulari, nulla longinquitate defendatur annorum, cum diuturnitas temporis non minuit peccatum sed auget: tantoque sunt graviora crimina, quanto diuturnius infelicem animam detinent alligatam.))*** Item in ***Cap.*** 1 ***eod. tit. « Inquisita vero diligentius veritate, si per testes circumspectus omni exceptione maiores inveneris, quod primus vir superstitem quarto gradu consanguinitatis attingit, non differas divortii sententiam promulgare: aeque enim (ut canones dicunt) abstinendum est a consanguineis uxoris et a propriis.*** Concinit ***Clement, unie. dict. tit.*** Conc. Trid. ***sess.*** 24 ***Cap.*** 5 ***de ref.***

In facto autem satis ostendebat Canonista, ex arbore genealogica, unum fuisse Caiae et Titii abavum, et eorum proavos, Angelum et Xistum, fratres fuisse: ex illoque Caiam genitam, ex hoc Titium. Hoc erui ex Libris Parochialibus, quorum magna in huiusmodi casibus auctoritas iidemque instrumenti publici obtineat, Reiff, ***lib.*** 2 ***tit.*** 22 ***n.*** 127, « Libri parochiales de quorun-
» dam baptismo, matrimonio vel morte attestantes, et contenta
» in ipsis ad Parochi officium pertinentia plane probant. Ratio
» est quia liber parochialis licet non sit publicus, idest manu

» notarii cum debitis solemnitatibus conscriptus, nihilominus au-
» ctoritate Sac. Concil. Tridentini industria et fides Parochi est
» electa ad conscribendum talem librum; ergo indubitanter tali
» fides est adhibenda. Alioquin frustra a generali Concilio fuisset
» Parocho impositum onus registrandi talia in suo libro, nisi fidem
» apud omnes publice faceret et plene probaret. » Item ***Devoti instit. canon. tom.*** 3 ***tit. de probat.*** §. 20, et alii.

Hoc argumentum ex libris Parochialibus erumpens, confirmari demonstravit ex propinquorum et viciniae fide magni ponderis in huiusmodi controversiis, ut eruitur ex ***caus.*** 35 g. 6 c. 1, « Con-
» sanguíneos extraneorum nullus accuset, vel consanguinitatem
» in synodo computet, sed propinqui ad quorum notitiam perti-
» net; idest pater, mater, soror et frater, patruus, avunculus,
» amita, matertera et eorum procreatio. Si autem progenies tota
» defecerit, ab antiquioribus et veracioribus, quibus eadem pro-
» pinquitas nota sit, Episcopus canonice requirat, et si inventa
» fuerit propinquitas, separentur.» Cui concinit textus in ***cap.*** 3 ***Qui matr. accusare poss.*** ubi legitur: « ***Videtur nobis... quod parentes, fratres et cognati utriusque sexus in testificatione suorum, ad matrimonium coniungendum vel diripiendum admittantur, tam antiqua consuetudine, quam legibus adprobatur. Maxime parentes, et si defuerint parentes, proximiores admittuntur, quoniam unusquisque cum testibus et diariis, tum etiam ex recitatione maiorum scire laborat.»*** In themate parentes et propinquos ex loci antiquioribus testari, Angelum, Caiae proavum, Titii proavo fratrem fuisse: atque ita omne dubium super consanguinitate, quo coniuges iungerentur, removeri.

Neque oggeri posse, adductos testes cadere sub censura ***cap.*** 6 ***qui matr. accusare pos.*** quo capite illorum testimonium suspectum habetur, qui denunciationis tempore tacuerunt: namque in facto quodlibet collusionis indicium deesse et, usque ad diem celebrationis, Titii patrem silentium altissimum servasse, atque satis constare testes denunciationum notitiam non habuisse: hisque in rerum circumstantiis eorum depositionem valere ex eodem ***cap.*** 6 ***qui matr. accus, poss.*** ubi legitur: « ***Quod si tempore denuntiationis praemissae is, qui iam coniunctos impetit, extra dioecesim existebat, vel alias denuntiatio non potuit ad eius notitiam pervenire...., seu alia causa legitima fuerit impeditus, eius accusatio debet audiri.»***

VOTUM THEOLOGI. Concinebat plenissime cum voto Canonistae Theologi votum, in quo etiam ex duplici capite matrimonium nullum ostendere curavit: idest ex defectu consensus, et ex impedimento consanguinitatis.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS EX OFFICIO. Negabat primo loco Defensor, defectum consensus posse in medium proferri: adserebat immo, ex eiusdem Caiae confessione liquido constare, eam matrimonium contraxisse, matre eius ad id consiliis inducente: eam, post matrimonium, septem mensium spatium soceri domo commoratam fuisse: atque ita tum quae matrimonium praecesserant, tum quae concomitata fuerant et subsequuta, ostendere Caiam libere ac sponte matrimonium cum Titio contraxisse.

Multo minus in Titio dissensum verificari: ex eius namque depositione erui, nulli Titium metui subiectum fuisse matrimonii initi tempore: eiusque studium, ut matrimonii celebrationem somnium fuisse suaderet, consensum firmare: et impossibile esse, iuvenem, qui decimumquartum iam annum expleverat, quando matrimonium contraxit, eius celebrationis memoriam penitus amisisse. Mendacium ergo manifestum Titii depositionem vitiare, et eius consensum e converso revera intercessisse ostendere.

Absurdum esse in themate contrarium retinere, tum quod Parochus et pater Titium de matrimonio contrahendo cum Caia certe monuerint, tum etiam quod rei naturae repugnaret, per septem menses, quibus labentibus Caia Titii domum habitavit, numquam matrimonii consummationi operam dedisse. E contrario ex corporis Caiae inspectione per obstetrices de eius defloratione constitisse: explicationes, quas de hac re Caia dedit, contradictiones apertissimas continere, et inter fabellas esse relegandas.

Posita consensus existentia, consanguinitatis impedimentum exulare, quod meridiana luce clarius probari deberet. Impedimenti huius demonstrationem claudicare; retinendum namque esse Parochum, qui matrimonii celebrationi obstitit, libros parochiales diligenter inspexisse quando de matrimonio celebrando ageretur, et impedimentum huiusmodi, si quod extitisset, silentio non praeteriisse. Id confirmari a parentum propinquorumque consensu, qui depositionibus agnitis impedimentum nullum protulerunt.

Recentioris Parochi testimonium non esse attendendum, quod

pugnaret cum illo alterius Parochi, qui matrimonium celebravit: Curiamque Episcopalem errasse in sententia edenda, eo quod debuisset peritos deputare, qui libros parochiales inspicerent deque eorum statu deponerent. Rationem nullam suadere, recentioris Parochi dictum, illi antiquioris esse praeferendum: tanti enim huius valere adsertionem, quanti illius valeret negatio.

Dubium

« An constet de nullitate matrimonii in casu.»

RESOLUTIO. S. Congregatio Concilii causa cognita die 18 Augusti 1870 respondere censuit: ***affirmative.***

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Matrimonialis contractus substantiam in libero contrahentium consensu consistere.

II. Quare gravi interveniente vi et metu vel coactione reverentiali, quae reluctantes ad actum contractus omnimode cogat, matrimonium invalide celebrari.

III. Contrahentes in quarto consanguinitatis gradu constituti, qui per Apostolicam dispensationem a lege irritante non fuerint exempti, nullum matrimonium contrahere.

IV. Nec tale matrimonium convalescere per temporis spatium neque causa ignorati impedimenti validum censeri: leges enim irritantes actum, ex quibus impedimenta quae dirimentia appellantur derivant, in eo statu contrahentes constituunt, in quo inhabiles sunt ad matrimonium inter se contrahendum (1).

(1) Adsunt Auctores, praesertim theologiae moralis, qui ab impedimentis dirimentibus excipiunt impedimentum criminis , contendentes hoc criminis impedimentum non contrahi ab illis, qui impedimentum ignorent. Hanc sententiam tradunt saltem tamquam probabilem: non difiitentur tamen contrariam sententiam esse communem.

Ita hi Auctores solent arguere: impedimentum criminis habet rationem poenae: poenas autem ignorantes non incurrunt. Sic ex. gr. qui peccat in legem prohibentem, quae simul sit puniens, puta per censuras, si eiusmodi punitionem ignoret, in censuras a lege inflictas non incurrit.

Sed mihi videtur, hoc principium (quod verum est, quando agitur de hisce legibus prohibentibus et de hoc poenarum genere, in foro interno; in foro enim externo ignorantia legum excusare non solet) non posse saltem indiscriminatim applicari quando agitur de *lege irritante actum,* quamvis legislator moveatur ad irritandum actum, ut crimen vindicet. Hisce enim in casibus militat regula iuris 64 in 6: *Quae contra ius fiunt debent utique pro infectis haberi.* Praesertim vero quando vindicta criminis non sit

V. Colliges praeterea libros parochiales ex praescripto Tridentini Concilii a Parocho scribendos, in iudicio plenam facere fidem de Baptismo et matrimoniis, si nihil in contrarium obstet.

VI. In themate, quamquam non satis constaret de matrimonii nullitate ex defectu consensus, plenissime tamen constitisse de impedimento consanguinitatis in quarto gradu (1).

ratio unica, quae legislatorem moveat ad actum irritandum, sed et aliae possint haberi, ut in nostro themate de impedimento criminis, puta, ut mentes avertantur ab eiusmodi criminibus patrandis quum finem, quem sibi delinquentes proponunt in pairando crimine, consequi certo non possint; vel ob honestatem publicam, quae non patitur, ut aliquis emolumentum consequatur ex propria iniquitate; et ob alia id genus.

Ex legibus irritantibus matrimonium orta est ea generalis ratio concipiendi contrahentes tamquam inhabiles ad contrahendum, quae verissima est. Obiectiva enim impossibilitas contractus ex lege irritante, bene exprimitur per subiectivam carentiam facultatis ad contrahendum. Ideoque quando Auctores, qui communem sequuntur sententiam , eam probant hoc argumento: impedimentum criminis non est poena sed inhabilitas, aut si poena dici debeat, simul tamen et praecipue est inhabilitas ad contrahendum; non aliud dicunt, quam, impedimentum hoc irritare matrimonium, quae irritatio possit in se continere vel contineat quoque rationem poenae : quum autem sit irritatio actus, ignorantiam huius irritationis non posse reddere actum validum.

Fallax autem esset ratio, qua aliquis responderet hoc modo ad eludendum Illud argumentum: inhabilitas ipsa iure constituta est in poenam criminis; atque ideo quod requiritur ad incurrendam poenam requiritur etiam ad inhabilitatem incurrendam: et quod eximit a poena, ab ea quoque inhabilitate eximet.

Haec verba enim convertuntur In haec alia : irritatio ipsa contractus iure constituta est in poenam criminis: atque ideo cognitio poenae, quae requiritur ad incurrendam poenam, requiritur etiam ut contractus sit irritus ; et ignorantia quae eximit a poena faciet quoque ut contractus sit validus. Cui autem haec suaderi poterunt? Principium enim *subiective excusatis* ab incurrenda poena ob ignorantiam, convertitur in principium *obiective efficax* ad vincendas quoque eas leges, quae ideo actum irritare solent, ut nullus habeatur obtentus, quo peccans in legem excusari valeat.

Ceterum, praetermissis eiusmodi intellectus argutiis, in hoc themate agitur de universali lege irritante, quae stabilem ordinem figit in matrimoniali disciplina : quaeque praeterea communi sententia, quae sensum legum determinat, ita intellecta est. Satis mihi esset legere titulum Decretalium *de eo qui duxit in matr.* ut mihi suadeam quanti facienda sit huius impedimenti ignorantia: in casibus enim quos Summi Pontifices ibi solvunt, non habent prae oculis nisi casus propositos et praeexistentem Magern irritantem: et quamquam casus propositi, varii et implexi, supponere saepe faciant, criminum auctores impedimenti legem ignorasse: attamen neque apex neque vola reperitur ex parte solventis de ignorantia, quae contra eam legem irritantem validum redderet matrimonium.

(1) uterque Consultor, tum Canonista tum Theologus, in prima parte voti disceptabant quidem de matrimonii nullitate

EX S, CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARUM,

IURIUM PAROCHIALIUM.

Die 2 Septembris 1870.

Compendium facti. Intra limites paroeciae N exstat ecclesia **S2U** Oratorium Sancti Erasmi, in quo canonice erectum reperitur Sodalitium sub invocatione S. Rochi.

Anno 1867 Parochus querelas movit apud Generalem dioecesis Vicarium, quod Capellanus Sodalitii eum prohiberet, quominus paroecialem iurisdictionem in eo templo exerceret sacrasque functiones perageret: quae iura sibi esse inquiebat, tum quod ecclesia illa S. Erasmi esset filialis et succursalis ecclesiae paroecialis, tum quod consuetudo, confirmata quoque Curiae Decretis ita ferret.

Vicarius Generalis, eiusmodi querelas excipiens, Sodalitio commendavit, ut Capellani nullimode impedirent Parochum in sua iurisdictione iuxta consuetudinem; secus Episcopus cogeretur ad suspensiones quoque devenire.

At vero eiusmodi admonitio haud efficax fuit; namque Sodalitium per suum Capellanum omnes sacras functiones agere perrexit; et Parochus studuit quoque in ea functiones peragere quamquam Capellanus obsisteret: inde protestationes, accusationes etc.

Ut eiusmodi perturbationes cessarent, Vicarius Generalis invitavit partes ad deducenda iura sua. Gubernator Sodalitii sua iura deducens allegabat celebre Decretum S. Congregationis Rituum, Urbis et Orbis, editum anno 1703: nullam inquiebat existere peculiarem conventionem, quae iura in dicto Decreto exposita limitaret, neque consuetudinem aliquam viguisse et vigere.

Res tamen ita mansit, nihilque Curia constituit; ideoque dissidia non cessarunt.

ex defectu consensus: attamen uterque confugiebat ad secundam partem voti, in quo de impedimento consanguinitatis agebant, ut dubium quodvis removerent.

Denique Sodalitium S. Congregationi Episc, et Reg. preces admovit; quod et Parochus postea fecit. Servatis de more servandis, causa proposita est cum dubitandi formula quae in calce prostat.

Disceptatio synoptiea.

IURA SODALITII. Sodalitium deducebat Decretum Urbis et Orbis a S. Congregatione SS. Rituum emissum die 10 Decembris 1703. Adnotabat autem Decretum illud emissum fuisse « ***Ad debitum imponendum finem controversiis, quae inter Parochos et Confraternitates saeculares, earumque Capellanos et Officiales super iuribus parochialibus et functionibus ecclesiasticis, nonnullisque praeeminentiis seu praerogativis frequenter exoriri soient.»***

Porro in hoc Decreto contineri resoluta ea omnia, quae Parochus sibi pertinere contenderet. Hinc fere omnes quaestiones in hoc Decreto solutas Sodalitium exponebat, quas Lectores nostri legere poterunt in eodem Decreto quod integrum adduximus in ***Vol. lpag.*** 591.

Neque posse a **Parocho** invocari contrariam immemorabilem consuetudinem, subsumebat Sodalitium: eam enim pacificam et constantem esse debere, ut vim suam possit exserere: e converso in facto constare, ab anno 1817, bis Curiam ecclesiasticam ad Parochorum reclamationes edixisse, ***ut Parochus in suis iuribus non exturbaretur:*** et nihilominus Sodalitium perrexisse independenter a Parocho omnes suas functiones peragere: eiusmodi autem Decreta edita fuisse ad Parochorum instantiam, quin Sodalitium audiretur: nullumque produxisse effectum.

Neque Parochum argumenta adducere ad probandam, prouti debuisset, immemorabilem consuetudinem. Adducebat enim Parochus octo vel novem testes aetate graves, qui testabantur, se vidisse Parochum functiones modo unam modo alteram peragere: qui saepe adiungebant ad id Parochum invitatum a Sodalibus fuisse.

IURA PAROCHI. EX documentis a Parocho deductis animadversum est ex officio, pro Parocho consuetudinem militare videri. Sane anno 1817 Parochus Vicario Generali exponebat, paroeciae Rectorem in **eo** Oratorio ***sacras functiones semper peragere, quando Benedictio impertitur cum SSmo Sacramento:*** aegritudinis causa **se** misisse suum Capellanum, ut sacras functiones perageret in

Defunctorum Octavario, eumque Gapelianum fuisse prohibitum a Capellano Sodalitii. Inde quaerebat, ut posset in posterum prosequi ***consuetas functiones in dicto Oratorio.*** Vicarius Generalis rescripsit mense Novembri eodem anno in haec verba: « Cum » ius Parochi sit functiones, de quibus in precibus agitur, per- » agendi in Oratorio S. Erasmi sive per se sive per alium Pre- » sbyterum a se delegatum, prohibemus, ne quisquis turbet aut » pervertat dictum ius sub poenis etc.»

Die 9 Novembris 1858 Vicarius Generalis a Parocho postulatus rescripsit, ut « se contineret ad normam iuris et consue- » tudinis inductae quoad celebrationem Missae et Exequiarum » praesente cadavere in dicta ecclesia S. Erasmi.»

Anno 1867 cum Capellanus Sodalitii Parochum prohiberet ne functiones perageret die festo S. Rochi, iterum ad Parochi reclamationes Vicarius Generalis Sodalitio commendavit, ut Capellani Sodalitii nullimode impedirent Parochum in sua iurisdictione iuxta consuetudinem, ne Episcopus ad suspensiones devenire cogeretur.

His autem positis documentis apparere, tribus distinctis epochis consuetudinem fuisse a Curia admissam atque tribus Decretis firmatam contra oppositionem Sodalitii: ideoque maiorem quoque vim ex ipsa oppositione Sodalitii, eam dicendum esse obtinuisse, quum Decreta Curiae neque fuerint revocata, neque, contraria iudiciali sententia, victa.

Quod si interea Sodalitium alios sponte invitaverit ad sacras functiones peragendas, silente Parocho, non possent haec facta constituere praescriptionem adversus Parochi ius ex consuetudine habitum: ius enim Parochi esse facultativum, quod per simplicem non usum laedi non possit, nisi habeantur contrarii actus iuxta ea quae Doctores communiter tradunt; sic ex. gr. Engel in ***tit. de Praescrip.*** g. 2 n. 9: « In rebus et actibus ***merae fa~ » cultatis*** hon procedit praescriptio, nisi prohibitioni interpositae » is, qui meram facultatem habeat, cum patientia acquieverit, » et hunc prohibentem in quasi possessione, et se in putativa » obligatione constituerit.»

Quod si non satis valide probatam dicas consuetudinem pro Parocho, plures adesse testes, qui aetate graves a Parocho rogati scripto suo eam testati essent; sane Presbyter Iosephus, qui ab

anno 1834 opem tulerat Parocho in sacris functionibus in ecclesia S. Erasmi, fassus est, Sodalitium consuevisse duos ad Parochum mittere, qui significarent eidem Parocho diem quo aliqua functio esset peragenda, et vigentibus licet quaestionibus inter Sodalitium et Parochum, hunc perseverasse in suorum iurium exercitio, nominatim vero canendo per se vel per alium, quamvis Missam praesente cadavere: item Religiosus Carmelita affirmabat, se a pluribus Sodalibus accepisse, Parochos N ius habere sacras peragendi functiones in ea ecclesia: alii quinque quorum nonnulli erant Sodales, affirmabant, se a suis praedecessoribus audivisse, seque recordari, ex consuetudine Parochos celebrare sacras functiones pro. Sodalitio, quod per duos delegatos illos invitaret. Et similia alii testati sunt.

Quin immo, ne eiusmodi actus invitationis a Sodalitio gesti existimentur mere facultativa alios quoque testes Parochus adducebat, qui scripto suo fatebantur, Parochum pro suo lubito eas celebrasse functiones vel permisisse, ut Capellani Sodalitii eas peragerent: aliquando eosdem Capellanos prohibuisse: Orationem Viae Crucis constituere prohibuisse, quamquam Sodalitium obtinuisset Episcopi consensum: comminatum esse aliqua vice Parochum se Oratorium esse clausurum, quod Sodales eum non admonuerint de quodam festo S Philumenae; et Sodales veniam a Parocho petiisse etc.

Eo magis autem consuetudinem esse aestimandam, quod, historia docente, ecclesia S. Erasmi multo recentior esset ecclesia Parochiali; eamque ideo praesumendam ecclesiam filialem ad Paroeciam pertinentem.

His aliisque deductis propositum est resolvendum

Dubium.

«An constet favore Parochi (N) de iure celebrandi sacras » functiones quod in ecclesia S. Erasmi peraguntur in casu.»

RESOLUTIO. S. Congregatio Episcop. et Regul, causa cognita die 2 Septembris 1870, respondere censuit: ***Negative in omnibus.***

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Decretum S. Congregationis SS. Rituum, editum anno 1703 ad obtruncandas et eliminandas controversias inter Parochos et

Sodalitates, non vinci per contrariam consuetudinem, nisi rite probetur consuetudo immemorabilis vel saltem centenaria *(Ï).*

II. Iuridicam consuetudinem, quamquam saepissime a contendentibus invocetur, difficilis tamen esse probationis.

III. In themate neque immemorabilem neque centenariam consuetudinem fuisse ostensam.

IV. Immo nullam fuisse rite ostensam consuetudinem, quae aliquem habere posset iuridicum valorem: acta enim Curiae Parocho conniventis neque quaestionem diremisse neque consuetudinem tamquam certam admisisse.

V. Attestationes varias extraiudiciales a Parocho adductas ostendisse potius locum habere debere in themate Decretum S. C. SS Rituum anni 1703.

LEGATI PII.

Die 2 Septembris i870.

Compendium facti. Pia mulier vidua suo testamento iussit eius cadaver deferri in templum S. Bonaventurae, quod pertinet ad Regularem familiam Minorum Observantium, in eoque templo tumulari iuxta cineres praedefuncti viri sui. Legatum inde his verbis costituita « Relinquo scut. 400 RR. Patribus S. Bonaven- » turae, ita ut hi erogare debeant scutata decem singulis annis **D** die meae mortis in funere peragendo in suffragium animae meae, » et ex reliquis redditibus Missas quinquaginta. » Hoc legatum testatrix auxit aliis scutatis 250 quum alter legatarius moreretur.

(1) Decretum indicatum has clausulas secumfert: « Salvis tamen conventio- » nibus et pactis in erectione Confrater- » nitatum forsan factis, Concordiis inter » Partes initis et a S. Sede adprobatis, » Indultis, Constitutionibus synodalibus » et provincialibus et *Consuetudinibus im- » memorabimus vel saltem centenariis.'»*

Pia testatrice mortua, contigit, ut ex vigentibus legibus sepeliri non potuerit iuxta cineres viri sui, atque eius cadaver in publicum coemeterium delatum sit. Testamentarius Exsecutor legatum nihilominus obtulit Religiosae familiae, sed Superior eiusdem familiae, quem Guardianum appellant, protestatus est « se » incapaces esse cuiusvis iuris ad dictum legatum habendum : » quod si tamen heredes dare legatum vellent, se illud recepturos » tantum eleemosynae titulo, promittentes adnexis oneribus satis» facturos.» Post eiusmodi declarationem nepos testatricis preces admovit S. Congregationi Episc, et Reg. exponens, testatricem in testamento non rationem habuisse quinque pronepotum, uno excepto; atque proinde supplicabat, ut SSmus Pater, paupertatis ratione, commutaret piae testatricis voluntatem, constituendo ex pio legato capellaniam, reservato iuspatronatus tum activi tum passivi pro supplicante suisque descendentibus in infinitum.

Remissis de more his precibus ad partes quarum id intererat, auditoque Ordinario, res in disceptationem posita est.

Disceptatio synoptiea.

EA QUAE SIBI DEDUCEBAT ORATOR, Quum heres aliique in preces oratoris quoad substantiam convenirent, ut capellanía dicta institueretur, quae onera secumferret a testatrice Regularibus imposita, animadvertebat idem orator, legatum non posse exsecutioni mandari iuxta praescriptum testatricis: commutationem autem propositam tum substantiam tum scopum legati conservare; quum, maiori parte pecuniae investita, singulis annis et funus celebrari posset, et quinquaginta Missae, reliqua distributa pecunia in descendentes testatricis, qui saltem relativa paupertate piemerentur.

Quin immo, quum defuncta testatrix sepulta non fuerit in dicto templo, nec videri eas Missas et funera amplius in eodem templo esse celebranda.

EA QUAE EX OFFICIO SUNT ANIMADVERSA. Extra quaestionem erat pium legatum esse exsecutioni mandandum quoad substantiam; quum causa finalis legati esset suffragium testatricis, qua causa finali vigente, legatum non cessabat: tota controversia consisterai in modo legatum exsequendi, id est, I° an in ecclesia S. Bo-

naventurae Missae essent celebrandae; dubitatio enim oriebatur, ex eo quod testatrix, prouti heredes iusserat, non potuerit in ea ecclesia sepeliri: 2° quatenus autem legatum in ea ecclesia exsecutioni mandari deberet, altera oriebatur quaestio, an Regulares minores de Observantia, qui neque in communi possunt possidere, legatum illud acceptare valerent, idest illud pecuniae compendium ex cuius administratione redditus annuos perciperent cum. circumscripto Missarum onere. Si hoc enim legatum aliqua ratione non potuissent illi acceptare, tunc subintrabat tertia quaestio quomodo legatum illud esset exsecutioni mandandum.

Itaque, ad primam quaestionem quod attinet, animadversum est ex officio, falsam causam legato non obesse, iuxta Z. 72 §. 6 ***ff. de Condit, et demonst.*** in qua legitur: « ***Falsam causam legato non obesse verius est, quia ratio legandi legato non cohaeret; sed plerumque doli exceptio locum habebit, si probetur alias legaturum non fuisse.))*** Item in /. 17 §. ***ff. eod. tit.*** Quare si legatum ita intelligatur, quasi his verbis conceptum: do lego scutata 600 Regularibus S. Francisci in templo s. Bonaventurae, ut funus et Missas pro anima mea quotannis celebrent, quia in ea ecclesia sepeliar, legatum utile manere Regularibus, quamquam sepeliri in ea post mortem non potuerit: tum enim legatum utile illis Regularibus non esse, si heredes probarent, testatricem non fuisse ita ligaturam, si cognovisset in coemeterio publico sepeliri debere.

Haec eo magis confirmabantur, quod translatio cadaveris in publicum coemeterium ex vigentibus legibus neque iura defunctorum neque ecclesiarum quoad funera laedat, quum sit quaedam materialis loci translatio ratione publicae sanitatis facta (1).

Ad alteram quod attinet quaestionem, an Regulares illi possent acceptare legatum de quo agimus, animadversum est primum generatim cum Pitonio (qui hanc quaestionem ex professo pertractat in ***discept, eccl i*** 2.) Fratres Minores non esse totaliter incapaces et per quemcumque modum recipiendi huiusmodi legata Missarum; quum eorum incapacitas consistat in eo, quod non possint habere annua legata per modum assignationis perpetuae, idest tamquam sibi debita in perpetuum per civilem actionem seu vigoris actionis ex testamento: posse tamen recipere legata per mo-

(1) Viiiesis quae scripsi in *Vol. V pag. 222* et alibi.

dum simplicis et purae eleemosynae in stipendium celebrationis Missarum, facta prius protestatione, quod non intendant aliquod consequi ius vigore legati.

Ex qua recepta doctrina consequi, heredes obligatione teneri ad adimplendum legatum: quod si adimplere detrectent, non posse quidem cogi ab eiusmodi Regularibus, quatenus tales Regulares sunt, qui ius ad legatum habere non possunt: attamen non prohiberi Syndicum Conventus, non quatenus Regularis est, sed ***quatenus unus est de christiano populo,*** vel ***nomine Romanae Ecclesiae,*** quae piarum voluntatum suprema tutrix est, vel ex officio iudicis cogere heredes, ut suae obligationi faciant satis, Ferraris ***Biblioth. can. verbo Legatum n.*** 95 ***et seq.***

Verum in themate difficultatem ex eo oriri animadversum est, quod non ageretur de perpetuo onere heredis celebrare faciendi quotannis funus et Missas atque eleemosynam rependendi; sed ageretur de pecuniae compendio a Regularibus recipiendo et administrando ex quo excedentem etiam redditum perciperent: horum autem legatorum non videri eos Regulares capaces.

Sane refert Fagnanus in ***Cap. Nimis parva, de Excess. Prael. n.*** 46, quandam dubiorum seriem, quae ex mandato Urbani VIH in particulari Congregatione soluta sunt, atque inter cetera hoc dubium reperitur: « An Fratres Minores tam de Familia, quam » Reformati sint capaces legatorum annuorum, quae fiunt adiecto » onere celebrationis Missarum? » Cui responsum est: ***Fratres Minores tam de Familia, quam ex Reformatione nullatenus esse capaces legatorum annuorum, quae fiunt adiecto onere celebrationis Missarum.***

Eo magis quod fructus ex legata pecunia onera excederet; de qua re resolutum quoque fuisse prout ***loc. cit.*** refert Fagnanus: ***valere legatum annui redditus factum Sacristiae vel Fabricae ecclesiae vel Conventus Fratrum Minorum iam de Familia, quam de Reformatione nisi adsit excessus in quantitate.***

Veruni pluribus in casibus similes testamentarias depositiones exsecutioni fuisse mandatas per S. C. aliqua modificatione adiecta, de quibus Fagnanus ***loc. cit. n.*** 21, S. Rota ***Decis.*** 1325 ***coram Emerix iunior.*** Nominatim vero S. C. C. in quadam causa ***Firmana Legatorum:*** in ea enim agebatur de quodam legato quod anno 1614 quidam Tancredi Conventui reliquerat in scut. 90 cum onere duo-

rum officiorum quotannis, demandata Syndico Apostolico administratione non solum sortis, sed etiam fructuum, et anno 1618 hoc pecuniae compendium fuit erogatum in emptionem cuiusdam partis Terrae, quae est in Clausuram redacta: quaestio itaque proposita est: « An liceat dictis Religiosis retinere partem Terrae » emptam cum pecuniis legatis . . et ad quae onera ipsi tenean- » tur: » atque responsum prodiit die 31 Maii 1721: ***Affirmative iniuncto onere duarum Missarum cantatarum quolibet anno, facto tamen verbo cum SSmo.***

Animadversum praeterea est, quatenus legatum accipere non possent Regulares, non videri tamen heredes exaudiendos in proposita substantiali voluntatis testatricis immutatione, quum neque necessitas appareret, neque ea commutatio consona videretur menti testatricis.

Dubium

« An et quomodo annuendum sit precibus Oratoris in casu.»

RESOLUTIO. S. Congregatio Episc, et Reg. causa cognita die 2 Septembris 1870 respondere censuit: ***Negative in omnibus et ad mentem.***

Mens S. Congregationis fuit, ut legatum admipìstraretur a Syndico Conventus et redditus, qui superessent celebrationi Missarum et anniversario funeri, erogarentur in Sacristiam et Fabricam ecclesiae.

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Legata Missarum quae in templo relinquuntur, in quo testator iubeat sepeliri, sepultura impedita ex lege publici coemeterii, eadem legata eidem templo utilia manere.

II. Ex iuris enim fictione considerari testatorem tamquam in eo templo sepultum, in quo sepeliri iusserat et legata Missarum reliquerat.

III. Regulares Seraphici Ordinis ius non habere ad perpetua Missarum legata recipienda ob incapacitatem iuris possidendi: eadem tamen recipere posse per modum eleemosynae.

IV. Non tamen cessare in herede obligationem faciendi satis legato relicto; quum haec obligatio non oriatur ex iure legatarii, sed ex voluntate testatoris.

V. Nec posse heredem obiicere incapacitatem legatarii, quum legatarius, si incapax est iuris, non incapax sit eleemosynae, qua in facto voluntas testatoris pari modo adimpletur.

VI. Quare, si facere satis legato heres detrectet, per officium iudicis eum esse cogendum ad legatum implendum.

VII. Idem iudicis officium posse invocare etiam Syndicum Conventus, non tamquam Regularem nomine Conventus, sed tamquam communem fidelem, vel nomine Apostolicae Sedis; non ut legatum sibi praestetur, sed ut heres suae obligationi faciat satis, ne voluntates morientium frustrentur.

VIII. Haec quoque extendi ad Missarum legatum, cuius proprietas Regularibus relinquatur, ita tamen ut Syndicus eleemosynae titulo legatum recipiat, et nomine Sanctae Sedis illud administret, et tenues fructus, qui forte supersint, in Sacristiam vel ecclesiae Fabricam eroget.

APPENDIX I.

DE NORMA, QUAM PRAE OCULIS HABERE DEBENT CULTORES STUDIORUM HISTORIAE ECCLESIASTICAE ET SACRAE ARCHEOLOGUE, QUANDO AGITUR DE SANCTIS VEL BEATIS, QUI, APPROBANTE SANCTA SEDE, SUNT IN POSSESSIONE CULTUS ECCLESIASTICI.

Occasione superioris causae Bergomensis de Sanctis martyribus Dorano, DouHiione et Eusebia generale Decretum editum est, ex mandato SSñii Patris, ut admonerentur omnes Cultores studiorum historiae ecclesiasticae et sacrae archeologiae, *ut quandocumque agitur de Sanctis vel .Beatis, qui, approbante Sancta Sede, sunt in possessione publici cultus ecclesiastici, caute se gerant, ac prae oculis habeant regidas hac de re traditas a Benedicto XIV in Litteris Apostolicis, De Nova Martyrologii Romani editione n. 2et 48-De Servorum Dei Beatificatione et Canoni-*

zatione lib. TV par. il c. aVH n. 9 et 40- Ibidem, lib. IV par. II c. XIII n. 7 et 8, ubi agitur de Breviario Romano.

Porro in litteris Apostolicis allegatis quarum initium est, *Postquam intelleximus,* die 1 Iulii 1748 ad Ioannem V Portugalliae Hegem datis, in num. 2 haec ad rem nostram leguntur: *u* Minime Nos fugiunt mul-
» tae gravesque controversiae, quae
» circa Romanum Martyrologium a-
% gitantur : ab aliis quidem , quos
v scientia inflat, inexplicabili qua-
» dam dubitandi prurigine; ab aliis
» vero, qui ad sobrietatem sapiunt,
v eo consilio, ut quae suboscura sunt
» vel incerta, nova quadam veritatis
» luce donentur. Ab hisce tamen
» quaestionibus duximus omnino abstinendum; quandoquidem hac in
n re illud nobis proposuimus, ut ab
» accuratis Martyrologio correctioni-
» bus, quarum prima Gregorio XIII
» praedecessore nostro Ecclesiam gu-
r> bernante ; altera vero sub Urba-
» no VIII nostro item praedecessore
» peracta est, de quibus verba feci-
n mus in nostro opere *de Canoniz.*
» *Sanet. I. i p. 2 c. 47 editionis Pa-*
ti tavinae, qua una in locorum alle-
» gationibus hic utimur, nullo pacto
v recedamus. Quocirca, si quae in-
n fra dicturi sumus, rite expendan-
» tur, Maiestati Vestrae perspectum
» erit, nostras hasce in Martyrolo-
» gium curas eo tandem contendere
» ut, quae post evulgatas correctiones
v supervacanea occurrunt , resecen-
» tur, quae vero deficiunt, superad-
n dantur. Hoc autem semel posito,
r> et anteactis emendationibus nihil
» detrimenti, et novae huic editioni
» utilitatis multum accedit.»

In *num. 48....* «Fas aliquando, ut in nostro opere *de Canon. Sanet, v I. 4 p. 2 c. 47 n. 9 et 40* animad
» vertimus, Sedem Apostolicam adi-
» re, atque illi, ea qua decet animi
» dimissione, proponere errati ali-
» cuius, quod in Martyrologium ir-
»repsit, emendationem. Hinc non
» defuere, qui huiusce libertatis prae-
» textu, leviorem quandam Romani
» Martyrologii recensionem obtineri
» posse putarint. Non enim, ut ipsi
» aiebant, aut Nostro consilio, aut
ff Nostro id repugnat instituto de ser-
» vandis correctionibus pridem ha-
» bitis; siquidem unius, vel alterius
» loci immutatio usque adeo levis
» est, ut nullo, aut fere nullo ha-
» beatur in pretio. » Atque exemplum adducit eorum, qui vellent inscribendum Clementem Alexandrinum: eorundemque rationes erudite expendit atque refellit.

In opere *de Canonis. Sanet. I. 4 p. 2 c. 47 n. 9 editionis Romanae anni 4790* haec ad rem nostram continentur. Mentionem facit operis Auctor de nonnullis excitatis controversiis circa quaedam Sanctorum nomina Martyrologio inserta sive retinenda sive expungenda ; atque recensionem eorundem vindicat: inde prosequitur: « Quid vero de hac et
ff aliis pluribus consimilibus contro-
» versus Martyrologium Rom am um
» respicientibus dicendum sit, nolu-

n mus in praesenti iudicium ferre.
v Illud tantum dicimus, per haec
d non minui auctoritatem Martyro-
» logii Romani, opera tot illustrium
» virorum emendati, uti late ostendit
n Theophilus Raynaudus in sua *Ana-*
ngnoste etc. Illud quoque cum Flo-
r> rentinio animadvertimus, etsi ah-
n qua in Martyrologio occurrant cor-
n rectione digna, non esse cuiusque
» agere censorem, sed Ecclesiae iu-
» dicium esse expectandum. En verba
» Fiorentina in *Admonit. 44 ad suum*
» *Martyrologium pag. 34 - Ceterum,*
n *etsi aliqua videantur animadver-*
ti *sione digna, non cuiusque iuris est*
n *censorem agere , sed expectandum*
» *quousque, re mature discussa, emen-*
» *dationem, si opus est, Ecclesia ipsa*
v *decernat.* Postremo asserimus, Apo-
» stolicam Sedem non iudicare, in-
» concussa esse et certissimae veri-
» tatis quaecumque in Martyrolo-
» gium Romanum inserta sunt, ut
«animadvertitur in *cit. dissert...»*

«Nec urgent (sic prosequitur
j) num. 10) Apostolicae litterae Gre-
V goni XIII Martyrologio Romano
» praefixae, in quibus dicitur, emen-
n datum fuisse Romanum Martyro-
» logium, idque esse legendum in
» Choro, nec aliud ulla in re mi-
» nutum aut mutatum esse eden-
» dum. Ex hoc enim recte non in-
» fertur, omnes et singulos errores
» fuisse a Martyrologio sublatos, nec
» viris in ecclesiastica historia peritis
ff prohibitum dici potest confugere
» ad Sanctam Sedem si novae cor-
» rectionis fundamenta suppetant. »

In eodem opere *lib.. 4 par. 2 cap. 45*, de Breviario Romano sic
legitur ad rem nostram in num. 7:
«...At, loquendo de Breviario Ro-
» mano, prout nunc est. memoratus
r> Gavantus.... exponens eorrectio-
y> nem secundarum lectionum Bre-
n viarii, in quibus Sanctorum histo-
» riae referuntur, factam a Cardinaii-
» bus Baronio et Bellarmino tempore
» Clementis VIII, testatur, eis per-
» difficile visum fuisse *ad Historiae*
» *veritatem bona fide restituere San-*
» *ctorum lectiones, idque minima*
» *quae fieri potuit mutatione; immo,*
» *quae controversa erant, alicuius ta-*
li *men gravis Auctoris testimonio suf-*
n *fulla aliquam haberent probabili-*
v *tatem, retenta sunt eo modo, quo*
» *erant, cum falsitatis argui non pos-*
» *sint, quamvis fortasse altera senten-*
7i *tia sit a pluribus recepta.* Ex hac
» ingenua confessione nonnulli an-
» sam arripuerunt acriter obloquendi
» Breviario Romano; item asserendi,
» id fabulis esse repletum, eiusque
» auctoritatem in factis historicis esse
» omnino spernendam: aliis contra,
» adversum Ecclesiae Romanae sen-
» sum sustinentibus, impium esse et
ff quasi haereticum de factis histori-
» cis in Breviario Romano relatis
ff dubitare, et multo magis iis re-
ff fragari.»

u Sed (ita prosequitur num. 8),
» quatenus per mediam viam, quae
» tutior est, incedendum sit, videtur
» quidem tuto asseri posse, non mo-
» dicum auctoritatis pondus factis
» historicis accedere, quae relata sunt

» et adprobata in Breviario Romano » (ecquis enim de hac assumptione *n* poterit dubitare, postquam certum » est, Breviarium Romanum pluries » fuisse recognitum atque emenda- ri tum, habito tot virorum pietate et » doctrina illustrium consilio?) atta- » men ita, ut vetitum existimari non *n* possit, debita cum modestia , et » gravi fundamento, quae occurrunt » in factis historicis, difficultates ex- » ponere, easque iudicio Sedis Apo- » stolicae supponere, ut eorum ve- *f*> ritatem et robur perpendat, si » quando manus iterum admovean- » tur ad Breviarii Romani corre- » ctionem.»

APPENDIX II.

EXEMPLUM SUPER MODO CONSTRUENDI PROCESSUALES TABULAS IUXTA CANONICAM PRAXIM IN ECCLESIASTICIS CURIIS, QUAE VICISSITUDINE TEMPORUM NON AMISERUNT VETEREM METHODUM EAS RITE CONSTRUENDI.

Non unus tantum alterve nobis suggessit, ut, quando in causis referendis occurrerent processuales tabulae rite constructae, eas exhiberemus, ut possent inservire tamquam norma pro illis Curiis ecclesiasticis, quae vicissitudine temporum veterem methodum amiserunt eas tabulas consumendi : atque significarunt magnum commodum hoc pacto eisdem Curiis nos esse allaturos.

Ad commoditatem itaque earum Curiarum, quae, uti constat, paucae numero non sunt, id praestabimus, si nimia processus prolixitas id non impediat.

In causa Sponsalium quam supra retulimus *pag. 95* processus, a Curia S. Congregationi exhibitus, visus nobis est rite confectus, qui cum brevis sit, eius methodum referimus; eritque primum exemplum (1).

Coram Episcopali Curia N libellum obtulit Caia, quo promissionem repromissionemque de futuro matrimonio cum Titio causata, cum sub-

it) Heic iuvabit indicare, quae iam sparsim in his nostris ephemeridibus vel scripsimus vel adduximus processus respicientia. Vid. de iudiciis summariis *Vol. V pag. 37* §. *Altera quaestio, et seqq.* Vid. *Vol. III pag. 505,* in quo refertur methodus denunciationes rite suscipiendi. Vid. Instructionem datam a S. C. G. in conficiendo processu in causis matrimonialibus in *Yol. I pag. 439,* nec non Constitutionem Benedicti XIV *Dei miseratione* in *Yol. IYpag. 346,* et in *Yol. I pag.* ***442 in Adnot.***

sequenti stupro et prolis susceptione, instabat, ut impedimentum *nihil transeat* contra Titium apponeretur ad eius matrimonium cum Sempronia obtruncandum. Obstitit acriter Titius eius instantiae, et Episcopalis Curia decrevit, ut intra quinque dies, ab intimationis die, Caia probaret et argumentis fulciret petitionem suam. Se stitit in Curia infra praescriptum terminum Actrix, et iuxta receptam intimationem quatuor testes proposuit, quos Curiam rogavit, ut vocarentur ad deponendum pro impedimenti existentia.

Hac accepta nova petitione, Decretum editum fuit, cuius hic tenor: « Praesentata fuit instantia hodie » die 30 mensis Iunii in hac Episcopali Curia tenoris etc. per ipsam » petentem etc. Visa etiam nostra » decretatione die 27 Iunii emissa » in causa impedimenti impedientis » matrimonium propter sponsalia inter Caiam et Titium, ambos de hac » civitate N, qua praecipiebatur, ut » ipsa Caia ad probationem sui asserti impedimenti testimonia vel » titulos afferret. Et quoniam ab ipsa » Caia pro testibus deducti fuere Livia, Berta, Lucia et Anastasia, omnes de hac N civitate, nos Episcopus N ius facientes, decernimus, » ut testes ab ipsa impediente atque » instante ut supra, iam deducti, ad » omnem eius instantiam et requisitionem citentur moneantur et » requirantur, quatenus praecise et » peremptorie compareant in hac nostra Episcopali Curia die quarta » currentis mensis Iulii hora vero » vicesima, ut examinentur, delegantes ad examen hunc nostrum Cancellarium. Intimetur parti adversae, » ut si habeat aliquid recusandutn » adversus eas alleget ad Episcopalem Curiam antequam examinentur, et habeatur ratio in examine, » et hoc faciat in termino dierum » assignato (1). Aliter dicto die elapso » ad ulteriora procedetur prout iuris, » absentia vel contumacia non obstantibus. Ita etc. Datum ex Episcopali Curia die 1 mensis Iulii » anno .... A Episcop. N. B Cane. »

« Eadem die 1 mensis Iulii Cursor huius Curiae X retulit mihi » se intimasse, copiamque relati Decreti reliquisse testibus etiam et partibus ipsis. In quorum fidem etc. » B Cancellarius.»

Ad tramites huius Decreti examen testium locum habuit sequenti modo coeptum expletumque.

« Anno... die 4 mensis Iulii » in Episcopali Curia N. In executionem Decreti editi ab hac Beverendissima Curia die 1 currentis » mensis Iulii dicta die a Cursore » notificata partibus non solum, sed » etiam testibus a Caia inductis eius » instantia diei 30 Iunii proxime » praeteriti quo probare intendit, se » vera sponsalia contraxisse cum Titio eiusdem Civitatis cum promissione et repromissione de futuris

(1) Quosnam testes Reus possit recusare, tradunt prolixe Auctores sub titulis de *Probationibus et Testibus.*

» nuptiis contrahendis. Nos itaque » ab Episcopo specialiter delegati ut » huic examini praesideremus hodie »die 4 mensis Iulii anni. . . . ad- » stante Procancellario nostro C, et » praecise hora dicti diei vicesima, » testium examen incepimus lectis » coram ipsis et partibus litigantibus » instantia et nostro relativo Decreto, » quo testes excepti fuere a praedi- » età Caia oblati: et quoniam reiectio » nulla locum habuit ex parte Titii, » ante omnes ipsum Titium vocavi- » mus, quo absente, introducta fuit » prima ex testibus Livia nomine, » quondam Lucii, et emisso iure- » iurando, eidem delato, se verita- » tem dicturam, et veritatem solam » illis in omnibus quae ei nota essent » circa impedimentum canonicum de »quo quaestio est, eam tali modo » rogavimus. *(Sequentes rogationes et responsiones latine vertimus.)*

» Rogatio. An esset Sanguine » coniuncta vel affinis uni aut alteri » ex partibus contendentibus: qualis » sit eius aetas et conditio: an pe- » cuniam vel donum aliquod iam » receperit vel ei fuerit promissum » ut talem ederet depositionem : et » an libere et sponte vel coactione » intercedente deponeret? *Responsio:* » Nec consanguinea sum ego nec » affinis Caiae aut Titio: aetatem ha- » beo annorum circiter quadraginta, » et nupta sum: nihil recepi ut de- » ponerem et libenti animo respon- » deo (1).

» Rogatio: An sciret contractum » sponsalium, hoc est promissionem » repromissionemque de futuro ma- » trimonio inter viduum Titium et » Caiam, vel factum quoddam, ex quo » id omne deduci valeat? *Responsio:* » Öomus mea tum Caiae tum Titio » proxima est: et hac de causa oc- » casionem habui noscendi amores in- » ter unum et alteram, pluriesque » Titius penes me institit, ut Caiam » vocarem eamque inducerem ad pe- » tendam eiusdem Titii domum; plu- » ries autem, idque saepius, dictum » Titium vidi domum Caiae introuen- » tem. Novi etiam ex conscientia, ex » propria Titii confessione, ipsum » omnia tentasse, ut illa in eius tur- » pia vota concederet, promissione » matrimonii data. Addidit : Caiae » praegnantia»* doctus Antonius coe- » pit rarius Caiam videre, quae quum » haec animadverteret, tota die Iu- » gebat; deque hac re certior factus » a me Titius respondit, Caiam flere » non debere *bene enim coscientiam » suam noscebat.*

» Rogatio: An quidquam ultro » cognoscat. *Responsio:* Novi quatuor » vix abhinc diebus Caiam peperisse » puellam, quam secum retinet.

» Rogatio : An esset famula vel » quidquam Caiae praestaret? JRe- » *sponsio:* Nequaquam, sed tantum

(1) Hic iudex potuisset et alia quaerere, ex. gr. utrum numquam testis in carcerem esset coniecta; utrum praecepto paschali satisfecerit, et alia, prout locorum ratio et rei da qua agitur ferat, ad melius cognoscendam testi» qualitatem

» utriusque contendentis vicinia, ceu » superius exposui, nihilque ultro.

» *Rogatio:* An velit indemnis fie- » ri? *Responsio:* utique (et ei obolos » decem tradidimus).

» *Rogatio:* An noverit scribere? » *Responsio:* se ignorare; et lectione » audita relatae depositionis, confir- » ma vit eam veram esse. Et nos sub- » scripsimus, et Noster Procancella- » rius B.

» Delegatus, specialis Episcopi C i> Procancellarius B. »

Huic unius testis examini similia quoad formam sunt alia tria, nempe illa Bertae, Luciae, et Anastasiae eadem die expleta: ideoque nobis unum tantum retulisse sufficiat. Examen vero secutae sunt partium deductiones ab utriusque Procuratoribus in contradictorio tum voce tum scriptis expositae. Quibus etiam utrimque expletis, hanc dedit Episcopus definitivam sententiam.

« In Dei nomine Amen. A. Saft crae Theologiae Doctor (1). Dei et » Apostolicae Sedis gratia Episco- » pus N, ac eidem S. Sedi immediate » subiectus. In causa impedimenti » matrimonium impedientis propter » sponsalia in hac N civitate hinter » Caiam et Titium ambos de hac «Nostra Civitate, Nos Episcopus N, » Visis libello Actricis, termino ad » probandum utrique parti dato. Vi- » sis causis allegatis, et bene auditis » et consideratis testium depositio- » nibus formiter examinatorum, pro parte impedientis Caiae deducturum, et cum iuramento receptorum, citatione seu monitione ad dicendum et ad sententiam omnibusque rite et recte in antecessum expletis, ita ut partes praedictae nullum adversus proceduram dubium, vel exceptionem eîevavérint. Auditis in público contradictorio earundem partium Advocatis seu Procuratoribus in iure et in facto oretenus et in scriptis. Audito etiam huius Curiae Promotoris Fiscalis explicito voto pro existentia et validitate praedictorum sponsalium emisso : Considerantes in praesenti causa matrimoniali ob contracta sponsalia, stricte secundum acta et probata nos iudicare teneri. Considerantes insuper ad sponsalia adstruenda, quae nudo consensu contrahuntur, unice necessarium censeri, ut constet de voluntate, ad cuius manifestationem nulla peculiaris verborum conceptio requiritur, nec aliquid imo refert utrum verbis vel aliis signis consensus exprimatur *cap. 24 et 23 de sponsal.* Considerantes ex depositione testium pro parte mulieris deducturum concludenter probari viduum Titium explendae libidinis causa honestam puellam seduxisse, camaliter cognovisse, matremque illam effecisse. De contractis vero eorum sponsalibus duo testes Bertam et Luciam seorsim sic deposuerunt: Se *semel stantes in domo*

(1) Iß JNeapolitanis regionibus viget usus. ut Episcopi indicent titulos Doctorales.

» Puellae Caiae audivisse Titium ad-ii stanti etiam et praegnanti puellae » promisisse se velle in uxorem ducere y> Caiam, ambae adi u n ge rites *et huic » promissioni dicta puella, accepta— » tione facta, acquievit.* Considerantes » quod in praesenti facto, etiamsi non » luculenter appareat explicita re- » promissio ex parte mulieris emissa, » adest tamen acceptatio eiusdem ho- » nestas et defloratio. Idque iure qui- » dem. et merito, tum quia puella » honesta copiam sui facere alteri » non censetur, nisi sub fide futuri » matrimonii, tum quia copula quae » ad libidinem simpliciter explendam «patratur, praeter reatum huiusce » peccati proprium, continet etiam » reatum iniustitiae , sive respectu » mulieris defloratae , sive respectu » prolis enasciturae. Cum igitur in » facto nihil occurrat, quo dubitari » debeat de eiusdem Caiae honestate, » praesumendum ac inferendum esse » videtur , eandem illicitis Titii vo- » tis indulxisse, non meretrici animo » sed sponsalitio, et copulam sine di- » ctae iniustitiae qualitate inter spon- » sos obtinuisse. Ex quibus dictis » clare et manifeste constat, inter » litigantes adfuisse promissionem et » repromissionem de futuro matri- » monio contrahendo, idest vera et » legitima sponsalia obligationem in- » ducentia contrahendi, ad quod ma- ii trimonium contrahendum, totis vi- » ribus Titium hortati sumus et hor- » tamur.Visis idcirco videndis,etcon- » sideratis considerandis, Dei nomine » invocato, et pro Tribunali seden- » tes. Nos A... Episcopus N dicimus, » decernimus, et definitive senten- » tiando declaramus, plene constare » de libera et voluntaria promissione » et repromissione de futuro matri- » monio contrahendo inter Titium » et Caiam, idest de veris et legiti- » mis sponsalibus, ac proinde ipsum » Titium in hac Episcopali Curia » impeditum remanere , ipsumque » utpote succumbentem ad expen- » sas omnes in praesenti causa ero- » gatas , et erogandas condemna- » mus : quarum taxationem nostro » Cancellario et cui de iure in po- » sterum condemnamus et definitive » sententiamus, non solum praemis- » so, sed alio meliori modo. Datum » N ex Residentia Episcopali hodie » die quarta mensis Augusti anni. . « Ita nos pronuntiavimus. A Episco- » pus N.»

<• Lecta fuit et lata praesens de- » finitiva sententia per Illmum et » Rmum Dominum Episcopum N Iu- » dicem in loco Audientiae Episcopa- » lis Curiae N sedentem pro Tribuna- <> Ii, hodie die 4 mensis Augusti anni » ......hora vero vicesima secunda, » adstantibus pro testibus etc. (no- » minantur duo testes). Et in fidem B » Cancellarius.»

APPENDIX III.

OFFICIUM ET MISSA BEATI URBANI V, ET DECRETUM S. CONGREGATIONIS SS. RR. QUO INDULGETUR CELEBRATIO DIEI FESTI CLERO ROMANO ET IIS OMNIBUS, QUI CALENDARIUM ROMANUM SEQUUNTUR (1).

DIE XIX DECEMBRIS

In festo
BEATI URBANI PAPAE V
Duplex

Omnia de communi Confessoris Pont. praeter sequentia.

ORATIO.

«Deus qui ad tuenda fortiter Sedis Apostolicae iura fidemque catholicam late propagandam Beatum Urbanum Confessorem tuum atque Pontificem constantia roborasti, fac nos, ipsius praesidiis adiutos, ita militanti Ecclesiae servire, ut triumphanti consociari mereamur. Per Dominum etc.»

IN I. NOCTURNO

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

«Urbanus Quintus, Pontifex Maximus, nobili Grimoardorum gente natus, in Castro Grisaco Dioecesis Mimatensis, quum innocenti adolescentia floreret, monasticum habitum sub regula Sancti Benedicti induit, ac in Massiliense coenobium Sancti Victoris cooptandus, vota nuncupavit. In Theologiae ac Iuris disciplinis ita excelluit, ut per plures annos Tolosae, Parisiis, Avenione, in Monte Pessulano, Decreta, summa cum laude, interpretaretur. Abbas dein Sancti Germani Antissiodorensis a Clemente Sexto, postmodum ab Innocentio Sexto Sancti Victoris Massiliensis praeses renuntiatus, tam imperio, quam obedientia summus et eximius, ad maiora iam paratus, dum arduis negotiis et legationibus pro Ecclesia fungeretur, in Petri Sedem assumptus, Avenione ritu solemni coronatus est.

Lectio V.

»Vix inito Pontificatu, animum admovit ad Sedem Apostolicam in Urbem reducendam, ad mores Fidelium emendandos, ad Clericorum restaurandam disciplinam, ad Claustra reformanda, ad Catholicam fidem propagandam. Apostolicas enim Missiones, Fratribus Minoribus commissas promovit usque ad Tartaros et ultimos Orientales; multosque Haereticos ex Albania, Valachia et

(1) Hoc Officium et Missa typis edita sunt S. Congreg, de Propaganda Fide, bique venalia prostant,

Bulgaria ad Ecclesiam Catholicam reduxit. Nihil etiam omisit, ut Graecorum contumaciam vinceret, recepta semel et iterum ab Imperatore Ioanne Fidei professione. Sacrum bellum contra Infideles indixit ac, Rege Cypri copiis praefecto, Alexandriam Aegypti feliciter expugnavit.

Lectio VI.

» Interim civilem Sedis Apostolicae Principatum pene eversum, Aegidio Cardinale Albornotio egregiam opero conferente, ita restituit, ut sibi et successoribus suis, necessaria tandem libertate parta, Iubens et ovans, in almam Urbem, cum ingenti Bomanorum gaudio, redierit. Basilicas Petri et Pauli instauravit ac sacrosanctam Lateranensem Ecclesiam incendio penitus absumptam magnis sumptibus restituit. In qua capita Principum Apostolorum, retroactis temporibus in sacellum Sancti Laurentii translata, recognovit; eaque solemniter Populo Romano ostensa et in Thecas inserta auro et gemmis distincta fidelibus colenda proposuit. Monasterium in Monte Pessulano instituit; praeterea Montis Cassini Coenobium in priscum decus , alter quasi conditor, redintegravit. Demum ab Urbe cum animo iterum revertendi, bb Ecclesiae negotia discessit, et Avenionem pervenit, ubi letali morbo correptus, pretiosam mortem oppetiit anno millesimo tercentesimo septuagesimo. Miraculis post obitum clarus, depositus est in Sancti Victoris Ecclesia, ubi adhuc vivens sepulchrum sibi statuerat. Cultum, ab immemorabili tempore eidem exhibitum, post quintum ab obitu revolutum saeculum Pius Nonus Pontifex Maximus, praevio Sacrorum Rituum Congregationis consilio, approbavit et confirmavit; eiusque Officium et Missam sub ritu duplici a Clero Romano et a pluribus dioecesibus recitari celebrarique benigne indulsit.»

IN III. NOCTURNO.

Lectiones de Homilia in Evangelium *Vigilate* ut in Communi secundo loco.

MISSA.

Sacerdotes tui, de communi Confess. Pont. cum Orationibus propriis: quarum prima est superius relata; reliquae vero sunt quae sequuntur.

SECRETA.

«Respice, Domine, munera, quae in Beati Urbani Confessoris tui et Pontificis commemoratione deferimus, ut eiusdem meritis et medelam nobis operentur et gloriam. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.»

POSTCOMMUNIO.

a Sacramenta quae sumpsimus Domine Deus noster illam nobis fidem innutriant: quam et Apostolica docuit praedicatio et Beati Urbani Confessoris tui atque Pontificis sollicitudo custodivit. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.»

ROMANA

« Approbato a Sancta Sede cultu publico ecclesiastico, quo ab immemorabili Massiliae et alibi fruebatur B. Urbanus PP. V (1), nec non in illius honorem concessis Officio et Missa de Communi Confessoris Pontificis cum Orationibus propriis et Lectionibus historicis secundi Nocturni ; subscriptus Cardinalis, Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae IX in Urbe Vicarius, sui muneris esse duxit Eundem Sanctissimum Dominum Nostrum humiliter rogare, quatenus Romano Clero iisque omnibus, qui Sacras Laudes persolvunt iuxta Calendarium Romanum, concedere dignaretur Indultum agendi Festum Beati Urbani Papae V die xix Decembris sub ritu duplici minori et cum Officio et Missa supradictis. Sanctitas porro Sua, haec vota ab eodem Cardinale relata clementer excipiens, benigne precibus annuere dignata est: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 12 Octobris 1870.»

Loco)$(Sigilli

C. Ep. Ostien. et Veliternen. CARD. PATRIZI S. R. C. Praef.

Dominicus Bartolini S. R. C. *Secretarius*

(1) Tum Decretum confirmationis Cultus, tum Causae synopsim retuli in *Yol.* ***Y*** *pag. 426 et 458.*

EX SECRETARIA BREVIUM.

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS INDULGENTIIS AUGENTUR INFRASCRIPTAE PIAE PRECES PRAESENTI RERUM STATU DURANTE

PIUS PAPA NONUS.

« Universis Christifidelibus praesentes Litteras inspecturis Salutem et Apostolicam Benedictionem.

» In tot tantisque rerum asperitatibus atque angustiis temporum, quibus Nos Ecclesiamque suam Deus versari permittit, ut tentatione probati vitae coronam promereri valeamus, quidam ex Fidelibus memores, quod, dum Petrus servaretur in carcere, oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo, deferendam Nobis quandam precationum formulam curaverunt, cuius initium : ***O divino amorosissimo Cuore del Signor Nostro Gesù Cristo dal quale ebbe vita la Chiesa Cattolica:*** ut ea utentes ipsi aliique, quibus adhibendam proposuerint, a Patre misericordiarum, qui neminem in se sperantem nimium affligi sinit, Nobis et christiano populo indulgentiam, libertatem veram ac stabilem pacem impetrare contendant; iidemque humiliter expetiverunt, ut omnibus, qui memoratas precationes ex allata Nobis formula recitarent, spirituales gratias largiri dignaremur. Nos ad augendam Fidelium religionem et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, huiusmodi votis Iubenti animo annuendum censuimus. Itaque de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui corde saltem contriti precationes supradictas ex formula Nobis exhibita, cuius exemplar in Tabulario Secretariae Nostrae Brevium asservari iussimus, quolibet die devote recitaverint, centum dies de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quae omnes **et** singulae In-

diligentiae, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes ut etiam Animabus Christifidelibus, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari possint, misericorditer in Domino impertimur. Praesentibus, hoc rerum statu durante, valituris.

» Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo Personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae. Praecipimus autem, ut praesentium Litterarum (quod nisi fiat, nullas easdem esse volumus) exemplar ad Secretariam Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae deferatur, iuxta Decretum ab eadem Congregatione sub die 19 Ianuarii 1756 latum et a S. M. Benedicto Papa XIV Praedecessore Nostro die 28 dicti mensis adprobatum (1). Datum Romae apud S. Petrum sub annulo piscatoris die 29 Novembris 1870. Pontificatus Nostri Anno Vicesimoquinto.»

Loco ^ Signi

N. **CARD. PARACCIAISI CLARELLI.**

Praesentes Litterae Apostolicae in forma Brevis sub datam 29 Novemb. 1870 exhibitae sunt in Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum die 3 Decembris 1870 ad formam Decretorum etc. In quorum fidem etc.

Dominicus Sarra S. I. C. Substitutus.

(1) Decretum heic indicatum et iterum confirmatam retuli in Vol.JJIp.i07. Ordinaria praxis quae servatur ad petendas Indulgentias haec est: primo piae precationes, quae ditari indulgentiis cupiantur, deferendae sunt ad Assessorem Congregationis SS. RR., qui eas examinet, ne aliquid forte in eisdem reperiatur quod minus cum fide vel catholica doctrina cohaerere videatur; atque precationibus examinatis, vel etiam si opus sit correclis, Assessor apponit Decretum: *Nihil obstat.* Deinde admoventur preces SSmo Patri per Secretariam Brevium ut dignetur pias precationes indulgentiis ditare. Si Sanctissimus gratiam concedat, sive per Litteras in forma Brevis sive etiam alia ratione, quoties indulgentiae sint generales, idest non ad aliquam tantum communitatem vel ad aliquem locum coercitae, exhiberi debent authentica documenta Secretariae S.Congregationis indulgentiarum, ut ibi documentorum quoque exemplaria asserventur: idque faciendum est sub poena nullitatis Indulgentiarum obtentarum. Haec indicavi ut intelligantur variae subscriptiones factae tum praesentibus Litteris Apostolicis tum piis precationibus adnexis quas infra expono.

DE PRECIBUS PRAESENTI RERUM STATU DEO FUNDENDIS.

Dum divina iustitia, orbem terrarum perambulans, in furore trae suae Nationes conterit, fidelibus non supersunt nisi preces, quibus irae gladium, ut minus feriat, in manu Dei detorqueant. Hisce enim luctuosis diebus videtur Auctor et Rector humanae societatis Deus sua vindicare suprema iura in Nationes, quasi dicens, ***per me Reges regnant*** non per populum: vexillum enim prodere incepit in vestimento et in femore suo scriptum, ***Rex regum et Dominus dominantium,*** a quo omnis est potestas non a populo.

Atque patrati divortii fomitem in conspicua catholica Natione existentem percussit primum Deus; quae quidem percussio eo durior evasit, quo in eo divortio obstinatiores percussos reperit: ita tamen, ut si victi humanam humiliationem patiantur, non habeant victores unde plurimum glorientur. Omnes enim sauciati et languentes divinae iustitiae furorem sive per victoriam sive per humiliationem persentiunt: illi felicior exitus relinqui videtur, qui minus suprema illa iura Dei in societatem denegavit.

Utinam Gallia haud humanae victoriae armorumque gloriam in praesentia quaereret, sed Regem a Deo imploraret, !qui auctoritate divina uti par est Galliam administraret, illico nobilissimum robur vigoremque suum esset consequutum!

Interim arca Dei capta iisdem divortii legibus gubernatur ab ea filiorum manu, qui in hostes iampridem conversi sunt ea praesertim de causa, quod tamquam intimiores magistros ducesque habuerint, qui catholicam Galliam in praesentem duxerunt ruinam. Ex quibus argui potest quid Italiae immineat, nisi ipsa sponte deleat (quod tamen impossibile videtur) praecipuam contritionis causam, quam postremo facinore auxit complevitque.

Romanus Pontifex, a cuius dignitate et exaltatione pendet dignitas et exaltatio catholicae Ecclesiae, in alienis manibus depressus vivere cogitur et cum eo universa deprimitur Ecclesia, quae non Dominae, sed Servae figuram gerit. Videtur Deus erga Ecclesiam suam in praesentia facere sicut paterfamiiias, qui, dum ad altiora est intentus in bonum filiorum, neque de ipsis filiis cogitare vi-

detur, quamquam eos audiat supplicantes et gementes: quasi vero silentio suo dicat: cito ad vos convertar posteaquam haec primum conterenda contriverim; interim qua potestis ratione manete.

Inter plurima pietatis opera et preces, quas in universo terrarum orbe pro Romani Pontificis et Ecclesiae exaltatione Deo fundunt fideles, hae quoque, quas hic exponimus, erunt connumerandae, indulgentiis ditatae, uti ex relato Brevi Apostolico.

Iam alias adnotavimus, indulgentias precibus adnexas lucrifieri posse quavis lingua preces recitentur, dummodo versiones originalibus precibus respondeant. Scimus has preces iam gallice verti Bruxellis in Belgio a typographo H. Goemaere; item germanice Ratisbonae in Bavaria a typographo Fr. Pustet; item anglice Baltimorae in Statibus Foederatis in America a typographis Kelly et Piet, et alibi; nos etiam multa exemplarium millia italice edidimus.

PREGHIERE PEL SANTO PADRE

DA RECITARSI NELLE FAMIGLIE

Petrus quidem servabatur in carcere, oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo (Act. Ap.)

I. O divino amorosissimo Cuore del Signor Nostro Gesù Cristo dal quale ebbe vita la Cattolica Chiesa, ecco umiliati e confidenti innanzi a Voi tanti figli che col più vivo affetto dell'animo vi pregano per l'augusto suo Capo e loro Padre, il Sommo Pontefice. Deh per pietà vogliate consolarlo colle vostre consolazioni,

PRECES PRO ROMANO PONTIFICE

IN FAMILIIS RECITANDAS

VERSIO. /. ***O Divinum atque amantissimum Cor Domini Nostri Iesu Christi, unde Catholica Ecclesia vitam traxit, en coram*** Te ***humiles ac fidentes filios qui, vehementiori quo possunt animi affectu, pro augusto eius Capite suoque Patre, Summo Pontifice, tibi preces fundunt. Quaesumus Domine pro tua clementia ut eum tua dulcedi-***

aiutarlo colla vostra onnipotenza e sostenerlo finche riporti piena vittoria de' suoi nemici che sono pur quelli della giustizia e della verità. ***Pater Ave e Gloria.***

II. O Vergine Immacolata, Maria Madre di Dio, ascoltate le umili e confidenti preghiere che v'indirizziamo per la persona del Vicario di Gesù Cristo. Voi per quel serto di splendidissima gloria di cui vi cinse il capo colla dogmatica definizione del vostro immacolato concepimento, consolatelo nelle amarezze che gli cagionano gl' ingrati suoi figli, sostenetelo nei giorni del dolore e della prova ed ottenetegli dal vostro Unigenito di vedere anche qui in terra il pieno trionfo della sua Chiesa. ***Regina sine labe originali concepta ora pro nobis.*** Tre ***Ave.***

III. Invitto condottiere delle milizie celesti, Arcangelo S. Michele, Voi o purissimo S. Giuseppe Sposo di Maria Vergine e padre putativo di Gesù Cristo (1) e Voi ancora o gloriosi Principi della

ne recrees, tua virtute confirmes ac tuearis, quo plenum referat de hostibus suis triumphum, qui iustitiae pariter ac veritati adversantur. Pater Ave et Gloria.

ii. ***Virgo immaculata, Maria Dei Genitrix, audi preces humilitate ac fiducia subnixas, quas tibi pro Summo Pontifice Jesu Christi Vicario deferimus. Eia Mater per illud splendidissimum gloriae decus, quo coronam capitis Tui cumulavit, quum Te in conceptu primigeniae labis expertem solemniter definivit, Tu ei esto solatium inter amaritudines quas ab ingratis filiis patitur, in diebus doloris ac tentationis eum protege, eique impetra ab Unigenito Filio Tuo, ut plenam Ecclesiae suae victoriam adhuc viator in terris laetus aspiciat.*** Regina sine labe originali concepta, ora pro nobis. ***Dicitur ter*** Ave.

III. Sancte Michael Archangele, invicte dux militiae coelestis, Tuque Ioseph, purissime sponse Mariae Virginis, ac Pater putative Iesu Christi, Vosque etiam gloriosi Principes terrae SS. Apostoli

(1) Hic interserí impune possunt haec alia verba, *Patrono delia Chiesa Cattolica:* non enim haec verba fuissent omissa si preces concinnatae essent post Decretum editum die 8 Decembris huius anni 1870, quo S. Ioseph declaratus est catholicae Ecclesiae Patronus: ideoque bene facerent, qui has preces excribunt aut vertunt, si dictum titulum intersererent.

terra Santi Apostoli Pietro e Paolo intercedete presso Dio, perchè a gloria sua e delia Chiesa ed a consolazione dei Fedeli sparsi per l'Orbe Cattolico, mandi dal Cielo un'altra volta il suo Angelo a togliere dalle mani dei suoi nemici il Vicario di Gesù Cristo, sicché egli sia veramente libero neh" esercizio del supremo infallibile suo magistero. ***Pater Ave e Gloria.***

Ut inimicos Sanctae Ecclesiae humiliare digneris

Te rogamus audi nos. ***Pater Ave e Gloria.***

Ut Ecclesiam Tuam Sanctam regere et gubernare digneris

Te rogamus audi nos. ***Pater Ave e Gloria.***

Ut Domnum Apostolicum et omnes ecclesiasticos ordines in sancta religione conservare digneris

Te rogamus audi nos. ***Pater Ave e Gloria.***

^. Oremus pro Pontifice Nostro Pio.

RJ. Dominus conservet eum et vivificet eum et beatum faciat eum in terra et non tradat eum in manu inimicorum eius.

^. Oremus. - Omnipotens Sempiterne Deus miserere famulo tuo Pontifici nostro Pio et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis aeternae, ut te donante tibi placita cupiat et tota virtute perficiat: per Christum Dominum nostrum. Amen.

NIHIL OBSTAT. Augustinus Adv. Caprara S.R.C. Adsessor Coadiutor.

La presente Copia è conforme all' Originale che esiste nell'Archivio della Segreteria de' Brevi. In fede ecc. Roma 7 Décembre 1870.

Dalla Segreteria de' Brevi, Felice Profili Sostituto della Segreteria de' Brevi.

Petre ac Paule, intercedite pro nobis ad Dominum, ut ad gloriam suam et Ecclesiae et ad consolationem fidelium toto orbe catholico diffusorum emittat e coelis iterum Angelum suum, qui Iesu Christi Vicarium eripiat e manibus inimicorum suorum, ut munus supremi atque infallibilis magisterii vera exerceat libertate. Pater Ave et Gloria.

Ut inimicos Sanctae etc. uti supra in originali.

ALIA DEVOTA PRECATIO INDULGENTIIS DITATA

ORATIO

« Clementissima Iesu, salus, vita, resurrectio nostra Tu solus es: Te ergo quaesumus, ne derelinquas nos in angustiis et perturbationibus nostris, sed per agoniam Cordis Tui Sanctissimi et per dolores Matris Tuae Immaculatae, Tuis famulis subveni, quos pretioso Sanguine redemisti.»

DECRETUM. SSmus Dominus Noster Pius PP. IX in audientia habita ab infrascripto Card. Praefecto S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae die 6 Octobris 1870 benigne indulsit; ut omnes utriusque sexus Christifideles, qui corde saltem contrito suprascriptam Orationem devote recitaverint *Indulgentiam centum dierum semel in die lucrentur.* Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 6 Octobris 1870.

A. Card. BIZZARRI Praefectus
Dominicus Sarra Substitutus.

EX VATICANO.

EPISTOLA ENCYCLICA

QUA RERUM ENARRATIONE PRAEMISSA DE IIS QUAE VIOLENTAM CAPTIONEM URBIS PRAECESSERUNT ET SUBSEQUUTA SUNT, CENSURAE IAM LATAE CONFIRMANTUR.

Sanctissimi Domini Nostri Pii Divina providentia* PAPAE IX *Epistola encyclica ad omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios gratiam et communionem cum Apostolica Sede habentes.

PIUS PP. IX.

Venerabiles Fratres, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

« Respicientes ea omnia, quae Subalpinum Gubernium pluribus ab annis non intermissis molitionibus gerit ad evertendum civilem Principatum singulari Dei providentia huic Apostolicae Sedi concessum, ut Beati Petri successores in exercitio spiritualis suae iurisdictionis necessaria ac plena libertate et securitate uterentur; fieri non potest, VV. FF., ut in tanta contra Ecclesiam Dei et Sanctam hanc Sedem conspiratione intimo cordis Nostri dolore non moveamur: atque hoc tam luctuoso tempore, quo idem Gubernium sectarum perditionis consilia sequens, sacrilegam almae Urbis Nostrae et reliquarum civitatum, quarum Nobis imperium ex superiori usurpatione supererat, invasionem quam iamdiu meditabitur, contra omne fas, vi armisque complevit, dum Nos arcana Dei consilia coram Ipso prostrati humiliter veneramur, illam Prophetae vocem usurpare cogimur « ego plorans et oculus meus deducens aquas, quia longe factus est a me consolator convertens animam meam; facti sunt lilii mei perditi quoniam invaluit inimicus (1).

(1) Ierem. thr. 1, 16

» Satis quidem VV. FF., a Nobis exposita et catholico orbi iamdiu patefacta est nefarii huius belli historia, idque fecimus pluribus Allocutionibus Nostris, Encyclicis, Brevibusque litteris diverso tempore habitis aut datis, nempe diebus 1 Novembris an. 18S0, 22 Ian. et 26 Iulii 1855, 18 et 28 Iunii et 26 Sept. 1859, 19 Ian. 1860, ac Apostolicis Litteris 26 Martii 1860, Allocutionibus deinde 28 Sept. 1860, 18 Martii et 30 Sept. 1861 et 20 Septembris 17 Octob, et 14 Nov. 1867 (1). Horum documentorum serie, perspectae atque exploratae fiunt gravissimae iniuriae a Subalpino Gubernio, iam ante ipsam Ecclesiasticae ditionis superioribus annis inceptam occupationem, Supremae Nostrae et huius Sanctae Sedis auctoritati illatae, tum legibus contra na^turale, divinum et ecclesiasticum ius rogatis, tum sacris ministris, religiosis familiis et Episcopis ipsis indignae vexationi subiectis; tum obligatam solemnibus conventionibus cum eadem Apostolica Sede initis fidem infringendo, atque earum inviolabile ius praefracte denegando vel eo ipso tempore, quo novas Nobiscum tractationes inire velle significabat. Ex iisdem documentis plane liquet, VV. FF., totaque videbit posteritas, quibus artibus et quam callidis ac indignis molitionibus idem Gubernium ad iustitiam et sanctitatem iurium huius Apostolicae Sedis opprimendam pervenerit, ac simul cognoscet quae curae Nostrae fuerint in illius audacia, quae augebatur in dies, quantum in Nobis erat compescenda atque in Ecclesiae causa vindicanda. Probe nostis anno 1859 ab ipsa Subalpina potestate praecipuas Aemiliae civitates submissis scriptis, conspiratoribus, armis, pecunia ad perduellionem fuisse excitatas; nec multo post, comitiis populi indictis, captatisque suffragiis plebiscitum confictum esse, eoque fuco et nomine provincias Nostras in ea regione positas a paterno Nostro imperio, bonis frustra refragantibus, avulsas. Perspectum quoque est, anno deinde consequuto, idem Gubernium ut alias huius S. Sedis provincias in Piceno, Umbria et Patrimonio sitas in praedam suam converteret, dolosis praetextibus adductis, improviso impetu milites Nostros et voluntariam Catholicae iuventutis manum, quae religionis spiritu et pietate erga communem Pa-

ti) Haee omnia documenta referimus in Appendice IV, ea videlicet quae hactenus in nostris ephemeridibus inserta non sunt. (Redactoris ephemeridum adnotatio.)

lentem adducta ex omni orbe ad defensionem Nostram convolaverat, magno circumvenisse exercitu, eosque tam subitam irruptionem minime suspicantes, impavide tamen pro religione certantes cruento proelio oppressisse. Neminem latet insignis eiusdem Gubernii impudentia et hypocrisis, qua ad minuendam sacrilegae huius usurpationis invidiam iactare non dubitavit se illas invasisse provincias ut principia moralis ordinis ibi restitueret, dum tamen reipsa ubique falsae cuiusque doctrinae diffusionem cultumque promovit, ubique cupiditatibus et impietati habenas laxavit, immeritas etiam poenas sumens de Sacris Antistibus, de Ecclesiasticis cuiusque gradus viris, quos in custodiam abripuit et publicis-contumeliis vexari permisit, cum interea insectatoribus et iis, qui ne Supremi quidem Pontificatus dignitati in persona humilitatis Nostrae parcebant, impune esse pateretur. Constat praeterea, Nos debito officii Nostri munere non solum iteratis semper obstitisse consiliis et postulationibus Nobis oblatis, quibus agebatur ut officium Nostrum turpiter proderemus, vel scilicet iuribus et possessionibus Ecclesiae dimissis ac traditis, vel nefaria cum usurpatoribus conciliatione inita; verum etiam Nos iniquis hisce ausibus et facinoribus contra omne humanum et divinum ius perpetratis solemnes protestationes coram Deo et hominibus opposuisse, iUorumque auctores et fautores Ecclesiasticis censuris obstrictos declarasse et quatenus opus esset iisdem censuris in illos denuo animadvertisse. Denique exploratum est, praedictum Gubernium in sua contumacia suisque machinationibus nihilominus perstitisse, rebellionemque in reliquis Nostris provinciis et in Urbe praesertim promovere immissis perturbatoribus ac omnis generis artibus sine intermissione curavisse.

» Hisce autem conatibus minime ex sententia procedentibus propter inconcussam Nostrorum militum fidem, Nostrorumque populorum amorem ac studium insigniter et constanter Nobis declaratum, turbulentam demum illam tempestatem in Nos erupisse anno 1867, quum Autumni tempore conversae in Nostros fines et hanc Urbem fuerunt perditissimorum hominum cohortes scelere et furore inflammatae et subsidiis Gubernii eiusdem adiutae, quorum ex numero occulti plures in ipsa hac Urbe pridem consederant; atque ab earum vi, crudelitate et armis omnia Nobis Nostrisque dilectissimis subditis acerba et cruenta timenda

erant, uti liquido apparuit, nisi Deus misericors earumdem impetus et strenuitate Nostrarum copiarum et valido Iegionum auxilio ab inclyta natione Gallica Nobis submisso irritos reddidisset.

» In tot vero dimicationibus, in tanta periculorum, sollicitudinum, acerbitatum serie maximum Nobis interim Divina Providentia solatium conferebat ex praeclara vestra, VV. FF., vestrorumque Fidelium erga Nos et hanc Apostolicam Sedem pietate ac studio, quod et insignibus significationibus editis et catholicae charitatis operibus iugiter demonstrastis. Et quamquam gravissima in quibus versabamur discrimina vix aliquas Nobis inducias relinquerent, nihil tamen unquam, Deo Nos confortante, curarum remisimus, quae ad temporalem subditorum Nostrorum prosperitatem tuendam pertinebant; ac quae esset apud Nos tranquillitatis et securitatis publicae ratio, quae optimarum quarumcumque disciplinarum et artium conditio, quae populorum Nostrorum erga Nos fides et voluntas, omnibus nationibus facile innotuit, ex quibus advenae frequentissimi in hanc Urbem, occasione praesertim plurium celebritatum, quas peregimus, sacrorumque solemnium certatim omni tempore confluxerunt.

» Iamvero cum res ita se haberent nostrique populi tranquilla pace fruerentur, Rex Subalpinus eiusque Gubernium, capta occasione ingentis inter duas potentissimas Europae nationes flagrantis belli, quarum cum altera pepigerant se inviolatum servaturos praesentem ecclesiasticae ditionis statum, nec a factiosis violari passuros, protinus reliquas dominationis Nostrae terras sedemque ipsam Nostram invadere et in suam potestatem redigere decreverunt. At quorsum haec hostilis invasio, quaenam causae praeferebantur? Notissima profecto cuique sunt ea quae in Epistola Regis die 8 proxime elapsi Septembris ad Nos data et per ipsius Oratorem ad Nos destinatum Nobis tradita disseruntur, in qua longo fallacique verborum et sententiarum ambitu, ostentatis amantis filii et catholici hominis nominibus causaque obtenta publici ordinis, Pontificatus ipsius et personae Nostrae servandae, illud poscebatur, ne temporalis nostrae potestatis eversionem velut hostile facinus vellemus accipere, atque ultro eadem potestate cederemus futilibus confisi sponsionibus ab ipso oblatis, quibus vota, ut aiebat, populorum Italiae cum supremo spiritualis Romani Pontificis auctoritatis iure et libertate conciliarentur. Nos

equidem non potuimus non vehementer mirari, videntes qua ratione vis, quae Nobis brevi inferenda erat, obtegi et dissimulavi vellet, nec potuimus non dolere intimo animo vicem Regis eiusdem qui iniquis consiliis adactus, nova in dies Ecclesiae vulnera infligit et hominum magis quam Dei respectu habito, non cogitat esse in caelis Regem regum et Dominum dominantium, qui « non subtrahet personam cuiusquam, nec verebitur magnitudinem cuiusquam, quoniam pusillum et magnum ipse fecit, fortioribus autem fortior instat cruciatio (1).» Quod autem attinet ad propositas Nobis postulationes, cunctandum Nobis non esse censuimus, quin officii et conscientiae legibus parentes, Praedecessorum Nostrorum exempla sequeremur, ac praesertim fel. rec. Pii VII, cuius invicti animi sensa ab eo prolata in simili prorsus causa, ac Nostra est, hic uti Nobis communia exprimere ac usurpare iuvat. « Memineramus cum S. Ambrosio (2) ***Naboth Sanctum » virum possessorem vineae suae interpellatum petitione regia, ut » vineam suam daret, ubi rex succisis vitibus olus vile sereret, eum- » dem respondisse: absit ut ego patrum meorum tradam heredi- » talem.*** Multo hinc minus fas esse Nobis iudicavimus tam an- » tiquam ac sacram hereditatem (temporale scilicet Sanctae huius » Sedis Dominium non sine evidenti providentiae divinae consilio » a Romanis Pontificibus praedecessoribus Nostris tam lpnga sae- » culorum serie possessum) tradere, aut vel tacite assentiri, ut » quis Urbe principe Orbis Catholici potiretur, ubi perturbata » destructaque sanctissima regiminis forma, quae a Iesu Christo)) Ecclesiae Sanctae Suae relicta fuit atque a Sacris canonibus » Spiritu Dei conditis ordinata, in eius locum sufficeret Codicem » non modo sacris Canonibus, sed Evangelicis etiam praeceptis » contrarium atque repugnantem, inveheretque, utassolet, novum «huiusmodi rerum ordinem qui ad consociandas confundendasque » sectas superstitionesque omnes cum ecclesia Catholica mani- » festissime tendit.

» Naboth vites suas vel proprio cruore defendit (ß). Num po- » teramus Nos, quidquid tandem eventurum esset Nobis, non iura » possessionesque Sanctae Romanae Ecclesiae defendere, quibus » servandis, quantum in Nobis est, solemnis iurisiurandi Nos ob-

it) Sap. VI, 8 et 9. - (2) De Basil, trad. n. 17. - (3) S. Ambros. ibid.

» strinximus religione? Vel non libertatem Apostolicae Sedis cum » libertate atque utilitate Ecclesiae universae adeo coniunctam » vindicare?

» Ac quam magna revera sit temporalis huius Principatus » congruentia atque necessitas ad asserendum Supremo Ecclesiae » Capiti tutum ac liberum exercitium spiritualis illius, quae di- » vinitus Illi toto orbe tradita est, potestatis, ea ipsa, quae nunc)) eveniunt (etiamsi alia deessent argumenta) nimis iam multa » demonstrant (1).»

» His igitur inhaerentes sensibus quos in pluribus Allocutionibus Nostris constanter professi sumus, responsione Nostra ad Regem data, iniustas eius postulationes reprobavimus, ita tamen ut acerbum dolorem Nostrum paternae charitati coniunctum ostenderemus, quae vel ipsos filios, rebellem Absalon imitantes, nescit a sua sollicitudine removere. Hisce autem litteris nondum ad Regem perlatis, ab eius interea exercitu pontificiae Nostrae ditionis intactae hactenus et pacificae urbes occupatae fuerunt, praesidialis militibus, ubi resistere conati fuerant, facile disiectis; ac brevi deinde infaustus ille dies proxime elapsi Septembris vicesimus illuxit, quo hanc Urbem Apostolorum Principis Sedem, catholicae religionis centrum omniumque gentium perfugium multis armatorum millibus obsessam vidimus, factaque .murorum labe et excussorum missilium terrore intra ipsam illato, vi et armis expugnatam deplorare debuimus eius iussu qui paulo ante filiali in Nos affectu et fideli in religionem animo esse tam insigniter professus fuerat.

» Quidnam Nobis ac bonis omnibus illo die luctuosius esse potuit? in quo copiis Urbem ingressis, magna factiosorum adventitia multitudine repleta Urbe, vidimus statim publici ordinis rationem perturbatam et eversam, vidimus in Nostrae humilitatis persona Supremi ipsius Pontificatus dignitatem et sanctitatem impiis vocibus impetitam, vidimus fidelissimas Nostrorum militum cohortes omni contumeliarum genere affectas, atque effrenem late licentiam ac petulantiam dominari, ubi paulo ante filiorum affectus, communis Parentis moerorem relevare cupientium, eminebat. Ab eo deinde die ea sub oculis nostris consequuta sunt,

(I) Litt. Apost. 10 Iun. 1809.

quae non sine iusta bonorum omnium indignatione commemorari possunt: nefarii libri mendaciis, turpitudine, impietate referti ad facilem emptionem proponi coepti et passim disseminari; multiplices ephemerides in dies vulgari ad corruptelam mentium et honesti moris, ad contemptum et calumniam religionis, ad inflammandam contra Nos et hanc Apostolicam Sedem publicam opinionem spectantes; foedae indignaeque imagines publicari, aliaque huius generis opera, quibus res personaeque sacrae ludibrio habentur et irrisioni publicae exponuntur; decreti honores et monumenta iis qui iudicio et legibus poenas gravissimorum criminum dederunt; Ecclesiae ministri in quos omnis conflatur invidia, plures iniuriis lacessiti, ac aliqui etiam proditurus percussionibus sauciati; nonnullae religiosae domus iniustis conquisitionibus subiectae; violatae Nostrae Quirinales domus, atque ex iis ubi Sedem habebat unus e S. R. E. Cardinalibus violento iussu raptim abire coactus, aliique Ecclesiastici viri e familiarium Nostrorum numero ab illarum usu exclusi et molestiis affecti; leges et decreta edita, quae libertatem, immunitatem, proprietates et iura Ecclesiae Dei manifeste laedunt ac pessumdant; quae mala gravissima latius etiam, nisi Deus propitius avertat, progressura esse dolemus, dum Nos interim ab ullo aliquo remedio afferendo conditionis Nostrae ratione praepediti vehementius in dies admonemur de ea captivitate, in qua sumus, ac de defectu plenae illius libertatis, quam Nobis relictam esse in Apostolici Nostri ministerii exercitio Orbi mendacibus verbis ostenditur, et necessariis quas appellant, cautionibus firmari velle ab intruso Gubernio iactatur.

» Neque hic praeterire possumus immane facinus quod vobis profecto innotuit VV. FF. Perinde enim ac Sedis Apostolicae possessiones et iura tot titulis sacra atque inviolabilia, ac tot per saecula semper explorata et inconcussa habita in controversiam ac disceptationem revocari possent, et quasi censurae gravissimae quibus ipso facto et absque ulla nova declaratione violatores praedictorum iurium et possessionum innodantur, populari rebellione atque audacia vim suam amittere possent, ad sacrilegam quam passi sumus expoliationem honestandam, communi naturae ac gentium iure despecto, quaesitus est ille apparatus ac ludiera plebisciti species alias in provinciis Nobis ademptis usurpata; et cjui exultare solent in rebus pessimis, hac occasione rebellionem

et ecclesiasticarum censurarum contemptum, veluti tiiumphali pompa, per Italicas urbes praeferre non erubuerunt, contra germana sensa longe maximae Italorum partis, quorum religio, devotio ac fides erga Nos et Ecclesiam Sanctam multis modis compressa, quominus libere manare possit, impeditur.

» Nos interim qui a Deo universae domui Israel regendae et gubernandae praepositi et supremi religionis ac iustitiae vindices et Ecclesiae iurium defensores constituti sumus, ne coram Deo ot Ecclesia tacuisse ac silentio Nostro tam iniquae rerum perturbationi assensum praestitisse redarguamur, renovantes et confirmantes, quae in superius citatis Allocutionibus, Encyclicis ac Brevibus litteris alias solemniter declaravimus ac novissime in protestatione, quam iussu ac nomine Nostro Cardinalis publicis negotiis praepositus ipso vicesimo Septembris die, ad Oratores, Ministros et Negotiorum gestores exterarum nationum apud Nos et hanc S. Sedem commorantes dedit, solemniori quo possumus modo iterum coram Vobis, VV. FF., declaramus, Nostram mentem, propositum et voluntatem esse omnia huius S. Sedis dominia eiusdemque iura integra, intacta, inviolala retinere atque ad successores Nostros transmittere; quamcumque eorum usurpationem, tam modo quam antea factam, iniustam, violentam, nullam irritamque esse, omniaque perduellium et invasorum acta, sive quae hactenus gesta sunt, sive quae forsitan in posterum gerentur ad praedictam usurpationem quoquo modo confirmandam, a Nobis etiam nunc pro tunc damnari, rescindi, cassari et abrogari.

» Declaramus praeterea et protestamur coram Deo et universo Orbe Catholico Nos in eiusmodi captivitate versari, ut supremam Nostram pastoralem auctoritatem tuto, expedite ac libere minime exercere possimus. Tandem monito illi S. Pauli obtemperantes: «Quae participatio iustitiae cum iniquitate? aut quae societas luci ad tenebras? Quae autem conventio Christi ad Belial (1),» palam aperteque edicimus ac declaramus, Nos memores oflicii Nostri et solemnis iurisiurandi quo tenemur, nulli unquam conciliationi assentiri vel assensum praestituros, quae ullo modo iura Nostra atque adeo Dei et Sanctae Sedis destruat vel imminuat: itidemque profitemur Nos paratos quidem divinae gratiae auxilio

(1) II. Cor. *V,* 14 et 15.

gravi Nostra aetate, usque ad fecem pro Christi Ecclesia calicem bibere quem Ipse prior bibere pro eadem dignatus est, nunquam commissuros ut iniquis postulationibus quae Nobis offeruntur adhaereamus atque obsecundemus. Uti enim praedecessor Noster Pius VII aiebat: « Vim huic summo Sedis Apostolicae imperio » afferre, temporalem ipsius potestatem a spirituali discerpere, »Pastoris et Principis munia dissociare, divellere, excindere, » nihil aliud est nisi opus Dei pessumdare ac perdere velle, nihil » nisi dare operam ut Religio maximum detrimentum capiat, » nihil nisi eam efficacissimo spoliare praesidio, ne summus ipsius » Rector, Pastor Deique Vicarius in Catholicos quoquo terrarum » sparsos atque inde auxilium et opem flagitantes, conferre sub- » sidia possit, quae a spirituali Ipsius, per neminem impedienda, » petuntur potestate (1).» Quoniam vero Nostra monita, expostulationes et protestationes in irritum cesserunt, idcirco auctoritate omnipotentis Dei, SS. Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra Vobis, VV. FF., ac per Vos universae Ecclesiae declaramus, eos omnes, qualibet dignitate etiam specialissima mentione digna, fulgentes, qui quarumcumque provinciarum Nostrae ditionis atque almae huius Urbis invasionem, usurpationem, occupationem vel eorum aliqua perpetrarunt, itemque ipsorum mandantes, fautores, adiutores, consiliarios, adhaerentes vel alios quoscumque praedictarum rerum exequutionem quolibet praetextu et quovis modo procurantes vel per seipsos exequentes, maiorem excommunicationem aliasque censuras et poenas ecclesiasticas a sacris Canonibus, Apostolicis Constitutionibus et generalium Conciliorum, Tridentini praesertim (sess. 22, c. 11 de Reform.) decretis inflictas incurrisse iuxta formam et tenorem expressum in superius commemoratis Apostolicis litteris Nostris die 26 Mart. an. 1860 datis.

» Memores vero Nos eius locum tenere in terris qui venit quaerere et salvum facere quod perierat, nihil magis optamus quam devios filios ad Nos revertentes paterna charitate complecti; quare levantes manus Nostras in caelum in humilitate cordis Nostri dum Deo, cuius est potius quam Nostra, iustissimam causam remittimus et commendamus, Eum per viscera misericordiae suae

(1) Alloc. 16 Martii 1808.

obsecramus obtestamurque, ut adsit praesenti auxilio Nobis, adsit Ecclesiae suae, ac misericors et propitius efficiat ut hostes Ee clesiae aeternam perniciem, quam sibi moliuntur cogitantes, **Jbr-**midandam eius iustitiam ante diem vindictae placare contendant, et mutatis consiliis Sanctae Matris Ecclesiae gemitus Nostrumque moerorem consolentur.

» Quo vero huiusmodi tam insignia beneficia a divina clementia assequantur, Vos enixe ac summopere hortamur, VV. FF., ut una cum Fidelibus cuiusque Vestrum curae concreditis, vestras férvidas preces Nostris votis coniungatis, atque omnes simul ad thronum gratiae et misericordiae adeuntes Immaculatam Deiparam Virginem Mariam et Beatos Apostolos Petrum et Paulum deprecatores adhibeamus. « Ecclesia Dei ab exortu sui us<jue ad haec tempora pluries tribulata et pluries liberata est. Ipsius vox est: ***Saepe expugnaverunt me a inventate mea, etenim non potuerunt mihi. Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam.*** Nec nunc quoque relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum. Non est abbreviata manus Domini nec facta est impotens ad salvandum. Liberabit et hoc tempore absque dubio sponsam suam qui suo sanguine redemit eam, suo spiritu dotavit, donis coelestibus exornavit, ditavit nihilominus et terrenis (1).»

»Interim uberrima coelestium gratiarum munera Vobis VV.FF., cunctisque Clericis Laicisque Fidelibus cuiusque Vestrum vigilantiae commissis a Deo ex animo adprecantes, praecipuae Nostrae erga vos charitatis pignus Apostolicam Benedictionem Vobis Ipsis eisdemque Dilectis Filiis ex intimo corde depromptam peramanter impertimus.

» Datum Romae apud S. Petrum die 1 Novembris an. 1870. Pontificatus Nostri Vicesimoquinto.»

PIUS PP. IX.

(1) S. Bern. Ep. 244 ad Conradum Reg.

APPENDIX IV.

DOCUMENTA ALLEGATA IN ENCYCLICIS APOSTOLICIS LITTERIS DIE I NOVEMBRIS ANNO MDCCCLXX DATIS, QUIBUS DOCUMENTIS OSTENDITUR QUA RATIONE SUBALPINUM GUBERNIUM IN ECCLESIAM ET S. SEDEM PLURIBUS ABHINC ANNIS SE GESSIT, ET VICISSIM.

ALLOCUTIO HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE 1 NOVEMBRIS 1850.

Venerabiles Fratres

«In Consistoriali Oratione, qua Vos alloquuti fuimus XIII Kalendas Iunii huius anni, haud praetermisimus, Venerabiles Fratres, commemorare paucis verbis ac dolere Vobiscum, quae in Carissimi in Christo Filii Nostri Sardiniae Regis Ditione contra Ecclesiae ius gesta nuper statutaque fuerant, atque una significavimus consilium Nobis esse , ut super his accuratiorem in Consessu Vestro sermonem opportuno alio tempore institueremus. Ea vero spe sustentabamur fore, ut iniuriis illic Ecclesiae illatis aliquod interea remedium afferretur, quod annuntiare Vobis possemus. Sed quoniam longe admodum abfuit ut res ex sententia succederet, nostri tandem officii esse duximus, ut, ratione in hoc negotio a Nobis adhibita ab ipsis eius rei exordiis brevissime repetita, queramur et graviori oratione reclamemus contra ea omnia, quae tum in continentibus, tum etiam in transmarinis supradictae Ditionis regionibus decreta in Ecclesiae iniuriam aut facta sunt.

» Nostis, Venerabiles Fratres, solemnem Conventionem , quae die 27 Martii anni 1841 inter Pontificium et Regi um Legatum inita fuit, èt quam sine mora tum Gregorius XVI recol. mem. Decessor Noster, tum Carolus Albertus fel. rec. Sardiniae Rex ratam habuerunt et confirmarunt ; nostis scilicet hanc Conventionem eo prorsus spectasse, ut Ecclesiasticae immunitates, quae in Ditione illa ex sanctione Sacrorum Canonum diuturno multorum saeculorum decursu viguerant, quaeque recentiori tempore pactis conventis, et Romanorum Pontificum benignitate, aliqua ex parte relaxatae fuerunt, novis adhuc ac multo arctioribus limitibus continerentur. Atque hinc non defuere in Subalpinis provinciis qui de indulgentia Decessoris Nostri ea in re, quasi de nimis ampla concessione mirarentur ; et Regium quoque Gubernium nonnullos annos abstinuit ab eiusdem Conventionis legibus in transmarinum suum Sardiniae Regnum inducendis. Iam vero idem Gubernium anno 1848 novam a Nobis Conventionem postulavit, et

die 14 Septembris eius anni Regius Legatus Legato a Nobis deputato Literas tradidit eiusmodi Conventionis formulam proponentes, paucis distinctam articulis, quos prooemium quoddam haud levis sane momenti praecederet. Pervidit facile Legatus Noster postulationem ea, qua explicabatur amplitudine ac verbis admitti prorsus non posse; immo nec agi in postulatione ipsa de mutua aliqua concessione paciscenda; quandoquidem nihil in ea proponebatur, in quo Gubernium ullam, ne levissimam quidem, obligationem erga Ecclesiam contrahere videretur. Itaque Noster idem Legatus novos proposuit articulos Gubernii votis meliori, qua fieri posse censuit, ratione consentaneus, quibus et alios adiunxit in id spectantes, ut Ecclesia omni paene civilis immunitatis usu caritura hanc saltem iacturam Uberiore in reliquis suae auctoritatis exercitio compensaret. Declaravit tum Regius Legatus, postulaturum se novas a suo Gubernio instructiones, ut plene ad proposita respondere posset. Ignoramus equidem an istructiones illae Romam umquam advenerint ; sed coniicere licet Regium Gubernium rem distulisse propter notissimas calamitates, quae Italiam paene universam subinde afflixerunt, quaeque Nos ipsos a tota Nostra civili Ditione discedere coegerunt. Postea, tranquillatis rebus, dum prope Neapolim tempus praestolaremur, quo in Urbem redire opportunum foret, novus illuc ad Nos missus est Extraordinarius Legatus, cui, mandatum inter alia erat, ut intermissam de conventione tractationem repeteret. Attamen -postquam de aliis negotiis egisset, revocatum se declaravit a Regio Gubernio, ac re necdum inchoata discessit. Itaque sperare licuit, Regiis Ministris opportunius visum fuisse, ut tractatio illa in tempus magis idoneum, post Nostrum scilicet in Urbem reditum, remitteretur.

» Attamen paucos post menses accepimus, Regium ipsum Ministerium detulisse ad Regni Comitia novam Legem de Clericorum et Ecclesiarum immunitate penitus abolenda, de iudicio etiam super Patronorum nominationibus ad Reneficia Ecclesiastica Tribunalibus Laicis attribuendo, necnon de aliis nonnullis, sive eodem sive posteriori tempore, contra Ecclesiae ius, aut non sine Religionis periculo statuendis.

» Ut primum de huiusmodi Legis propositione significatum Nobis est, reclaman contra illam iussimus tum a Cardinali Nostro Pro-Secretario Status, tum etiam a Nostro Apostolico Nuntio tunc Augustae Taurinorum degente. Sed utraque reclamatone cadente in irritum, expostulare paulo post oportuit contra ipsas, quas memoravimus, novitates ab utroque legibus ferendis Consilio approbatas, et Regia statim auctoritate sancitas. In quo eius rei progressu atque exitu non illud modo dolendum, quod Sanctissima Ecclesiae iura, quae ex Canonum sanctionibus in tot saeculorum diutur-

nitate viguerant, facto ipso violata et proculcata fuerint, sed etiam quod plures ex Deputatis ac Senatoribus Regni, qui in publica utriusque Consilii deliberatione verba fecerunt, et quorum sententia vicit, eam sibimetipsis seu Laicae Potestati auctoritatem asserere non dubitaverit, ut solemnes Conventiones super usu illorum eorundem iurium cum Sede Apostolica initas, sine huius consensu, immo et ea «reclamante, rescindere, et declarare ac facere irritas valeant.

» Videtis qualia et quam gravis momenti haec sint, Venerabiles Fratres : perspicies cuiusmodi futura esset sacrarum rerum conditio, si suus Ecclesiae iuribus honor non sit, si despiciantur illius Canones, si nulla diuturnae possessionis ratio habeatur, si tandem neque sua stet fides pactis inter Sanctam hanc Sedem et Civilem Potestatem rite conventis. Nec porro ignoratis non solum Religionis, sed etiam Civilis Ordinis, ac publicae privataeque rei omnino interesse, ut Ecclesiasticae eaedem Conventiones sanctae atque intemeratae habeantur; quandoquidem earum vi ac iure contempto et labefactato, aliorum quoque publicorum privatorumque pactorum ratio concideret.

» Iniuriis per memoratas novas sanctiones Ecclesiae et Sanctae huic Sedi illatis aliae insuper brevi intervallo additae sunt, cum scilicet Regii Administri et Iudices Laici duos praesertim sacros Antistites Nostros Venerabiles Fratres Archiepiscopum Turritanum et Archiepiscopum Taurinensem in ius vocaverunt; et illum quidem domi suae carceris loco detinuerunt, huuc vero deduxerunt militari manu in Castrum Regiae Urbis, ac tandem utrumque eorum civili poena multarunt; non alia quidem ob causam, nisi quod pro suo pastorali munere instructiones ad Parochos dederant de ratione, qua in novae Legis conspectu suae et suarum ovium Deum timentium conscientiae consulere valerent. Ita igitur id sibi arrogavit Civilis Auctoritas ut de instructionibus iudicaret, quas Ecclesiae Pastores ad conscientiarum normam pro suo munere ediderant.

» Postmodum alia his eademque gravior accessit iniuria , postquam Nobilis quidam Vir, quem inter praecipuos supradictae iniustissimae Legis suasores extitisse omnes noverant, quique abnuebat a facto illo suo palam improbando, indignus, Archiepiscopi Taurinensis auctoritate, iudicatus est, cui extrema morientium Sacramenta administrari possent. Hac scilicet occasione et Archiepiscopus idem militari manu a sua Ecclesia avulsus atque in severioris custodiae Castrum detrusus est, et Parochus e Religiosa Familia Servorum B.M.V., qui ei pro officio paruerat, una cum Religiosis Sodalibus suis e Taurinensi Coenobio per vim expulsi, atque in alia asportati sunt : quasi vero ad Laicam Potestatem pertinere possit, ut de divinorum Sacramentorum ad-

ministratione et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernat.

» Nec satis, Ipsa haec de Sacramentorum ministerio causa, et alia insuper de novis pro conscientiarum regula instructionibus antea iam a memorato Archiepiscopo, ex mandato etiam Nostro datis, delatae sunt ad Taurinense Appellationis Tribunal; a quo statim die 25 mensis Septembris decretum est, ut Archiepiscopus amandaretur extra fines Regiae Ditionis, atque ut omnia Archiepiscopatus bona sequestro retinerentur. Eodem fere tempore, die videlicet 21 eiusdem mensis, Tribunal Appellationum Regni Sardiniae similia decrevit contra Venerabilem Fratrem Archiepiscopum Calaritanum ; cui crimini datum est, quod generalibus verbis (nullius scilicet expresso nomine) declaraverat Censuras Ecclesiasticas ab iis facto ipso contractas, qui, Episcopalium Aedium immunitatem violando, partem quandam Episcopalis Tabulara intrare per vim ausi fuerant. Horum igitur Decretorum vi iidem Antistites a possessione ac procuratione deiecti sunt temporalium bonorum reddituumque ad Sacerdotia sua pertinentium, et alter quidem in Gallias, alter vero in Nostram hanc Almam Urbem venire coactus.

» Verum alia quoque sunt, ac non levia illa quidem, quae Subalpinum Gubernium contra Ecclesiae iura, vel in Religionis detrimentum, statuit ac gessit. Inter quae non possumus non lamentari vehementer de funestissima Lege, quam inde a die 4 Octobris 1848 super publica institutione, et publicis privatisque seu maiorum seu minorum disciplinarum scholis editam fuisse cognovimus. Totum illarum regimen, Episcopalibus Seminariis aliqua ratione exceptis, attributum ea in Lege habetur Regio Ministro, atque auctoritatibus eidem subditis; et ita quidem attributum ut in Articulo 58 Legis eiusdem statuatur ae declaretur, nullum alii cuicumque auctoritati fore ius immiscendi se in disciplina scholarum in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione Magistrorum. Hinc in catholica illa Ditione scholae cuiusque generis, atque adeo cathedrae eliam sacrarum disciplinarum, quarum ea in Lege mentio fit, necnon puerorum institutio ad elementa christianae Fidei, quam eadem lex inter minorum Ludimagistrorum officia adnumerat, ab Episcoporum auctoritate subtrahuntur. Ac ne quis ea de re dubitare valeat, in memorato Articulo ipsi etiam Directores spiritus inter eos recensentur, qui a Regio Ministerio sive ab auctoritatibus ei subditis, absque ullo alterius cuiuscumque auctoritatis interventu, deligi atque approbari possunt, Igitur sacri Pastores nedum privati iniustissime sunt praecipua illa auctoritate, quam a multis retro saeculis in plurima saltem studiorum instituta ex Pontificiis Regiisque Constitutionibus, atque ex primaevae fundationis lege potiebantur, sed nec liberum ipsis est in ea advigilare,

quae in scholarum regimine doctrinam Fidei, christianos mores , aut divini cultus causam attingunt.

» Equidem sperare iuvat fore, ut saltem in executione illius Legis, aliqua Episcopalis Auctoritatis ratio habeatur. Ipsam tamen perniciosos fructus iam peperisse dignoscitur ex pestiferis opinionibus, et placitis irreformabili Ecclesiae doctrinae contrariis, quae non in Uberioris tantum editionis libellis pagellisque sparguntur quotidie in vulgus, sed ab aliquo etiam in publicis scholis Doctore insidiantur in mentes adolescentium, et publice propugnantur. Verba desunt , Venerabiles Fratres, quibus dolorem explicemus longe acerbissimum, quem ex notitia huius rei, haud ita pridem ad Nos perlata, concepimus. Nulla quidem interposita mora providimus, ut eadem de re accuratius cognosceremus; et nihil porro a Nobis desiderari patiemur, quod ad officium pertineat custodiendae Fidei, et confirmandi in illa fratres infirmitati Nostrae divinitus attributum.

» Novissime, ut scitis, missus a Subalpino Gubernio ad nos fuerat unus ex Primoribus spectatus Vir, ut tractationes instauraret Ecclesiasticis rebus cum Sancta hac Sede componendis. Illum tamen haudquaquam admittere potuimus ad literas Legationis suae testes consueto solemni more Nobis reddendas. Ipse enim sive cum privatim ad Nos adiit, sive in sermonibus cum Cardinali Nostro Pro-Secretario Status iterum iterumque habitis, de supradicta de Immunitatibus Lege ita loquutus est, ut Laicam Potestatem in ea contra sanctiones Canonum, et contra initarum cum Sede Apostolica Conventionum fidem promulganda suo prorsus iure usam fuisse contenderet. Hinc eorum, quae deinde contigerant, culpam transferebat in Clerum Sacrosque Antistites, maxime autem in Venerabilem Fratrem Archiepiscopum Taurinensem, ob suam in pastoralibus officiis constantiam in severiori tunc custodia retentum. De hoc scilicet praestantissimo Praesule gravius querebatur, quasi de homine quietis ac tranquillitatis populi parum studioso; atque idcirco id se a Regio Gubernio in praecipuis mandatis habuisse declarabat, ut Nos induceret ad eundem Antistitem in aliud extra Regiam Ditionem munus transferendum. Post haec opus non est ut alia explicemus, quae deinceps inter illum et Cardinalem praedictum mutuo sermone incassum tentata sunt ad aliquam rerum componendarum viam reperiendam. Interim vero tantum abfuit, ut Gubernium a sua agendi ratione cessaret; quin potius illo ipso tempore prodierit, atque ad effectum perductae fuerint supradictae Tribunalium saecularium in ecclesiasticis causis novissimae Sententiae tum contra memoratum Archiepiscopum, tum contra Archiepiscopum Calaritanum.

» Ceterum de supradictis Ecclesiarum Clericorumque immunitatibus notum omnibus esse volumus, Nos,

qui tractationem alterum ante annum a Subalpino Gubernio propositas minime recusavimus, hodie pariter non abhorrere a Canonum sanctionibus circa immunitates ipsas pro loco ac tempore moderandis, prout scilicet opportunum in Domino visum fuerit, ac dummodo Ecclesia aliis in rebus liberiori suorum iurium exercitio potiatur. Non enim defecit in Nobis studium paternae benevolentiae, quo Romanos Pontifices Decessores Nostros inclytam Sabaudiae Domum prosequutus fuisse compertum est: dolemus insuper calamitates et aerumnas, quibusjn eius ditione Fratres Filiique Nostri in his rerum adiunctis haud leviter anguntur; ideoque et prompti sumus ad opportuna in eorum levamen adhibenda remedia; ex constanti nimirum instituto Sanctae huius Romanae Ecclesiae, quae veluti amantissima mater filiis succurrere in angustia ac tribulatione positis, et Apostolica Auctoritate sua ad sanandas contritiones Israel uti iugiter consuevit. Hac tamen Auctoritate, quae Nobis in aedificationem non in destructionem data est, haudquaquam uti possumus, ubi non de alio agatur, nisi ut quae in Ecclesiae iniuriam; quae in contemptum Sacrorum Canonum; quae contra solemnes Conventiones, immo et ad ipsam quarumcumque Conventionum rationem labefactandam; quae tandem contra Sacerdotes et praecipuos ipsos Ecclesiae Praesules pastorali suo munere circa conscientiarum moderationem. Sacramentorumque administrationem fungentes deliberata, decreta, aut facta illic doluimus, patientia, connivenza et concessionibus Nostris approbare quodammodo videamur.

» Absit, Venerabiles Fratres, ut Auctoritate Nostra in Ecclesiae et catholicae rei detrimentum abuti umquam velimus. Immo divino praesidio nixi omnem industriam atque operam in id constanti animo collocabimus, ut Religionis utilitati prospiciamus, et sanctissima Ecclesiae iura sarta tecta habeamus. Iuxta haec igitur attollentes hodie in solemni hoc Conventu Nostram apostolicam vocem, reclamamus maiorem in modum contra ea, quae superius enarravimus, et contra alia omnia, quae sive in Continente sive inTransmarinis regionibus Summo Taurinensi Principi subditis contra Ecclesiae ius, aut in Religionis damnum gesta quomodolibet aut tentata sunt; et ab omnibus, ad quos pertinet, gravissime exposuimus, ut desistant a vexandis Ecclesiae Pastoribus sacrorumque Ministris, et illata illic Sacrae Rei damna reparare festinent.

» Interea ne intermittamus, Venerabiles Fratres, Deo misericordiarum'Patri humiles orationes et obsecrationes offerre, et, invocato etiam piissimo interventu Immaculatae Deiparae Virginis , et SS. Apostolorum Petri et Pauli, ab Eo suppliciter poscere, ut dilectam illam Dominicae Vineae partem dextera sua tegat, et brachio sancto suo defendat.»

ALLOCUTIO HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE 22 IANUARII 1855, CUI ADIECTA FUIT EXPOSITIO ITALICA AD COMPROBANDAS PONTIFICIS CURAS PRO TUENDA ECCLESIAE CAUSA IN SUBALPINO REGNO.

Venerabiles Fratres

« Probe memineritis, Venerabiles Fratres, quanto animi Nostri moerore ex hoc ipso loco Vobiscum saepe lamentati fuerimus maxima sane damna, quibus plures abhinc annos catholica Ecclesia in Subalpino Regno miserandum in modum affligitur ac divexatur. Nullam certe quidem sollicitudinis, studii, et longanimitatis partem praetermisimus, ut pro Apostolici Nostri ministerii officio tot malis mederi possemus, summopere optantes aliquid tandem Vobis nuntiare, quod Nostrum, Vestrumque dolorem aliqua saltem ex parte lenirct. Irritae tamen fuere Nostrae omnes sollicitudines, nihilque valuerunt tum iteratae expostulationes per Nostrum Cardinalem a publicis negotiis, tum curae per alium Cardinalem Nostrum Plenipotèntiarium adhibitae, tum familiares Nostrae Epistolae ad Carissimum in Christo Filium Nostrum Sardiniae Regem Illustrem datae. Namque omnes norunt plurima facta, atque decreta, quibus illud Gubernium cum summo bonorum omnium luctu et indignatione, solemnes cum hac Apostolica Sede initas Conventiones plane contemnens, non dubitavit quotidie magis et Sacros Ministros, et Episcopos, Religiosasque Familias exagitare, et Ecclesiae immunitatem, libertatem, eiusque veneranda iura laedere, violare, ac bona usurpare, et gravissimas eidem Ecclesiae ac Supremae Nostrae, et huius Sanctae Sedis auctoritati iniurias inferre, eamque plane despicere. Nuper vero, ut scitis, alia in medio posita lex est vel ipsi naturali, divino, et sociali iuri omnino repugnans, et humanae societatis bono vel maxime adversa, ac perniciosissimis funestissimisque *Socialismi*, et *Communismi* erroribus plane favens, qua inter alia proponitur, ut omnes fere Monasticae, Religiosaeque utriusque sexus Familiae, et Collegiatae Ecclesiae, ac Beneficia simplicia etiam iuris patronatus penitus extinguantur, atque illorum bona, et redditus civilis potestatis administrationi et arbitrio subiiciantur, et vindicentur. Insuper eadem proposita lege attribuitur laicae potestati auctoritas praescribendi conditiones, quibus reliquae Religiosae Familiae, quae de medio minime fuerint sublatae, subiacere debeant.

» Equidem Nobis verba desunt ad explicandam amaritudinem, qua intime conficimur, cum videamus tot vix credibilia, planeque teterrima fuisse patrata, atque in dies patrari contra Ecclesiam, eiusque veneranda iura, contra supremam et inviolabilem huius Sanctae Sedis auctoritatem in illo Regno, ubi quamplurimi egregii existunt catholici, et ubi Regum praesertim pietas, religio,

atque in liane Beati Petri Cathedram, eiusque Successores observantia in exemplum olim vigebant, atque florebant. Cum autem res eo fuerint deductae, ut satis non sit illata Ecclesiae damna deplorare, nisi curam omnem et operam ad illa tollenda adhibeamus, idcirco muneris Nostri partes implentes, in hoc amplissimo Vestro consessu Nostram iterum vocem apostolica libertate attollimus, ac non solum omnia et singula decreta ab iUo Gubernio in Religionis, Ecclesiae, et huius Sanctae Sedis iurium, et auctoritatis detrimentum iam prolata ; verum etiam legem recens propositam reprobamus, et damnamus, illaque omnia irrita prorsus ac nulla declaramus. Praeterea tum eos omnes, quorum nomine, opera et iussu ipsa decreta iam edita sunt, tum illos, qui legi nuper propositae quovis modo favere, vel illam probare, aut sancire non formidaverint, gravissime monemus, ut etiam atque etiam animo menteque reputent poenas, et censuras, quae ab Apostolicis Constitutionibus, sacrorumque Conciliorum Canonibus, maxime Tridentini (Sess. 22 Cap. 11) adversus rerum sacrarum praedatores, et profanatores, ecclesiasticae potestatis, ac libertatis, violatores, et Ecclesiae, Sanctaeque Sedis iurium usurpatores constitutae sunt. Utinam tantorum malorum auctores Nostris hisce vocibus, monitisque permoti atque excitati tandem aliquando cessent a tot ausis contra ecclesiasticam immunitatem , et libertatem, ac properent reparare in numera damna Ecclesiae illata, atque ita paterno Nostro animo durissima avertatur necessitas animadvertendi in ipsos illis armis, quae sacro Nostro ministerio divinitus fuere attributa !

» Ut autem catholicus orbis perspiciat curas a Nobis pro Ecclesiae causa in Subalpino Regno tuenda susceptas, ac simul cognoscat agendi rationem , quae ab illo Gubernio adhibita fuit, peculiarem rerum Expositionem typis edi, et cuique Vestrum tradi iussimus (1).

» Antequam vero loquendi finem faciamus, haud possumus, quin summis mentisque laudibus efferamus Venerabiles Fratres eiusdem Subalpini Regni Archiepiscopos, et Epi-

{i) In hac italica Expositione octo et sexaginta documentis munita indicantur tractationes habitae inter Gubernium Subalpinum et S. Sedem ab anno 1848: namque Gubernium illud ab eo anno tum Concordatum tum praecipua Ecclesiae catholicae iura subvertere iam inceperat, atque ea ratione publice se ostendebat erga Apostolicam Sedem, ut significaret se velle iugiter tractationes inire, nova componere Concordata: interea Ecclesiae iura gravissime violabat et abolebat. Miss» sunt pluries Legati absurda a S. Sede petentes, et Concordatis non initis, immo nec inceptis S. Sedes per Diplomaticas Notas et per solemniores quoque actus protestan et reclamare passim cogebatur. Hoc tractationum velamine iniqua facta manebant et tractationes in auras abibant. Haec prolixe demonstrantur ex Documentis, quibus Expositio indicata innititur.

scopos, qui propriae dignitatis, et officii memores , Nostrisque votis quam cumulatissime respondentes, numquam destiterunt singulari virtute, et constantia qua voce, qua scriptis opponere murum pro Domo Israel, ac Dei eiusque sanctae Ecclesiae causam strenue propugnare. Atque hic gratulamur quoque ex animo tot spectatissimis laicis Viris, qui in illo Regno morantes, et catholicis sensibus egregie animati, ac Nobis et huic Apostolicae Sedi firmiter adhaerentes gloriati sunt sacra Ecclesiae iura tum voce, tum scriptis palam publiceque defendere.

» Interim a Vobis , Venerabiles Fratres, qui in partem sollicitudinis Nostrae vocati estis, exposcimus, ut una Nobiscum potentissimo Immaculatae Virginis Mariae patrocinio suffulti assiduas, fervidasque preces Deo adhibere numquam desinatis, ut caelesti sua ope Nostris curis, et conatibus adesse, atque omnipotenti sua virtute Ecclesiae suae sanctae causam tueri, et errantes ad veritatis, et iustitiae semitam reducere velit.»

ALLOCUTIO HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE 26 IULII 1855.

Venerabiles Fratres

« Cum saepe in hoc vestro consessu, veluti optime nostis, Venerabiles Fratres, non sine maximo animi Nostri dolore afflictas in Subalpino Regno sanctissimae religionis res lamentati simus, tum praesertim i» Allocutione die vicesimo secundo Ianuarii huius anni ad Vos habita, typisque edita denuo conquesti sumus acerbissima sane vulnera, quae plures abhinc annos Subalpinum Gubernium catholicae Ecclesiae, eiusque potestate, iuribus, sacrisque Ministris, Episcopis, ac supremae Nostrae et huius Sanctae Sedis potestati et dignitati in dies imponere non desinit. Qua quidem Allocutione Apostolicam Nostram iterum extollentes vocem reprobavimus, damnavimus, et irrita prorsus ac nulla declaravimus tum omnia et singula decreta ab eodem Gubernio in religionis, Ecclesiae, et huius Sanctae Sedis iurium detrimentum edita, tum iniustissimam, funestissimamque legem tunc in medio positam , qua inter alia proponebatur, omnes fere Monasticas ac Religiosas utriusque sexus Familias, et Collegiales Ecclesias, ac simplicia Beneficia, iuris quoque patronatus, penitus esse extinguenda, Morumque redditus et bona civilis potestatis administrationi et arbitrio subiicienda. Neque omisimus tantorum malorum auctores, fautoresque eadem Allocutione monere, ut etiam atque etiam animo reputarent censuras, poenasque spirituales, quas Apostolicae Constitutiones, et Oecumenicorum Conciliorum decreta contra iurium, bonorumque Ecclesiae invasores facto ipso incurrendas infligunt. Ea porro spe sustentabamur fore, ut ipsi, qui catholico nomine gloriantur, et in eo morantur Régno,

in quo vel ipsum Statutam decernit, catholicam religionem esse debere solam ipsius Regni religionem, ac simul praescribit omnes proprietates sine ulla exceptione inviolabiles esse tuendas, tandem aliquando iustissimis Venerabilium Fratrum ipsius Regni praestantium Antistitum expostulationibus , ac nostris iteratis reclamationibus, querelis, paternisque monitis commoti suas mentes, voluntatesque ad saniora consilia revocarent, atque a divexanda Ecclesia désistèrent, et gravissima damna eidem allata reparare properarent. Quam spem ostendebant nonnulla potissimum promissa iisdem Episcopis facta, quibus fidem haberi posse arbitrabamur.

» At, dolentes dicimus, non solum Subalpinum Gubernium nec suorum Episcoporum postulationibus , nec Nostris vocibus auditum praebuit, verum etiam graviores semper Ecclesiae, ac Nostrae et huius Apostolicae Sedis auctoritati inferens iniurias, ac plures Nostras protestationes et paterna etiam monita plane contemnens haud reformidavit commemoratam quoque legem, verbis licet, et specie quadam immutatam, sed re tamen, fine ac spiritu prorsus eandem approbare, sancire, et promulgare. Equidem gravissimum, molestissimumque Nobis est, Venerabiles Fratres, debere ab ea mansuetudine ac lenitate, quam a natura ipsa hausimus, expressimus, atque ab aeterno Pastorum Principe didicimus, et quam idcirco constanti voluntate semper libentissime exercuimus, deflectere, ac severitatis partes, a quibus paternus Noster animus vel maxime abhorret, suscipere. Attamen cum videamus, omnem curam, sollicitudinem, longanimitatem et patientiam pro reparandis illic Ecclesiae ruinis a Nobis sex et amplius abhinc annos adhibitam nihil valuisse, nullamque affulgere spem fore, ut tantorum ausuum auctores velint hortationibus dociles praebere aures, quandoquidem ipsi, Nostris monitis omnino despectis, non cessant iniurias iniuriis cumulare, et omnia conari, ut in Subalpino Regno Ecclesiam eiusque potestatem, iura, libertatem opprimant, ac funditus evertant, cogimur in illos ecclesiastica severitate uti, ne officio ^Nostro deesse, et Ecclesiae causam deserere videamur. Atque hac agendi ratione, veluti probe scitis, illustribus inhaeremus exemplis tot Romanorum Pontificum Decessorum Nostrorum, qui sanctitate ac doctrina insignes non dubitarunt degeneres, contumacesque Ecclesiae filios, eiusque iurium pertinaces violatores et usurpatores iis poenis plectere, quae a Sacris Canonibus contra eiusmodi criminum reos sunt constitutae.

» Quamobrem in hoc amplissimo vestro conventu Apostolicam Nostram iterum efferimus vocem, ac tam enunciatam legem, quam alia omnia et singula facta et decreta a Subalpino Gubernio in religionis, Ecclesiae, ac Nostrae et huius Sanctae Sedis auctoritatis et iurium detrimen-

tum edita, de quibus tum in Nostra Allocutione die vicesimo secundo Ianuarii vertentis anni habita, tum in hac praesenti dolentes loquuti sumus, denuo reprobamus, condemnamus, ac nulla prorsus et irrita decernimus. Propterea cum incredibili animi Nostri moerore cogimur declarare, eos omnes, qui in Subalpino Regno praedicta decreta et legem contra Ecclesiae et huius Sanctae Sedis iura proponere, probare, sancire non extimuerunt, nec non illorum mandantes, fautores, consultores, adhaerentes, exsecutores maiorem excommunicationem, aliasque censuras et poenas ecclesiasticas a Sacris Canonibus, Apostolicis Constitutionibus, et generalium Conciliorum, Tridentini praesertim (sess. 22 cap. 11) decretis inflictas incurrisse. Etsi vero inevitabili muneris Nostri implendi necessitate compulsi Apostolicam adhibeamus severitatem; tamen probe noscimus, atque meminimus, Illius vicariam hic in terris Nos licet ¡inméritos gerere operam, qui cum iratus fuerit, misericordiae recordatur. Quocirca levantes oculos Nostros ad Dominum Deum nostrum, ab Ipso humiliter enixeque exposcere non desistimus, ut degeneres Ecclesiae suae sanctae filios cuiusque ordinis, gradus, et conditionis tum laicos, tum Clericos sacro etiam charactere insignitis, quorum errata numquam satis Iugeri possunt, caelestis suae gratiae lumine ¡Ilustrare, illosque ad saniorem mentem reducere velit, cum nihil cordi Nostro gratius, nihil optabilius, nihil iucundius esse possit, quam ut errantes resipiscant, ac redeant ad cor. Neque omittimus in omni oratione, et obsecratione cum gratiarum actione ipsum divitem in misericordia Deum exorare, ut uberrimis quibusque divinae suae gratiae donis omnes Venerabiles Fratres Subalpini Regni Archiepiscopos, et Episcopos in tot angustiis ac tribulationibus constitutos adiuvare, et consolari numquam desinat, quo ipsi, veluti adhuc tanta cum sui nominis laude egerunt, pergant egregia sua episcopali virtute, constantia et prudentia religionis et Ecclesiae causam strenue defendere, ac proprii gregis saluti et incolumitati studiosissime advigilare. Atque humillimas quoque, fervidasque clementissimo miserationum Domino sine intermissione offerimus preces, ut caelesti sua ope confortare dignetur non modo fidelem illius Regni Clerum, qui maxima ex parte suorum Antistitum exempla sequens proprio munere praeclare fungitur, verum etiam tot spectatissimos ipsius Regni laicos viros, qui catholicis sensibus egregie animati, ac Nobis, et huic Petri Cathedrae ex animo addicti eorum operam in Ecclesiae iuribus tuendis impendere vehementer gloriantur. »

EPISTOLA, ENCYCLICA DATA ME
18 IUNII 1859.

VENERABILIBUS FRATRIBUS PATRIARCHIS, PRIMATIBUS, ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, ALIISQUE LOCORUM ORDINARIIS GRATIAM ET COMMUNIONEM CUM APOSTÓLICA SEDE HABENTIBUS.

PIUS PAPA IX.

Venerabiles Fratres, Salutem ei Apostolicam Benedictionem.

« Qui nuper per Italiam erupit contra legitimos Principes seditionis motus in regionibus etiam Pontificiae ditionis finitimis, nonnullas ex Provinciis Nostris, quaedam veluti incendii flamma, pervasit; quae quidem et funesto illo permotae exemplo, et externis actae incitamentis a paterno Nostro regimine sese subduxerit, et vero etiam paucis adnitentibus id quaerunt, ut italico illi subiiciantur Gubernio, quod per annos hosce postremos Ecclesiae, ac legitimis illius iuribus, sacrisque administris se gessit adversum. Dum Nos rebellionis huiusmodi actus et reprobamus, et dolemus, quibus quaedam tantum populi pars turbatis in iisdem provinciis iniuste adeo respondet paternis studiis, curisque Nostris, ac dum necessarium esse palam edicimus Sanctae huic Sedi civilem Principatum, ut in bonum religionis sacram potestatem sine ullo impedimento exercere possit, quem quidem civilem Principatum extorquere eidem connituntur vaferrimi hostes Ecclesiae Christi, Vobis, in tanto rerum turbine praesentes damus litteras, Venerabiles fratres, ut aliquod dolori Nostro solatium quaeramus. Atque hac occasione Vos etiam hortamur, ut pro explorata pietate vestra, pro eximio erga Apostolicam Sedem, eiusque libertatem studio id praestandum curetis, quod olim Aaroni supremo Hebraeorum Pontifici praescripsisse legimus Moysen* (Num. cap. XVI) *tolle thuribulum, et hausto igne de altari mitte incensum desuper pergens cito ad populum, ut roges pro eis; iam enim egressa est ira a Domino, et plaga desaevit.* » Itemque Vos hortamur, ut preces fundatis quemadmodum sancti illi fratres, Moyses nimirum atque Aaron, qui « *proni in faciem dixerunt: fortissime Deus spirituum universae carnis, num aliquibus peccantibus contra omnes ira tua desaeviet?* (Num. cap. XVI). Ad hoc scilicet, Venerabiles Fratres * praesentes Vobis mittimus litteras, ex quibus non parum solatii pereipimus, quippe confidimus, desideriis Vos, curisque Nostris cumulate responsuros. Ceterum palam hoc profitemur, indutos Nos virtute ex alto, quam infirmitati Nostrae immittet fidelium precibus exoratus Deus, quidvis discriminis, quidvis acerbitatis antea perpessuros quam Apostolicum ulla ex parte deseramus officium, ac quidquam admittamus contra iuramenti sanctitatem, quo Nos obstrinximus, cum licet imme-

rentes Supremam hanc Apostolorum Principis Sedem, arcem , et propugnaculum Catholicae fidei, Deo sic volente, conscendimus. In pastorali vestro tuendo munere omnia laeta, ac felicia, Venerabiles Fratres, Vobis adprecantes, caelestis auspicem beatitatis Apostolicam Benedictionem , Vobis, gregi que vestro peramanter impertimur.

» Datum Romae apud Sanctum Petrum die 18 Iunii Anno 1859. Pontificatus Nostri Anno Decimoquarto.»

ALLOCUTIO HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE 20 IUNII 1859.

Venerabiles Fratres

« Ad gravissimum, quo cum bonis omnibus propter bellum inter catholicas nationes excitatum premimur, dolorem maximus accessit moeror ob lu«tuosam rerum conversionem ac perturbationem, quae in nonnullis Pontificiae Nostrae ditionis Provinciis nefaria impiorum hominum opera ac sacrilego prorsus ausu nuper evenit. Probe intelligitis, Venerabiles Fratres, Nos dolenter loqui de scëlesta sane perduellium contra sacrum legitimumque Nostrum, et huius Sanctae Sedis civilem Principatum coniuratione et rebellione, quam vaferrimi homines in eisdem Nostris provinciis commorantes, tum clandestinis pravisque coetibus, tum turpissima consiliis cum finitimarum regionum hominibus initis, tum fraudulentis calumniosisque editis libellis, tum exteris armis comparatis et inveclis, tum perversis quibusque aliis fraudibus et artibus moliri, fovere et efficere minime reformidarunt. Nec possumus non vehementer dolere, infestam huiusmodi coniurationem primum empisse in civitate Nostra Bononiensi, quae paternae Nostrae benevolentiae ac liberalitatis ornata beneficiis duos fere abhinc annos , cum ibi diversati sumus, suam erga Nos et hanc Apostolicam Sedem venerationem ostendere, ac testari haud omiserat. Bononiae enim die duodecima huius mensis, postquam Austriacae inopinato discesserunt copiae, nulla interposita mora coniurati homines audacia insigues, omnibus divinis , humanisque proculcatis iuribus, la-; xatisque improbitatis babenis, haud exhorruerunt tumultuari, atque urbanam cohortem, aliosque armare, cogere, educere , atque Cardinalis Nostri Legati aedes adire, ibique ablatis Pontificiis Insignibus eorum loco rebellionis vexillum attollere et collocare cum summa honestiorum civium indignatione ac fremitu, qui tantum facinus improbare, ac Nobis et Pontificio Nostro Gubernio plaudere haud extimescebant. Hinc ab ipsis perduellibus eidem Cardinali Nostro Legato proiectio fuit denunciata, qui pro sui muneris officio tot scelestis ausibus obsistere, ac Nostram, et huius Sanctae Sedis dignitatem et iura asserere ac tueri minime praetermittebat. Atque eo sce-

leris et impudentiae rebelles devenerunt, ut minime veriti sint gubernium immutare, et Sardiniae Regis Dictaturam petere, et ob hanc causam suos ad eundem Regem deputatos mittere. Cum igitur Noster Legatus haud posset tantas impedire improbitates, easque diutius ferre et intueri, solemnem tum voce tum scripto edidit protestationem contra omnia quae a factiosis hominibus adversus Nostra et huius Sanctae Sedis iura fuerunt patrata, ac Bononia decedere coactus Ferrariam se contulit.

»Quae Bononiae tam nefariae peracta sunt, eadem similibus criminosis modis Ravennae, Perusiae, et alibi flagitiosi homines communi bonorum omnium luctu agere minime dubitarunt, haud timentes posse suos impetus a Pontificiis Nostris copiis reprimi ac refringí, cum illae numero paucae eorum furori et audaciae resistere minime possent. Quocirca in eisdem civitatibus a perduellibus omnium divinarum, humanarumque legum conculcata auctoritas , et suprema civilis Nostra atque huius Sanctae Sedis oppugnata potestas, et defectionis erecta vexilla, et legitimum Pontificium Gubernium de medio sublatum, et Sardiniae Regis Dictatura petita, et Nostri Delegati publica emissa protestatione ad profectionem vel impulsi, vel coacti, et alia multa rebellionis admissa facinora.

» Nemo vero ignorat quo isti civilis Apostolicae Sedis principatus osores semper potissimum spectent, et quid ipsi velint, quid cupiant, quid exoptent. Omnes quidem norunt singulari Divinae Providentiae consilio factum esse, ut in tanta temporalium Principum multitudine et varietate Romana quoque Ecclesia temporalem dominationem nemini prorsus obnoxiam haberet, quo Romanus Pontifex summus totius Ecclesiae Pastor nulli umquam Principi subiectus supremam universi Dominici gregis pascendi, regendique potestatem auctoritatemque ab ipso Christo Domino acceptam per universum, qua late patet, orbem plenissima Ubertate exercere, ac simul facilius divinam religionem magis in dies propagare, et variis fidelium indigentiis occurrere, et opportuna flagitantibus auxilia ferre, et alia omnia bona peragere posset, quae pro re ac tempore ad maiorem totius christianae reipublicae utilitatem pertinere ipse cognosceret. Infestissimi igitur Romanae Ecclesiae temporalis dominii hostes civilem eiusdem Ecclesiae, Romanique Pontificis Principatum caelesti quadam rerum dispensatione, et vetusta per tot iam continentia saecula possessione, ac iustissimo quovis alio optimoque iure comparatum, et communi omnium populorum et Principum vel acatholicorum consensione uti sacrum inviolatumque Beati Petri patrimonium semper habitum ac defensum invadere, labefactare , ac destruere connituntur, ut, Romana Ecclesia suo spoliata patrimonio,

Apostolicae Sedis, Romamque Pontificis dignitatem maiestatemque déprimant, pessumdent, et liberius sanctissimae religioni maxima quaeque damna, ac teterrimum bellum inferant, ipsamque religionem, si fieri umquam posset, funditus evertant. Huc sane semper spectarunt ac spectant nequissima illorum hominum consilia, molitiones et fraudes, qui temporalem Romanae Ecclesiae dominationem convellere exoptant, veluti diuturna ac tristissima experientia omnibus clare aperteque demonstrat.

» Quamobrem cum Nos Apostolici Nostri muneris officio, solemnique iuramento adstricti debeamus religionis incolumitati summa vigilantia prospicere, ac iura et possessiones Romanae Ecclesiae omnino integras inviolateque tueri, et huius Sanctae, Sedis libertatem, quae cum universae Ecclesiae utilitate est plane coniuncta, asserere et vindicare, ac proinde ipsius Principatum defendere, quo ad liberam rei sacrae in toto terrarum orbe procurationem exercendam Divina Providentia Romanos Pontifices donavit, illumque integrum etinviolatum Nostris Successoribus transmittere, idcirco non possumus non vehementer damnare^ detestari impios nefariosque perduellium subditorum ausus, conatus, illisque fortiter obsistere.

» Itaque postquam per reclamationem Nostri Cardinalis Secretarii Status missam ad omnes Oratores, Ministros et negotiorum Gestores exterorum nationum apud Nos et hanc S. Sedem nefarios huiusmodi rebellium ausus reprobavimus ac detestati sumus, nunc in amplissimo hoc Vestro Consessu, Venerabiles Fratres, Nostram attollentes vocem, maiori qua possumus animi Nostri contentione, protestamur contra ea omnia, quae perduelles in commemoratis locis agere ausi sunt, et suprema Nostra auctoritate damnamus, reprobamus, rescindimus, abolemus omnes et singulos actus tum Bononiae, tum Ravennae, tum Perusiae, tum alibi ab ipsis perduellibus contra sacrum legitimumque Nostrum, et huius S. Sedis Principatum quovis modo factos et appellatos, et eosdem actus irritos omnino, illegitimos, et sacrilegos esse declaramus, atque decernimus. Insuper in omnium memoriam revocamus maiorem excommunicationem, aliasque ecclesiasticas poenas et censuras a sacris Canonibus, Apostolicis Constitutionibus, et Generalium Conciliorum, Tridentini praesertim (Sess. 22 cap. 11, de Reform.) decretis inflictas, et absque ulla declaratione incurrendas ab iis omnibus, qui quovis modo temporalem Romani Pontificis potestatem impetere audeant: in quas proinde eos omnes misere incidisse declaramus, qui Bononiae, Ravennae, Perusiae, et alibi civilem Nostram, et huius Sanctae Sedis potestatem, et iurisdictionem, ac Beati Petri patrimonium, opera, consilio, assensu et alia quacumque ratione, violare, perturbare, et usurpare ausi sunt.

» Dum vero officii Nostri ratione compulsi haec non levi certe animi Nostri dolore declarare, et edicere cogimur, miserrimam tot filiorum caecitatem illacrimantes a clementissimo misericordiarum Patre humiliter enixeque exposcere non desistimus, ut omnipotenti sua virtute efficiat, ut quamprimum optatissimus illucescat dies, quo et ipsos filios resipiscentes, atque ad officium reductos iterum paterno sinu cum gaudio excipere, et omni perturbatione sublata ordinem tranquillitatem que in tota Pontificia Nostra ditione restitutam videre possimus. Hac autem in Deo fiducia suffulti ea quoque spe sustentamur fore, ut Europae Principes, uti antea, ita hoc etiam tempore suam omnem operam in temporali Nostro, Sanctaeque huius Sedis Principatu tuendo, et integre servando consociatis studiis consiliisque impendant, cum eorum cuiusque vel maxime intersit, Romanum Pontificem plenissima frui libertate, quo Catholicorum conscientiae in eorundem Principum ditionibus commorantium tranquillitati rite consultum sit. Quae quidem spes augetur, propterea quod Gallicae copiae in Italia degentes, iuxta ea quae Carissimus in Christo Filius Noster Gallorum Imperator declaravit, non modo nihil contra temporalem Nostram et huius Sanctae Sedis dominationem agent, immo vero eandem tuebuntur atque servabunt. »

EPISTOLA ENCYCLICA DATA DIE 19 IANUARII 1860.

VENERABILIBUS FRATRIBUS PATRIARCHIS, PRIMATIBUS, ARCKIEPISCOPIS, EPISCOPIS, ALIISQITE LOCORUM ORDINARIIS GRATIAM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTIBUS.

PIUS PAPA IX.

Venerabiles Fratres, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

« Nullis certe verbis explicare possumus, Venerabiles Fratres, quanto solatio, quantaeque laetitiae Nobis fuerit inter maximas Nostras amaritudines singularis ac mira vestra, et fidelium, qui Vobis commissi sunt, erga Nos et hanc Apostolicam Sedem fides, pietas et observantia, atque egregius sane in eiusdem Sedis iuribus tuendis, et iustitiae causa defendenda consens us, alacritas, studium et constantia. Etenim ubi primum ex Nostris Encyclicis Litteris die 18 Iunii superiori anno ad Vos datis, ac deinde ex binis Nostris Consistorialibus Allocutionibus cum summo animi vestri dolore cognovistis gravissima damna, quibus sacrae civilesque res in Italia aftligebantur, atque intellexistis nefarios rebellionis motus et ausus contra legitimos eiusdem Italiae Principes, ac sacrum legitimumque Nostrum et huius S. Sedis Principatum, Vos Nostris votis curisque statim obsecundantes, nulla interiecta mora, publicas in vestris Dioecesibus preces omni studio indicere properastis.

Hinc non solum obsequentissimis aeque ac amantissimis vestris Litteris ad Nos datis, verum etiam tum pastoralibus Epistolis, tum aliis religiosis doctisque scriptis in vulgus editis episcopalem vestram vocem cum insigni vestri ordinis ac nominis laude attollentes, ac sanctissimae nostrae religionis iustitiaeque causam strenue propugnantes, vehementer detestati estis sacrilega ausa contra civilem Romanae Ecclesiae Principatum admissa. Atque ipsum Principatum constanter tuentes, profiteri, et docere gloriati estis, eundem singulari divinae illius omnia regentis ac moderantis providentiae consilio datum fuisse Romano Pontifici, ut ipse nulli civili potestati unquam subiectus supremum Apostolici ministerii munus sibi ab ipso Christo Domino divinitus commissum plenissima libertate, ac sine ullo impedimento in universum orbem exerceat. Atque Nobis carissimi catholicae Ecclesiae filii vestris imbuti doctrinis, vestroque eximio exemplo excitati eosdem sensus Nobis testari summopere certarunt et certant. Namque ex omnibus totius catholici orbis regionibus innumerabiles paene accepimus tum ecclesiasticorum tum laicorum hominum cuiusque dignitatis, ordinis, gradus et conditionis Litteras etiam a centenis catholicorum millibus subscriptas, quibus ipsi filialem suam erga Nos, et hanc Petri Cathedram devotionem ac venerationem luculenter confirmant, et rebellionem, ausus que in nonnullis Nostris Provinciis admissos vehementer detestantes, Beati Petri patrimonium omnino integrum inviolatumque servandum, atque ab omni iniuria defendendum esse contendunt; ex quibus insuper non pauci id ipsum, vulgatis apposite scriptis, docte sapienterque asseruere. Quae praeclarae vestrae, ac fidelium significationes, omni certe laude ac praedicatione decorandae, et aureis notis in catholicae Ecclesiae fastis inscribendae ita Nos commoverunt, ut non potuerimus non laete exclamare « *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur Nos in omni tribulatione nostra* » Nihil enim Nobis inter gravissimas, quibus premimur, angustias gratius, nihil iucundius, nihilque optatius esse poterat, quam intueri quo concordissimo atque admirabili studio Vos omnes, Venerabiles Fratres, ad huius S. Sedis iura tutanda animati et incensi estis, et qua egregia voluntate fideles curae vestrae traditi in idipsum conspirant. Ac per Vos ipsi vel facile cogitatione assequi potestis quam vehementer paterna Nostra in vos, atque in ipsos catholicos benevolentia merito atque optimo iure in dies augeatur.

» Dum vero tam mirificum vestrum, et fidelium erga Nos et hanc Sanctam Sedem studium et amor Nostrum lenibat dolorem, nova aliunde tristitiae accessit causa. Itaque has Vobis scribimus Litteras, ut in tanti momenti re animi Nostri sen-

sus Vobis in primis denuo notissimi sint. Nuper quemadmodum plures ex Vobis iam noverint, per Parisienses ephemerides, quibus titulus <(Moniteur » vulgata fuit Gallorum Imperatoris Epistola, qua Nostris respondit Litteris, quibus Imperialem Maiestatem suam omni studio rogavimus, ut validissimo suo patrocinio in Parisiensi Congressu integram et inviolabilem temporalem Nostram et huius Sanctae Sedis ditionem tueri, illamque a nefaria rebellione vindicare vellet. Hac sua Epistola summus Imperator commemorans quoddam suum consilium paulo ante Nobis propositum de rebellibus Pontificiae Nostrae ditionis provinciis Nobis suadet, ut earundem provinciarum possessioni renuntiare velimus, cum ei videatur hoc tantum modo praesenti rerum perturbationi posse mederi.

» Quisque vestrum, Venerabiles Fratres, optime intelligit, Nos gravissimi officii Nostri memores haud potuisse silere cum huiusmodi epistolam accepimus. Hinc, nulla interposita mora, eidem Imperatori rescribere properavimus , Apostolica animi Nostri libertate clare aperteque declarantes, nullo plane modo Nos posse eius annuere consilio, proptereaquod *insuperabiles praeseferat difficultates, ratione habita Nostrae et huius Sanctae Sedis dignitatis, Nostrique sacri characteris, atque eiusdem Sedis iurium, quae non ad alicuius regalis familiae successionem, sed ad omnes catholicos pertinent,* ac simul professi sumus, *non posse per Nos cedi quod Nostrum non est, ac plane a Nobis intelligi, victoriam, quae Aemiliae perduellibus concedi vellet, stimulo futuram indigenis, exterisque aliarum provinciarum perturbatoribus ad eadem patranda, cum cernerent prosperam fortunam quae rebellibus contingeret.* Atque inter alia eidem Imperatori manifestavimus, *non posse Nos commemoratus Pontificiae Nostrae ditionis in Aemilia provincias abdicare, quin solemnia, quibus obstricti sumus, iuramenta violemus, quin querelas motusque in reliquis Nostris provinciis excitemus, quin catholicis omnibus iniuriam inferamus, quin denique infirmemus iura non solum Italiae Principum, qui suis dominiis iniuste spoliati fuerunt, verum etiam omnium totius christiani orbis Principum, qui indifferenter videre nequirent perniciosissima quaedam induci principia.* Neque praetermisimus animadvertere, *Maiestatem Suam haud ignorare per quos homines, quibusque pecuniis, ac praesidiis recentes rebellionis ausus Bononiae, Ravennae et in aliis civitatibus excitati ac peracti fuerint, dum longe maxima populorum pars motibus illis, quos minime opinabatur, veluti attonita maneret, et ad illos sequendus se nullo modo propensam ostendit.* Et quoniam Serenissimus Imperator illas Provincias a Nobis abdicandas esse censebat ob rebellionis motus ibi identidem excitatus, opportune respondimus, huiusmodi argumentum, utoote ni-

mis probans, nihil valere: quandoquidem non dissimiles motus tum in Europae regionibus, tum alibi persaepe evenerunt; et nemo non videt legitimum exinde capi non posse argumentum ad civiles ditiones imminuendas. Atque haud omisimus eidem Imperatori exponere, diversam plane fuisse a postremis suis Litteris primam suam Epistolam ante Italicum bellum ad Nos datam, quae Nobis consolationem, non afflictionem attulit. Cum autem ex quibusdam imperialis epistolae per commemoratas ephemerides editae verbis timendum Nobis esse censuerimus, ne praedictae Nostrae in Aemilia provinciae iam essent considerandae veluti a Pontificia Nostra ditione distractae, idcirco Maiestatem Suam Ecclesiae nomine rogavimus, ut etiam proprii ipsius Maiestatis Suae boni utilitatisque intuitu efficeret, ut huiusmodi Noster timor plane evanesceret. Ac paterna illa caritate, qua sempiternae omnium saluti prospicere debemus, in Ipsius mentem revocavimus, ab omnibus districtam aliquando rationem ante tribunal Christi esse reddendam, et severissimum iudicium subeundum,ac propterea cuique enixe curandum, ut misericordiae potius quam iustitiae effectus experiatur.

» Haec praesertim inter alia summo Gallorum Imperatori respondimus, quae Vobis, Venerabiles Fratres, significanda esse omnino existimavimus, ut Vos in primis, et universus catholicus orbis magis magisque agnoscat, Nos, Deo auxiliante, pro gravissimi officii Nostri debito omnia impavide conari, nihilque intentatum relinquere, ut religionis ac iustitiae causam fortiter propugnemus, et civilem Romanae Ecclesiae Principatum, eiusque temporales possessiones ac iura, quae ad universum catholicum orbem pertinent, integra, et inviolata constanter tueamur et servemus, nec non iustae aliorum Pincipum causae prospiciamus. Ac divino Illius auxilio freti, qui dixit: *in mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum* (Ioan. c. 16 v. 33), *et beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam* (Matth. c. 5 v. 10), parati sumus illustria Praedecessorum Nostrorum vestigia persequi, exempla aemulari, et aspera quaeque et acerba perpeti, ac vel ipsam animam ponere, antequam Dei, Ecclesiae, ac iustitiae causam ullo modo deseramus. Sed vel facile coniicere potestis, Venerabiles Fratres, quam acerbo conficiamur dolore videntes quo teterrimo sane bello sanctissima nostra religio, maximo cum animarum detrimento, vexetur, quibusque maximis turbinibus Ecclesia, et haeo Sancta Sedes iactentur. Atque etiam facile intelligitis quam vehementer angamur, probe noscentes quantum sit animarum discrimen in illis perturbaos Nostris provinciis, ubi pestiferi» praesertim scriptis in vulgus editis pietas, religio, fides, morumque honestas in dies miserrime labefactatur. Vos igitur, Venerabiles

Fratres, qui in sollicitudinis Nostrae partem vocati estis, quique tanta fide, constantia, ac virtute ad religionis, Ecclesiae et huius Apostolicae Sedis causam propugnandam exarsistis, pergite maiore animo studioque eandem causam defendere, ac fideles curae vestrae concreditos quotidie magis infiammate, ut sub vestro ductu omnem eorum operam, studia, consilia in catholicae Ecclesiae, et huius Sanctae Sedis defensione, atque in tuendo civili eiusdem Sedis Principatu, Beatique Petri patrimonio, cuius tutela ad omnes catholicos pertinet, impendere nunquam desinant. Atque illud praesertim a Vobis etiam atque etiam exposcimus, Venerabiles Fratres, ut una Nobiscum fervidissimas Deo 0-ptimo Maximo preces sme intermissione cum fidelibus curae vestrae commissis adhibere velitis, ut imperet ventis et mari, ac praesentissimo suo auxilio adsit Nobis, adsit Ecclesiae suae, atque exurgat et iudicet causam suam, utque caelesti sua gratia omnes Ecclesiae et huius Apostolicae Sedis hostes propitius illustrare, eosque omnipotenti sua virtute ad veritatis, iustitiae, salutisque semitas reducere dignetur. Et quo facilius Deus exoratus inclinet aurem suam ad Nostras, Vestras, omniumque fidelium preces, petamus in primis, Venerabiles Fratres, suffragia Immaculatae Sanctissimaeque Dei Genitricis Virginis Mariae, quae amantissima nostrum omnium est mater et spes fidissima, ac praesens Ecclesiae tutela et columen, et cuius patrocinio nihil apud Deum validius. Imploremus quoque suffragia tum Beatissimi Apostolorum Principis, quem Christus Dominus Ecclesiae suae petram constituit, adversus quam portae inferi praevalere nunquam poterunt, tum coapostoli eius Pauli, omniumque Sanctorum Caelitum, qui cum Christo regnant in caelis. Nihil dubitamus, Venerabiles Fratres, quin pro eximia vestra religione ac sacerdotali zelo, quo summopere praestatis, Nostris hisce votis postulationibusque studiosissime obsequi velitis. Atque interim flagrantissimae Nostrae in Vos caritatis pignus Apostolicam Benedictionem ex intimo corde profectam et cum omnis verae felicitatis voto coniunctam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque Clericis, Laicisque fidelibus cuiusque Vestrum vigilantiae commissis peramanter impertimur.

» Datum Romae apud Sanctum Petrum die 19 Ianuarii Anno 1860.

» Pontificatus Nostri Anno Decimoquarto.»

LITTERAE APOSTOLICAE PROMULGATAE DIE 26 MARTII 1860, QUIBUS INVASORES ET USURPATORES PONTIFICIAE DITIONIS EXCOMMUNICATI DECLARANTUR, ET QUATENUS OPUS ESSET DE NOVO EXCOMMUNICANTUR.

PIUS PAPA IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

« Cum catholica Ecclesia a Christo Domino fundata et instituta, ad sempiternam dominum, salutem curandam, perfectae societatis formam vi divinae suae institutionis obtinuerit, ea proinde libertate pollere debet, ut in sacro suo ministerio obeundo nulli civili potestati subiaceat. Et quoniam ad libere, ut par erat, agendum iis indigebat praesidiis quae temporum conditioni ac necessitati conguerent, idcirco singulari prorsus divinae providentiae consilio factum est, ut cum Romanum corruit Imperium et in plura fuit regna divisum, Romanus Pontifex, quem Christus totius Ecclesiae suae caput centrumque constituit, civilem assequeretur Principatum. Quo sane a Deo ipso sapientissime consultum est, ut in tanta temporalium Principum multitudine ac varietate summus Pontifex illa frueretuf politica libertate, quae tantopere necessaria est ad spiritualem suam potestatem, auctoritatem et iurisdictionem toto orbe absque ullo impedimento exercendum. Atque ita plane decebat, ne catholico orbi ulla oriretur occasio dubitandi, impulsu fortasse civilium potestatum, vel partium studio duci quandoque posse in universali procuratione gerenda Sedem illam, ad quam *propter potiorem principalitatem necesse est omnem Ecclesiam convenire.*

» Facile autem intelligitur quemadmodum eiusmodi Romanae Ecclesiae Principatus, licet suapte natura temporalem rem sapiat, spiritualem tamen induat indolem vi sacrae, quam habet, destinations, et altissimi illius vinculi quo cum maximis Rei Christianae rationibus coniungitur. Quod tamen nil impedit quominus ea omnia, quae ad temporalem quoque populorum felicitatem conducunt, perfici queant, quemadmodum gesti a Romanis Pontificibus per tot saecula civilis regiminis historia luculentissime testatur.

» Cum porro ad Ecclesiae bonum et utilitatem respiciat Principatus de quo loquimur, mirum non est quod Ecclesiae ipsius hostes persaepe illum convellere et labefactare multiplici insidiarum et conatuum genere contenderint : in quo tamen nefaria illorum molimina, Deo Ecclesiam suam iugiter adiuvante, in irritum serius ocius ceciderunt. Iam vero novit universus orbis quomodo luctuosis hisce temporibus infestissimi Catholicae Ecclesiae et huius Apostolicae Sedis osores *abominabiles facti in studiis suis, ac loquentes in hypocrisi mendacium* hanc ipsam Sedem proculcatis divinis humanisque iuribus, civili, quo potitur, Principatu spoliare nequiter adnitantur, idque assequi studeant non manifesta

quidem, uti alias, aggressione, armorumque vi, sed falsis aeque ac perniciosis principiis callide inductis, ac popularibus motibus malitiose excitatis. Neque enim erubescunt nefandam populis suadere rebellionem contra legitimos Principes, quae ab Apostolo claré aperteque damnatur ita docente: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi a Deo: quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt ipsi sibi damnationem acquirunt* (1). Etam vero pessimi istiusmodi veteratores temporalem Ecclesiae dominationem aggrediuntur, eiusque venerandam auctoritatem despiciunt, eo impudentiae deveniunt, ut suam in Ecclesiam ipsam reverentiam et obsequium palam iactare non desinant. Atque illud vel maxime dolendum, quod tam prava agendi ratione sese polluerit non nemo etiam ex iis, qui, uti Catholicae Ecclesiae filii, in ipsius tutelam atque praesidium impendere debent auctoritatem, qua in subiectos sibi populos potiuntur.

» In subdolis ac perversis, quas lamcntamur, machinationibus praecipuam habet partem Subalpinum Gubernium, a quo pridem omnes norunt quanta et quam deploranda eo in Regno damna ac detrimenta Ecclesiae eiusque iuribus, sacrisque Ministris fuerint inlata, de quibus in Consistoriali potissimum Allocutione die XXII Ianuarii MDCCCLV habita vehementer doluimus. Post despectas hactenus Nostras ea de re iustissimis reclamationes Gubernium ipsum eo temeritatis modo progressum est, ut ab irroganda universali Ecclesiae iniuria minime abstinuerit, civilem impetens Principatum , quo Deus hanc B. Petri Sedem instructam voluit ad Apostolici Ministerii libertatem, uti animadvertimus, tuendam atque servandam. Primum sane ex manifestis aggressionis indiciis prodiit quum in Parisiensi Conventu, anno 1856 acto, ex parte eiusdem Subalpini Gubernii inter hostiles nonnullas expositiones speciosa quaedam ratio proposita fuit ad civile Romani Pontificis dominium infirmandum, et ad Ipsius Sanctaeque huius Sedis auctoritatem imminuendam. Ubi vero superiore anno Italicum exarsit bellum inter Austriae Imperatorum, et fôederatores invicem Imperatorem Galliarum ac Sardiniae Regem, nihil fraudis, nihil sceleris praetermissum est, ut Pontificiae Nostrae Ditionis populi ad nefariam defectionem modis omnibus impellerentur. Hinc instigatores missi, pecunia largiter effusa, arma suppeditata, incitamenta pravis scriptis et ephemeridibus admota, et omne fraudum genus adhibitum vel ab illis, qui eiusdem Gubernii legatione Romae fungentes, nulla habita gentium iuris honestatisque ratione, proprio munere perperam abutebantui

(1) S *Pvû*. Ep. ad Rom. c. XIII v. *1* et seq.

ad tenebricosas molitiones in Pontificii Nostri Gubernii perniciem agendas.

» Oborta deinde in nonnullis Ditionis Nostrae Provinciis, quae dudum occulte comparata fuerat, seditione , illico per fautores Regia Dictatura proclamata est, statimque a Subalpino Gubernio Commissarii adlecti, qui, alio etiam nomine postea appellati, provincias illas regendas sumerent. Dum haec agerentur, Nos gravissimi officii Nostri memores non praetermisimus binis Nostris Allocutionibus die xx Iunii et xxvi Septembris superiore anno habitis de violato civili huiusce S. Sedis Principatu altissime conqueri, simulque violatores serio monere de censuris ac poenis per canonicas sanctiones inflictis, in quas ipsi proinde misere inciderant. Existimandum porro erat, patratae violationis auctores per iteratas Nostras monitiones ac querelas ab iniquo proposito destituros; praesertim cum universi Catholici Orbis sacrorum Antistites, et fideles cuiusque ordinis , dignitatis , et conditionis eorum curae commissi suas nostris expostulationibus adiungentes unanimi alacritate Nobiscum huius Apostolicae Sedis, et universalis Ecclesiae iustitiaeque causam propugnandam susceperint, cum optime intelligerent , quantopere civilis, de quo agitur, Principatus ad liberam supremi Pontificatus iurisdictionem intersit. Verum (horrescentes dicimus!) Subalpinum Gubernium non solum Nostra monita, querelas, et ecclesiasticas poenas contempsit, sed etiam in sua persistens improbitate, populari suffragio, pecuniis , minis , terrore aliisque callidis artibus contra omne ius extorto, minime dubitavit commemoratasNostras Provincias invadere, occupare, et in suam potestatem dominationemque redigere. Verba quidem desunt ad tantum improbandum facinus, in quo plura et maxima habentur facinora. Grave namque admittitur sacrilegium, quo una simul aliena iura contra naturalem divinamque legem usurpantur, omnis iustitiae ratio subvertitur, et cuiusque civilis Principatus ac totius humanae Societatis fundamenta penitus evertuntur.

» Cum igitur ex una parte non sine maximo animi Nostri dolore intelligamus, irritas futuras novas expostulationes apud eos qui *velut áspides surdae obturantes aures suas* nihil hucusque monitis ac questubus Nostris commoti sunt; ex altera vero parte intime sentiamus quid a Nobis in tanta rerum iniquitate omnino postulet Ecclesiae huiusque Apostolicae Sedis ac totius Catholici Orbis causa, improborum hominum opera tam vehementer oppugnata, idcirco cavendum Nobis est ne diutius cunctando gravissimi officii Nostri muneri deesse videamur. Eo nempe adducta res est ut illustribus Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes suprema illa auctoritate utamur, qua cum solvere, tum etiam ligare Nobis divinitus datum est; ut nimirum debita in sontes adhibeatur

severitas, eaque salutari ceteris exemplo sit.

» Itaque post Divini Spiritus lumen privatis publicisque precibus imploratnm, post adhibitum selectae VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium Congregationis consilium, auctoritate Omnipotentis Dei et SS. Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra denuo declaramus, eos omnes, qui nefariam in praedictis Pontificiae Nostrae Ditionis Provinciis rebellionem et earum usurpationem, occupationem, jnvasionem, et alia huiusmodi, de quibus in memoratis Nostris Allocutionibus die xx Iunii et xxvi Septembris superioris anni conquesti sumus, vel eorum aliqua perpetrarunt, itemque ipsorum mandantes, fautores, adiutores, consiliarios, adhaerentes, vel alios quoscumque praedictarum rerum exequütionem quolibet praetextu et quovis modo procurantes, vel per se ipsos exequentes, Maiorem Excommunicationem, aliasque censuras ac poenas ecclesiasticas a ss. Canonibus , Apostolicis Constitutionibus , et Generalium Conciliorum, Tridentini praesertim (Session. XX Cap. XI de reform.) Decretis inflictas incurrisse; et si opus est, de novo excommunicamus, et anathematizamus, item declarantes, ipsos omnium et quorumcumque privilegiorum , gratiarum , et indultorum sibi a Nobis, seu Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris, quomodolibet concessorum amissionis poenas eo ipso pariter incurrisse; nec a censuris huiusmodi a quoquam, nisi a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente (praeterquam in mortis articulo, et tunc cum reincidentia in easdem censuras eo ipso quo convaluerint) absolvi ac liberari posse; ac insuper inhabiles et incapaces esse qui absolutionis beneficium consequantur, donec omnia quomodolibet attentata publice retractaverint, reYocaverint, cassaverint, et aboleverint, ac omnia in pristinum statum plenarie et cum effectu redintegraverint, vel alias debitam et condignam Ecclesiae, ac Nobis, et huic Sanctae Sedi satisfactionem in praemissis praestiterint. Idcirco illos omnes, etiam specialissima mentione dignos, nec non illorum successores in officiis a retractatione, revocatione, cassatione et abolitione omnium ut supra attentatorum per se ipsos facienda, vel alias debita et condigna Ecclesiae , ac Nobis, et dictae S. Sedi satisfactione realiter et cum effectu in eisdem praemissis exhibenda, praesentium Litterarum, seu alio quocumque praetextu, minime liberos et exemptos, sed semper ad haec obligatos fore et esse, ut absolutionis beneficium obtinere valeant, earundem tenore praesentium decernimus et pariter declaramus.

» Dum autem hanc muneris Nostri partem , tristi Nos urgente necessitate, moerentes implemus, minime obliviscimur, Nosmetipsos Illius hic in terris vicariam operam agere, qui *non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat,* quique in

mundum *venit quaerere, et salvum facere quod perierat.* Quapropter in humilitate cordis Nostri ferventissimis precibus Ipsius misericordiam sine intermissione imploramus et exposuimus, ut eos omnes, in quos ecclesiasticarum poenarum severitatem adhibere coacti sumus, divinae suae gratiae lumine propitius illustret, atque omnipotenti sua virtute de perditionis via ad salutis tramitem reducat.

«Decernentes *etc. (sequuntur clausulae amplissimae derogatoriae etc.).*

» Cum autem eaedem praesentes Litterae ubique, ac praesertim in locis, in quibus maxime opus esset, nequeant tute publicari, uti notorie constat, volumus illas, seu earum exempla ad valvas Ecclesiae Lateranensis, et Basilicae Principis Apostolorum , nec non Cancellariae Apostolicae, Curiaeque Generalis in Monte Citatorio, et in Acie Campi Florae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari, sicque publicatas et affixas omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent.

» Volumus autem ut earundem Litterarum transumtis, seu Exemplis, etiam impressis etc.

» Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die xxvi Martii Anno MDCCCLX.

» Pontificatus Nostri Anno Decimo Quarto.»

Loco >B sigilli

PIUS PP. IX.

« Anno a Nativ. Dñi MDCCCLX Indici. III die vero 29 Martii Pontificatus SSmi in Christo Patris et Domini Nostri Domini Pii *divina providentia* PAPAE NONI *A uno XVI praesentes Litterae Apostolicae affixae et publicatae fuerunt ad valvas Basilicarum Lateranensis et Vaticanae^ Cancellariae Apostolicae, ac Magnae Curiae Innocentianae atque in Acie Campi Florae per me Aloisium Serafini Apost. Curs.i)*

Philippus Ossani *Magist. Curs.*

ALLOCUTIO HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE 28 SEPTEMBRIS 1860.

Venerabiles Fratres

« Novos, et ante hunc diem inau? ditos ausus a Subalpino Gubernio contra Nos, hanc Apostolicam Sedem , et Catholicam Ecclesiam admissos denuo cum incredibili animi Nostri dolore vel moerore potius deplorare ac detestari cogimur, Venerabiles Fratres. Ipsum , uti nostis, Gubernium victoria abutens, quam bellicosae magnaeque nationis opibus adiutum ex funestissimo bello reportavit, suum per Italiam regnum contra omnia divina et humana iura extendens, populis ad rebellionem excitatis, legitimisque Principibus ex propria dominatione per summam iniustitiam expulsis, aliquot Pontificiae Nostrae in Aemilia ditionis provincias iniustissimo ac prorsus sacrilego ausu invasit et usurpavit. Dum autem universus Catholicus Orbis iustissimis gravissimisque Nostris re-

spondens querelis contra hanc impiam usurpationem vehementer clamare non desinit, idem Gubernium alias huius Sanctae Sedis provincias in Piceno, Umbria, et Patrimonio sitas sibi vindicare constituit. At cum videret, earum provinciarum populos omni perfrui tranquillitate, eosque Nobis fideliter adhaerere, nec posse pecuniis largiter profusis, aliisque improbis adhibitis dolis a legitimo Nostro, et huius Sanctae Sedis civili imperio alienari ac divelli, idcirco in ipsas provincias immisit tum perditorum hominum manum, qui turbas seditionemque ibi excitarent, tum ingentem suum exercitum, qui easdem provincias hostili impetu annorumque vi subiiceret.

» Optime nostis, Venerabiles Fratres, impudentes litteras a Subalpino Gubernio ad suum tuendum latrocinium Nostro Cardinali a publicis negotiis scriptas, quibus haud erubuit nuntiare , se suis copiis in mandatis dedisse, ut commemoratas Nostras provincias occuparent, nisi dimitterentur exteri homines adscripti parvo Nostro exercitui, qui ceteroquin ad Pontificiae ditionis, eiusque populorum tranquillitatem servandam fuerat instructus. Nec ignoratis , a Subalpinis copiis easdem provincias ipso fere tempore fuisse occupatas, quo illae litterae accipiebantur. Equidem nemo non potest non magnopere commoveri, et summa affici indignatione reputans mendaces criminationes, variasque calumnias et contumelias, quibus idem Gubernium haud pudet huiusmodi suam hostilem i m pia m que contra civilem Romanae Ecclesiae Principatum aggressionem tegere, Nostrumque Gubernium impetere. Ecquis enim non summopere miretur audiens , Nostrum reprehendí Gubernium, propterea quod Nostro exercitui externi homines fuerint adscripti, cum omnes noscant nulli legitimo Gubernio denegari umquam posse ius cooptandi in suas copias exteros homines? Quod quidem ius potiori quadam ratione ad Nostrum et huius Sanctae Sedis Gubernium pertinet, cum Romanus Pontifex, veluti communis omnium catholicorum pater, non posset non libentissime eos omnes catholicos excipere, qui religionis studio impulsi velint in Pontificiis copiis militare, et ad Ecclesiae defensionem concurrere. Atque hic animadvertendum existimamus, huiusmodi catholicorum exterorum concursum fuisse praesertim excitatum illorum improbilate,qui civilem huius Sanctae Sedis Principatum aggressi sunt. Nemo enim ignorat qua indignatione , et quo luctu universus catholicus orbis fuerit commotus ubi novit tam impiam, tamque iniustam civili huius Apostolicae Sedis dominio aggressionem fuisse illatam. Ex quo porro factum est, ut quamplurimi ex variis christiani orbis regionibus fideles sua sponte et summa alacritate ad Pontificiam Nostram ditionem convolaverint , suumque nomen Nostrae militiae dederint, quo Nostra, huius Sanctae Sedis, et

Ecclesiae iura strenue defenderent. Singulari autem malignitate Subalpinum Gubernium Nostris militibus mercenarii notam per summam calumniam inurere minime veretur , cum non pauci ex indigenis exterisqueNostris militibus nobili genere nati, et illustrium familiarum nomine conspicui, ac religionis amore unice excitati, sine ullo emolumento in Nostris copiis militare voluerint. Neque latet Subalpinum Gubernium qua fide et integritate Noster exercitus praestet, cum eidem Gubernio perspectum sit, irritas fuisse omnes dolosas artes adhibitas ut Nostri milites corrumperentur. Nihil vero est cur immoremur in repellenda feritatis accusatione Nostris copiis improbe illata, cum nullum plane argumentum obtrectatores valeant adducere; quin potius huiusmodi criminatio in ipsos iure converti possit, quemadmodum vulgatae Subalpini exercitus Ducum truculentae proclamationes manifestissime ostendunt.

» Hic autem animadvertere praestat, Nostro Gubernio minime suspicandum fuisse de huiusmodi hostili invasione, cum ipsi asseveratum esset Subalpinas copias prope territorium Nostrum accessisse, non quidem invadendi animo , immo vero ut inde perturbatorum turmas créèrent. Hinc summus Nostrarum copiarum Dux ne cogitare quidem poterat, sibi cum Subalpino exercitu esse pugnandum. Verum ubi, rebus praeter omnem expectationem perperam immutatis, agnovit hostilem irruptionem ab illo exercitu factam, qui sane pugnantium numero annorumque vi maxime praevalebat, providum suscepit consilium se Anconam utpote arce munitam recipiendi, ne Nostri milites tam facili mortis periculo exponerentur. Cum autem ingruentibus hostium copiis in itinere interciperetur, manus conserere coactus est, ut sibi militibusque suis viam aperiret.

» Ceterum dum meritas debitasque laudes tribuimus commemorato Nostrarum copiarum Duci, ac illarum auctoribus et militibus, qui inexpectata hostili irruptione lacessiti pro Dei, Ecclesiae , huius Apostolicae Sedis, ae iustitiae causa fortiter, viribus licet longe imparibus, dimicarunt, vix lacrimas continere possumus noscentes quot strenui milites, ac lectissimi praesertim iuvenes in hac iniusta et crudeli invasione occubuerint, qui religioso sane nobilique animo ad civilem Romanae Ecclesiae Principatum tuendum advolarunt. Nos insuper summopere commovet luctus, qui in illorum familias redundat. Utinam eisdem familiis fletum Nostris verbis abstergeré possemus I Confidimus vero non levi ipsis solatio et consolationi futuram honorificentissimam mentionem, quam de extinctis suis liberis et propinquis merito facimus ob splendidum sane eximiae eorum erga Nos, et hanc Sanctam Sedem fidei, pietatis et amoris exemplum, quod christiano orbi cum immortali eorum nominis laude exhibuerunt. Atque

in eam profecto spem erìgimur fore, «t ii omnes, qui gloriosam pro Ecclesiae causa mortem obierunt, illam sempiternam assequantur pacem et beatitatem, quam a Deo Optimo Maximo adprecati sumus, et adprecari nunquam omittemus. Quo loco debitis quoque laudibus prosequimur dilectos Filios Praesides provinciarum, praesertim Urbino-Pisaurensis, et Spoletanae , qui in hac tristissima temporum vicissitudine suo munere sedulo constanterque perfuncti sunt.

» Iam vero, Venerabiles Fratres, quis ferre unquam poterit insignem impudentiam et hypocrisim, qua nequissimi invasores in suis programmatibus asserere non dubitant, se Nostras aliasque Italiae adire provincias, ut ibi moralis ordinis principia restituant? Atque id ab iis temere affirmatur, qui acerrimum Catholicae Ecclesiae, eiusque Ministris, ac rebus iamdiu bellum inferentes, et ecclesiasticas leges eensurasque plane despicientes ausi sunt spectatissimos tum S. R.E. Cardinales, tum Episcopos, tum probatissimos utriusque cleri Viros in vincula coniicere, Religiosas Familias e propriis Coenobiis expellere, Ecclesiae bona diripere, et civilem huius Sanctae Sedis Principatum vastare. Scilicet moralis ordinis principia ab iis restituentur, qui publicas cuiusque falsae doctrinae scholas, et meretricias etiam domos constituunt, quique abominandis scriptis et scenicis spectaculis pudorem, pudicitiam, honestatem, virtutem offendere, eliminare, et sacrosancta divinae nostrae religionis mysteria, praecepta, et instituta , sacrosque ministros, ritus , caeremonias irridere , contemnere, omnemque iustitiae rationem de medio tollere, ac tum religionis tum civilis societatis fundamenta labefactare et evertere connituntur !

» In hac igitur tam iniusta, tam hostili et horrenda civilis Nostri et huius Sanctae Sedis Principatus aggressione et occupatione a Subalpino Rege eiusque Gubernio contra omnes iustitiae leges et universale gentium ius peracta, Nostri officii probe memores in hoc amplissimo Vestro consessu, et coram universo Catholico Orbe Nostram vocem denuo vehementer attollimus, ac omnes nefarios sacrilegosque eiusdem Regis et Gubernii ausus reprobamus, penitusque damnamus, omnesque actus plane nullos et irritos declaramus, decernimus, ac civilis, quo Romana pollet Ecclesia, Principatus integritatem, eiusque iura, quae ad omnes catholicos pertinent, etiam atque etiam reclamamus, et reclamare nunquam desistemus.

» Verum dissimulare non possumus , Venerabiles Fratres, summa Nos opprimi amaritudine , cum in tam scelesta et nunquam satis exsecranda aggressione alieni auxilii opem, variis exortis difficultatibus, adhuc desideremus. Equidem notissimae Vobis sunt iteratae declarationes Nobis factae ab uno ex potentissimis Europae Principibus. At"

tamen dum illarum iamdiu expectamus effectum, non possumus non vehementer angi ac perturbari cum inspiciamus nefandae usurpationis auctores fautoresque audacter insolenterque in nefario suo proposito persistere ac progredi, tamquam certo confidentes neminem sibi reapse adversari.

» Haec autem perversitas eo devenit, ut hostilibus Subalpini exercitus copiis ad moenia fere huius almae Nostrae "urbis immissis, quaecumque fuerit implicata communicatio, publicae privataeque rationes in discrimen adductae , commeatus intercepti, et, quod gravissimum est, Summus totius Ecclesiae Pontifex in molestam redactus difficultatem Ecclesiae ipsius negotiis, prout res postulat, consulendi, propterea quod maxime coarctetur via cum variis orbis partibus communicandi. Quamobrem in tantis Nostris angustiis, tantoque rerum discrimine, vel facile intelligitis, Venerabiles Fratres, Nos tristi necessitate eo iam ferme impelli, ùt vel inviti cogitare debeamus de opportuno suscipiendo consilio ad Nostram dignitatem tuendam.

» Interim abstinere non possumus , quin praeter alia deploremus funestum pc perniciosum principium, quod vocant de *non Interventu,* a quibusdam Guberniis haud ita pridem, ceteris tolerantibus, proclamatum, et adhibitum etiam cum de iniusta alicuius Gubernii contra aliud aggressione agatur ; ita ut quaedam veluti impunitas ac licentia impetendi ac diripiendi aliena iura, proprietates , ac ditiones ipsas contra divinas humanasque leges sanciri videatur; quemadmodum luctuosa bac tempestate cernimus evenire. Et mirandum profecto, quod uni Subalpino Gubernio impune liceat eiusmodi principium despicere ac violare, cum videamus ipsum hostilibus suis copiis , universa Europa inspectante, in alienas ditiones irrumpere, legitimosque ex illis Principes exturbare : ex quo perniciosa consequitur absurditas, alienum nempe interventum dumtaxat admitti ad rebellionem suscitandam atque fovendam.

» Hinc autem opportuna Nobis oritur occasio excitandi omnes Europae Principes, ut pro spectata ipsorum consilii gravitate et sapientia serio perpendant quae quantaque mala in detestabili, quem lamentamur , eventu cumulentur. Agitur enim de immani violatione , quae contra universale gentium ius nequiter est patrata, quaeque nisi omnino coerceatur, nulla deinceps legitimi cuiusque iuris firmitas ac securitas poterit consistere. Agitur de rebellionis principio, cui Subalpinum Gubernium turpiter inservit, et ex quo pronum est intelligere, quantum cuicumque Gubernio discrimen in dies comparetur, et quanta in universam civilem societatem redundet pernicies, cum ita fatali *Communismo* aditus aperiatur. Agitur de violatis solemnibus Conventionibus, quae, uti aliorum in Europa Prin-

cipatuum , ita etiam civilis Pontificiae Ditionis integritatem sartam tectamque servari omnino postulant. Agitur de violenta direptione illius Principatus, qui singulari divinae providentiae consilio Romano Pontifici datus est ad Apostolicum suum Ministerium in universam Ecclesiam plenissima libertate exercendum. Quae profecto libertas summae omnibus Principibus curae esse debet, ut Pontifex ipse nullius civilis potestatis impulsui subiaceat, atque ita spirituali pariter catholicorum in eorumdem Principum dominiis degentium tranquillitati cautum sit.

» Itaque omnibus Supremis Principibus persuasum esse debet, Nostram cum Ipsorum causa plane esse coniunctam , eosque suum Nobis auxilium afferentes Nostrorum aeque ac suorum iurium incolumitati esse prospecturos. Maxima proinde cum fiducia ipsos hortamur et obsecramus, ut opem Nobis, pro sua quisque conditione et opportunitate, velint impendere. Non dubitamus autem , quin catholici praesertim Principes ac Populi omnem eorum curam et operam studiosissime conferant, ut pro communi eorum officio universi Dominici Gregis Patrem , et Pastorem parricidialibus degeneris filii armis oppugnatum modis omnibus adiuvare, tueri, et defendere properent atque festinent.

» Cum autem apprime sciatis, Venerabiles Fratres, omnem spem Nostram in Deo esse collocandam; qui adiutor et refugium est nostrum in tribulationibus nostris, quique vulnerat et medetur, percutit et sanat, mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit; idcirco in omni fide, et humilitate cordis nostri assiduas ferventissimasque ad Ipsum, adhibito in primis efficacissimo Immaculatae Sanctissimaeque Deiparae Mariae patrocinio, ac suffragio Beatorum Petri et Pauli, preces effundere non intermittamus, ut faciens potentiam in brachio suo inimicorum suorum superbiam elidat, et expugnet impugnantes nos, omnesque Ecclesiae suae sanctae hostes humiliet et conterat; atque omnipotenti suae gratiae virtute efficiat, ut omnium praevaricantium corda resipiscant, deque optatissima illorum conversione sancta mater Ecclesia quam primum laetetur.»

ALLOCUTIO HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE 18 MARTII 1861.

Venerabiles Fratres

« Iamdudum cernimus, Venerabiles Fratres, quo misero sane conflictu ob invicem pugnantia inter veritatem et errorem, inter virtutem et vitium , inter lucem et tenebras principia, hac miserrima nostra praesertim aetate civilis exagitetur societas. Namque alii ex una parte tuentur quaedam modernae, uti appellant, civilitatis placita, alii ex altera iustitiae sanctissimaeque nostrae religionis iura propugnant. Ac primi postulant, ut Romanus Pontifex cum *Progressu,* cum *Liberalismo,* uti vo-

eant, ac recenti civilitate se reconciliet et componat. Alteri vero merito efflagitant, ut immobilia et inconcussa aeternae iustitiae principia integra et inviolata custodiantur, et saluberrima divinae nostrae religionis vis omnino servetur , quae et Dei gloriam amplificai, et opportuna tot malis, quibus humanum genus affligitur, affert remedia, quae est unica veraque norma, qua filii hominum in hac mortali vita omni virtute instituti ad beatae aeternitatis portum perducuntur. Sed hodiernae civitatis patroni huiusmodi discrimini haud acquiescunt, quandoquidem sese veros et sinceros religionis amicos affirmant. Ac Nos fidem eis adhibere vellemus, nisi tristissima sane facta, quae ante omnium oculos quotidie versantur, contrarium prorsus ostenderent. Et quidem una est vera ac sancta super terram religio ab ipso Christo Domino fundata et instituta, quae virtutum omnium fecunda parens et altrix, ac vitiorum expultrix, et animorum liberatrix, veraeque felicitatis index, appellatur Catholica, Apostolica, Romana. Quid autem sentiendum de iis , qui extra hanc salutis arcam vivunt, iam alias declaravimus in Consistoriali Nostra Allocutione diei 9 Decembris anni millesimi octingentesimi quinquagesimi quarti, atque hic eamdem doctrinam confirmamus. Iam vero ab is, qui pro religionis bono Nos ad hodiernae civilitati dexteram porrigendam invitant, quaerimus utrum facta talia sint, quae Christi hic in terris Vicarium ab Ipso ad caelestis suae doctrinae puritatem tuendam, atque ad agnos ovesque eadem doctrina pascendas et confirmandae divinitus constitutum possint inducere, ut sine gravissimo conscientiae piaculo, et maximo omnium scandalo se cum hodierna civilitate consociet, cuius opera tot nunquam satis deploranda eveniunt mala, tot teterrimae opiniones, errores et principia promulgantur, quae catholicae religioni eiusque doctrinae omnino adversantur. Atque inter haec facta nemo ignorat, quomodo vel ipsae solemnes Conventiones inter hanc Apostolicam Sedem et regios Principes rite initae penitus destruantur, veluti nuper Neapolim accidit. Qua quidem de re in hoc amplissimo vestro consessu etiam atque etiam querimur, Venerabiles Fratres, et summopere reclamamus eo prorsus modo, quo contra similes ausus et violationes alias protestati sumus.

» Haec autem moderna civilitas dum cuique acatholico cultui favet, ipsosque infideles a publicis muneribus obeundis minime prohibet, et catholicas scholas illorum filiis recludit, irascitur adversus Religiosas Familias, adversus Instituta catholicis scholis moderandis fundata, adversus quamplurimos cuiusque gradus ecclesiasticos Viros amplissima etiam dignitate insignitos, quorum non pauci vitam in exilii incerto aut in vinculis misere agunt, et adversus etiam spectatos laicos viros, qui Nobis et huic Sanctae Sedi addicti religio-

nìs iustitiaeque causam alacriter defendunt. Haec civilitas dum acatholicis institutis ac personis subsidia largitur, catholicam Ecclesiam iustissimis suis possessionibus spoliat, et omnia adhibet consilia ac studia ad salutarem ipsius Ecclesiae efficaciam imminuendam. Insuper dum omnem tribuit libertatem quibusque verbis et scriptis, quae Ecclesiam omnesque ipsi ex corde devotos adversantur, ac dum licentiam animat, alit et fovet, eodem tempore se omnino cautam moderatamque exhibet in reprehendenda violenta et immiti interdum agendi ratione contra eos adhibita, qui optima vulgant scripta; et omnem in puniendo exercet severitatem, si ab his moderationis fines vel leviter praeteriri arbitretur.

x» Huiusmodi igitur militati posset ne unquam Romanus Pontifex amicam protendere dexteram, et cum ea foedus concordiamque ex animo inire? Vera rebus vocabula restituantur, et haec Sancta Sedes sibi semper constabit. Siquidem ipsa verae civilitatis continenter fuit patrona et altrix; atque historiae monumenta eloquentissime testantur ac probant, omnibus ab eadem Sancta Sede in disiunctissimas quasque et barbaras terrarum orbis regiones veram rectamque fuisse invectam morum humanitatem, disciplinam, sapientiam. At cum civilitatis nomine velit intelligi systema apposite comparatum ad debilitandam ac fortasse etiam delendam Christi Lcclesiam , nunquam certe quidem haec Sancta Sedes et Romanus Pontifex poterunt cum huiusmodi civilitate convenire. *Quae enim,* uti sapientissime clamat Apostolus, *participatio iustitiae cum iniquitate, aut quae societas luci ad tenebras? Quae autem conventio Christi ad Belial?* (1)

» Qua igitur probitate perturbatores, et seditionis patroni suam vocem attoiiunt ad exaggerandos conatus frustra ab ipsis adhibitos, ut se cum Romano Pontifice componant? Hic enim, qui suam omnem vim haurit ex aeternae iustitiae principiis, quonam pacto posset illa unquam deserere, ut sanctissima debilitetur fides, atque adeo Italia m discrimen adducatur amittendi maximum suum splendorem et gloriam, qua undeviginti abhinc saeculis refulget ob centrum et sedem, qua praestat, catholicae veritatis? Neque obiici potest, hanc Apostolicam Sedem in rebus civilis Principatus clausas habuisse aures illorum postulationibus, qui Uberiorem administrationem exoptare significarunt. Ut vetera omittamus exempla, de hac nostra infelici aetate loquemur. Ubi enim Italia a legitimis suis Principibus uberiores institutiones obtinuit, Nos, paternum animum gerentes, filiorum partem. Pontificiae Nostrae ditionis in civilem administrationem cooptavimus, et opportunas dedimus concessiones, propriis tamen pru-

(1) Epist. Il ad Corinth. c. VI v. 14,15.

dentiae modis ordinatas, ne munus paterno animo concessum per malorum hominum operam veneno innueretur. At vero quid inde factum est? Effrena licentia innocua Nostra largitate potita est, et Aulae, quo publici Ministri ac Deputati convenerant, limina sanguine respersa, et impia manus in eum sacrilege conversa qui beneficium concesserat. Quod si recentissimis hisce temporibus consilia circa civilem procurationem Nobis data fuerunt, haud ignoratis, Venerabiles Fratres, illa a Nobis admissa fuisse, eo tamen excepto ac reiecto, quod non ad civilem administrationem respiciebat, sed eo spectabat, ut spoliationis parti iam patratae assentiremur. Nihil vero est cur de consiliis bene acceptis, deque Nostris sinceris ad illa exsequenda promissis loquamur, cum usurpationum moderatores alta voce profiterentur, se non quidem reformationes, sed absolutam rebellionem, omnemque a legitimo Principe seiunctionem omnino velle. Atque ipsi erant gravissimi facinoris auctores et antesignani, qui suis clamoribus omnia replebant, non vero populus, ut de illis merito dici possit quod Venerabilis Beda de Pharisaeis et Scribis Christi inimicis aiebat (1): *« Non haec aliqui de turba, sed Pharisaei calumniabantur et Scribae, sicut Evangelistae testantur. »*

» Sed Romani Pontificatus oppugnata non solum eo spectat, ut haec Sancta Sedes et Romanus Pontifex legitimo suo civili Principatu omnino privetur, sed eo etiam tendit, ut infirmetur, et, si fieri umquam posset, plane tollatur salutaris catholicae religionis virtus: ac propterea im petit Dei ipsius opus, redemptionis fructum, et sanctissimam illam fidem, quae pretiosissima est hereditas in nos derivata ex ineffabili sacrificio, quod in Golgotha consummatum est. Atque ita se rem habere satis superque demonstrant tum commemorata iam facta, tum ea quae in dies evenire videmus. Quot enim in Italia Dioeceses ob illata impedimenta suis Episcopis orbatae, prudentibus modernae civilitatis patronis, qui tot christianos populos sine pastoribus derelinquunt, et illorum bonis potiuntur, ut ea in pravos etiam usus convertant! Quot sacrorum Antistites in exilio versantur! Quot (cum incredibili animi Nostri dolore dicimus) Apostatae, qui non Dei sed Satanae nomine loquentes, ac impunitate ipsis a fatali regiminis systemate concessa fidentes, et conscientias exagitant, et infirmos ad praevaricandum impellunt, et misere lapsos in turpissimis quibusque doctrinis obfirmant, et Christi vestem lacerare contendunt, cum minime reformident Nationales, uti dicunt, Ecclesias, aliasque id genus impietates proponere ac suadere. Postquam vero ita religioni insultaverint, quam per hypocrisim invitant ut cum ho-

(1) Lib. I, c. 48 in c. 11 Lucae.

dierna civilitate conveniat, non dubitant pari cum hypocrisi Nos excitare ut cum Italia reconcilientur. Scilicet, cum omni fere civili Nostro Principatu spoliati gravissima Pontificis et Principis onera sustineamus piis catholicae Ecclesiae filiorum largitionibus quotidie amantissime ad Nos missis, cumque gratis invidiae et odii signum facti simus eorum ipsorum opera , qui conciliationem a Nobis postulant; id vellent praeterea, ut palam declararemus, usurpatas Pontificiae Nostrae ditionisProvincias in liberam usurpatorum proprietatem cedere. Qua sane audaci et hactenus inaudita postulatione quaererent, ut ab hac Apostolica Sede, quae semper fuit et erit veritatis iustitiaeque propugnaculum, sanciretur, rem iniuste violenterque direptam posse tranquille honesteque possideri ab iniquo aggressore; utque ita falsum constitueretur principium, fortunatam nempe facti iniustitiam nullum iuris sanctitati detrimentum afferre. Quae postulatio iis etiam repugnat solemnibus verbis, quibus in magno et illustri Senatu nuperrimis hisce diebus declaratum est: *Romanum Pontificem esse Repraesentatorem praecipuae vis moralis in humano, societate.* Ex quo illud consequitur, eum nullo modo posse vandalicae spoliationi consentire, quin fundamentum violet illius moralis disciplinae, cuius ipse veluti prima forma et imago dignoscitur.

» Iam vero quicumque vel errore deceptus vel timore perculsus praebere velit consilia iniustis perturbatorum civilis societatis votis consentanea, necesse est ut hisce potissimum temporibus sibi omnino persuadeat, illos numquam contentos fore, nisi viderint omne auctoritatis principium, omne religionis frenum, omnemque iuris iustitiaeque regulam de medio tolli. Atque huiusmodi subversores in civilis societatis calamitatem illud iam tum voce tum scriptis assequuti sunt, ut humanas mentes perverterint, moralem sensum debilitaverint, et iniustitiae horrorem eripuerint; atque omnia conantur ut cunctis persuadeant, ius ab honestis gentibus invocatum nihil aliud esse, nisi iniustam voluntatem quae debeat omnino contemni. Heu! vere *luxit et defluxit terra et infirmata est, defluxit orbis, infirmata est altitudo populi terrae. Et terra infecta est ab habitatoribus suis : quia transgressi sunt leges, mutaverunt ius, dissipaverunt foedus sempiternum* (1).

» Verum in tanta tenebrarum obscuritate , qua Deus inscrutabili suo iudicio gentes sinit offundi, Nos omnem Nostram spem fiduciamque plane collocamus in ipso eminentissimo misericordiarum Patre et Deo totius consolationis, qui Nos consolatur in omni tribulatione nostra. Ipse namque est, qui Vobis, Venerabiles Fratres, concordiae et una-

(1) Is. can. 24 v. 4, 5.

nimitatis inter Vos spiritum ingerit, et quotidie magis ingeret, ut Nobiscum arctissime aeque ac concordissime coniuncti parati sitis una Nobiscum sortem illam subire, quae arcano divinae suae providentiae consilio cuique nostrum reservata sit. Ipse est, qui charitatis vinculo inter se, et cum hoc catholicae veritatis et unitatis centro coniungit sacrorum christiani orbis Antistites, qui fideles sibi commissos evangelicae veritatis doctrina instituunt, eisque iter in tanta caligine tuto sequendum monstrant, nuntiantes virtute prudentiae populis sanctissima verba. Ipse super omnes catholicas gentes effundit spiritum precum, ct acatholicis aequitatis sensum inspirat, ut rectum de hodiernis eventibus ferant iudicium. Haec autem tam mira in universo catholico orbe precum consensio, tamque unanimes erga Nos amoris significationes, tot sane variisque modis expressae (quod in anteactis aetatibus haud facile queat inveniri) manifestissime ostendunt, quemadmodum hominibus recte animatis opus omnino sit tendere ad hanc Beatissimi Principis Apostolorum Cathedram, lucem terrarum orbis, quae magistra veritatis et nuntia salutis semper docuit, et usque ad consummationem saeculi immutabiles aeternae iustitiae leges docere numquam desinet. Tantum vero abest, ut Italiae populi ab hisce luculentissimis filialis erga Apostolicam hanc Sedem amoris et observantiae testimoniis abstinuerim, ut immo quamplura centena ipsorum millia Nos amantissimis litteris adiverint non eo quidem consilio ut conclamatali) a veteratoribus reconciliationem peterent, sed ut Nostras molestias, poenas, angores summopere dolerent, suumque erga Nos affectum omnimode confirmarent, et nefariam sacrilegamque civilis Nostri eiusdemque Sedis Principatus spoliationem etiam atque etiam detestarentur.

» Cum porro ita se res habeant, antequam loquendi finem faciamus, coram Deo et hominibus clare aperteque declaramus, nullam prorsus adesse causam quare cum quopiam Nos reconciliari debeamus. Quoniam vero, licet immerentes, Illius hic m terris vice fungimur, qui pro transgressoribus rogavit ve n iamque petiit, probe sentimus a Nobis parcendum iis qui Nos oderunt, ac pro ipsis orandum ut divinae gratiae auxilio resipiscant, atque ita illius, qui Christi hic in terris vicariam gerit operam, benedictionem promereantur. Libenter utique pro illis oramus, iisque , statim ac resipuerit, ignoscere ac benedicere parati sumus. Interim tamen non possumus inertes haerere, veluti qui nullam de humanis calamitatibus curam capiunt; non possumus non vehementer commoveri et angi, ac uti Nostra non reputare maxima damna et mala iis nequiter illata qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Quocirca dum intimo moerore conficimur, Deumque obsecramus,

gravissimum supremi Nostri Apostolatus munus implemus loquendi, docendi et damnandi quaecumque Deus Eiusque Ecclesia docet et damnat, ut ita cursum Nostrum consummemus, et ministerium verbi , quod accepimus a Domino Iesu, testificari Evangelium gratiae Dei.

» Itaque si iniusta a Nobis petantur, praestare non possumus: si vero postuletur venia , illam ultro libenterque, uti nuper declaravimus, imperliemur. Ut autem huiusce veniae verbum eo proferamus modo, qui Pontificiae Nostrae dignitatis sanctitatem omnino decet, flectimus ante Deum genua , et triumphale nostrae redemptionis amplectentes vexillum, Ghristum Iesum humillime deprecamur, ut Nos eadem sua repleat charitate, ut eo prorsus modo ignoscamus, quo Ipse suis pepercit inimicis , antequam sanctissimum suum spiritum in aeterni Patris Sui traderet manus. Atque ab Ipso impensissimo exposcimus, ut quemadmodum post veniam ab Eo tributam, inter densas tenebras, quibus universa terra fuit obducta, inimicorum suorum mentes illustravit, qui horrendi facinoris poenitentes revertebantur percutientes pectora sua, ita in hac tanta nostrae aetatis caligine velit ex inexhaustis infinitae suae misericordiae thesauris caelestis ac triumphatricis suae gratiae effundere dona , quibus omnes errantes ad unicum suum ovile redeant. Quaecumque autem futura sint investigabilia divinae suae providentiae consilia , ipsum Christum Iesum Ecclesiae suae nomine rogamus , ut Vicarii sui causam, quae Ecclesiae suae causa est, iudicet, eamque contra hostium suorum conatus defendat, ac gloriosa victoria exornet et augeat. Ipsum item exo ramus, ut perturbatae societati ordinem tranquillitatemque restituat, et optatissimam pacem tribuat ad iustitiae triumphum, quem ab Eo unice exspectamus. In tanta enim trepidatione Europae totiusque terrarum orbis, et eorum, qui arduo funguntur munere moderandi populorum sortes, Deus unus est, qui Nobiscum et pro Nobis pugnare possit: *Iudica nos tyeus, et discerne causam nostram de gente non sancta: da pacem Domine in diebus nostris, quia non est alius qui pugnet pro nobi$, nisi tu Deus Noster.*

ALLOCUTIO HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE 30 SEPT. 1861.

Venerabiles Fratres

« Meminit unusquisque vestrum, Venerabiles Fratres, quanto animi Nostri doiore in hoc amplissimo vestro consessu saepissime lamentati simus gravissima et nunquam satis deploranda damna catholicae Ecclesiae , huic Apostolicae Sedi, Nobisque cum maximo ipsius civilis societatis detrimento illata a Subalpino Gubernio, atque a funestissimae rebellionis auctoribus et fautoribus in

miseris praesertim Italiae regionibus, quas idem Gubernium iniuste aeque ac violenter usurpavit. Nunc vero inter afa innumera et semper graviora vulnera sanctissimae nostrae religioni ab ipso Gubernio, et nefariae conspirationis hominibus indesinenter inflicta dolere cogimur, Dilectum Filium Nostrum clarissimum vestrum Collegam, ac vigilantissimum Neapolitanae Ecclesiae Archiepiscopum pietate ac virtute conspicuum, quem hic praesentem intuemini, militari manu fuisse comprehensum, et a proprio grege cum ingenti bonorum omnium luctu avulsum. Omnes autem norunt quomodo eiusdem Gubernii et rebellionis satellites omni dolo et fallacia pleni, atque abominabiles facti in viis suis veterum haereticorum molitiones et furores renovantes, et contra sacra omnia debacchantes, Dei Ecclesiam, si fieri unquam posset, funditus evertere, et catholicam religionem, eiusque salutarem doctrinam ex omnium animis radicitus exstirpare, et pravas quasque cupiditates excitare et inflammare connitantur. Hinc, omnibus divinis humanisque procuratis iuribus, et ecclesiasticis censuris omnino spretis, Sacrorum Antistites audacius in dies a propriis Dioecesibus expulsi, atque etiam in carcerem missi, et quamplurimis fideles populi suis orbati Pastoribus, et utriusque Clerj viri miserandum in modum divexati, omnibusque iniuriis exagitati, et Religiosae Familiae extinctae, earumque Sodales e suis Coenobiis eiecti, ad rerum omnium inopiam redacti, et Virgines Deo Sacrae panem emendicare cóactae, et religiosissima Dei templa spoliata, polluta, et in latronum speluncas conversa, et sacra bona direpta, et ecclesiastica potestas , ac iurisdictio violata, usurpata , et Ecclesiae leges despectàe et conculcatae. Hinc publicae depravatarum doctrinarum scholae constitutae, et pestiferi libelli et ephemerides e tenebris emissae, ac late per omnia loca immanibus huius scelestae coniurationis sumptibus dissipatae. Quibus perniciosissimis et abominandis scriptis sanctissima fides, religio, pietas, honestas, pudicitia, pudor, omnisque virtus oppugnatur, ac vera et inconcussa aeternae naturalisque legis, ac publici , privatique iuris principia , praecepta evertuntur , et legitima cuiusque libertas, proprietas impetitur, ac domesticae cuiusque familiae et civilis societatis fundamenta labefactantur, omniumque bonorum fama falsis criminationibus, maximisque laceratur conviciis , et effrenis vivendi, et quidlibet audendi licentia, omniumque vitiorum et errorum impunitas maiorem in modum fovetur , propagatur , ac promovetur. Nemo vero nqn videt quam luctuosa omnium calamitatum , scelerum , et exitiorum series ex hoc tanto impiae rebellionis incendio in mise* ram praesertim Italiam redundaverit. Etenim, ut Prophetae verbis utamur,

« Maledictum, et mendacium, et ho—
» micidium,et furtum, et adulterium,

» *inundaverunt, et sanguis sanguinem* » *tetegit* » (1). Horret quidem refugitque dolore animus, et commemorare reformidat, plura in Neapolitano Regno oppida incensa et solo aequata, et innumerabiles prope , integerrimosque Sacerdotes Religiososque viros, et cuiusque aetatis, sexus et conditionis cives , ac vel ipsos aegrotantes indignissimis contumeliis affectos, et, indicta etiam causa, aut in carcerem detrusos, aut crudelissime necatos. Ecquis nec acerbissimo conficietur moerore videns, a furentibus rebellionis hominibus nullam sacris Ministris, nullam Episcopali , et Cardinalitiae dignitati, nullam Nobis, et huic Apostolicae Sedi, nullam sacris templis et rebus, nullam iustitiae, nullam humanitati reverentiam haberi, sed omnia excidiis et vastationibus compleri? Haec autem ab iis patrantur, qui minime erubescunt summa impudentia asserere, se velle Ecclesiae libertatem dare , et moralem sensum Italiae restituere. Neque illos pudct a Romano Pontifice postulare, ut iniustis eorum desideriis annuere velit, ne maiora in Ecclesiam damna redundent.

» Atque illud quoque vel maxime dolendum, Venerabiles Fratres, quod nonnulli ex utroque Clero in Italia viri ecclesiastica etiam dignitate ornati tam funesto aberrationis et rebellionis spiritu misere abrepli, ac propriae vocationis et officii omnino obliti a veritatis tramite declinaverint, et pravis impiorum hominum consiliis faventes cum incredibili bonorum omnium luctu facti sint lapis offensionis et petra scandali.

» Ad haec autem quae deploramus mala illud etiam permolestum accedit, quod haud ita pridem in Mexicana ditione eiusdem generis homines simili contra catholicam Ecclesiam odio incensi non extimuerunt iniquissimas leges eiusdem Ecclesiae potestati, iuribus , doctrinae plane adversas promulgare, ecclesiastica bona praedari, sacras aedes spoliare, in ecclesiasticos religiososque viros saevire, Virgines Deo devotas divexare, Episcopos variis oppressos iniuriis a suis gregibus distrahere, et in exilium pellere , qui fere omnes in hanc almam urbem Nostram venerunt, et non levi Nobis solatio fuere propter egregias virtutes, quibus tantopere praestant.

» Neque id* satis, nam in alia Americae parte, scilicet in Neogranatensi ditione recentissimis hisce diebus rerum civilium perturbatores suprema auctoritate potiti infandum protulere Decretum, quo ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere prohibetur absque civilis gubernii venia et assensu, et inclytae Societatis Iesu Sodales de re christiana et civili optime méritos exturbarunt, atque insuper Nostrum, Sanctaeque huius Sedis Delegatum a ditionis finibus triduo abire coegerunt.

(1) Oseas cap. 4 v. 2.

» Enimvero in tfac tanta tamque tristi omnium divinarum humanarumque rerum perturbatione vel facile intelligitis, Venerabiles Fratres, quanta afflictemur amaritudine. In maximis vero curis, et angustiis, quas sine peculiari Dei auxilio ferre nullo modo possemus, summae certe consolationi Nobis est eximia Venerabilium Fratrum tum Italiae, tum universi catholici orbis Sacrorum Antistitum religio, virtus ac fortitudo. Namque iidem Venerabiles Fratres arctissimo fidei,charitatis et observantiae vinculo Nobis , et huic Petri Cathedrae mirifice obstricti, nullisque periculis deterriti, cum immortali sui nominis et ordinis laude proprium ministerium implentes non desinunt tum voce, tum sapientissimis scriptis Dei, Eiusque Sanctae Ecclesiae, et huius Apostolicae Sedis causam, iura, doctrinam, et iustitiae atque humanitatis rationes impavide defendere, propriique gregis incolumitati diligenter consulere, ac falsas et erroneas inimicorum hominum doctrinas refellere, et impiis illorum conatibus viriliter constanterque obsistere. Nec minori quidem iucunditate perfundimur, cum videamus quot splendidis sane modis ecclesiastici tum cuiusque Italicae regionis, tum totius christiani orbis viri, et fideles populi illustria suorum Antistitum vestigia sectantes singularem suum erga Nos, et hanc Apostolicam Sedem amorem, venerationemque, et egregium in sanctissima nostra religione profitenda ac tutanda studium magis io dies ostendere ac declarare glorientur. Cum autem iidem Venerabiles Fratres, eorumque Clerus et fideles populi summopere doleant, Nos fere omni civili Nostra, et huius Sanctae Sedis Principatu spoliatos in angustis rebus versari, idcirco nihil sibi gratius, nihil gloriosius esse existimant, quam ut piis, ac spontaneis suis largitionibus gravissimas Nostras, et huius Sanctae Sedis omni studio amantissime sublevent angustias. Quocirca dum in humilitate cordis Nostri maximas Deo totius consolationis agimus gratias, qui tam insigni Episcoporum et populorum fidelium pietate ac largitate acerbissimas Nostras molestias, et aerumnas lenire, solari ac sustentare dignatur, gratissimi animi Nostri sensus eisdem Episcopis populisque fidelibus iterum palam publiceque testari et confirmare laetamur, quandoquidem eorum dumtaxat ope auxilioque maximis et in dies crescentibus Nostris et huius Sanctae Sedis indigentiis occurrere possumus.

» Atque hic, Venerabiles Fratres, silentio praeterire non possumus assiduas impensi amoris, firmissimae fidelitatis , devotissimi obsequii, et munificae liberalitatis significationes, quibus Romanus hic Populus ostendere et probare studet ac gestit, nihil sibi potius esse quam ut Nobis et huic Apostolicae Sedi, ac legitimo Nostro, eiusdemque Sedis civili imperio constantissime adhaereat, omnesque nefarios perturbatorum et insidiantium hominum motus cona*

tusque repelìat, et ox animò adversetur ac detestetur. Vos ipsi, Venerabiles Fratres, locupletissimi testes estis, quibus sinceris, publicis ac luculentissima declarationibus idem Romanus Populus Nobis carissimus huiusmodi egregios avitae suae fidei sensus, amplissimis laudibus omnino dignos, profiteri et in medium proferre non intermittat.

» Iam vero cum divinum promissum habeamus, Christum Dominum usque ad consummationem saeculi cum Ecclesia sua futurum, et inferi portas contra eam nunquam esse praevalituras , certi sumus, divinis suis promissis non defuturum Eum, qui faciens mirabilia ostendet aliquando tantam tempestatem non ad Ecclesiae navem demergendam, sed ad eam altius attollendam fuisse excitatam. Interim non desistamus, Venerabiles Fratres, potentissimum Immaculatae, sanctissimaeque Dei Genitricis Virginis Mariae patrocinium enixe et assidue implorare, ac ferventissimis precibus dies noctesque ipsum clementissimum Deum, cuius natura bonitas, cuius voluntas potentia, cuius opus misericordia est, orare et obtestari, ut velit cito abbreviare dies tentationis, et christianae civilique reipublicae tam vehementer afflictae auxiliarem suam porrigere dexteram, utque divinae suae gratiae et misericordiae divitias super omnes propitius effundens, omnes Ecclesiae„ et huius Sanctae Sedis hostes convertat, et ad iustitiae semitas reducat, atque omnipotenti sua virtute efficiat, ut, omnibus depulsis erroribus, omnibusque de medio sublatis impietatibus, sanctissima sua religio, qua temporalis quoque populorum felicitas et tranquillitas vel maxime continetur, ubique terrarum magis in dies vigeat, floreat ac dominetur.»

ALLOCUTIO HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE 18 MARTII 1867.

Hanc allocutionem retulimus in *Vol. III pag. 443 et seqq.* in ea SSmus Pater reprobavit et damnavit legem a Gubernio Subalpino latam, Ecclesiam bonis exspoliantem, ac mentionem fecit de infelicissimo Maximiliano, et inter cetera laudibus extulit memoriam Ludovici Card. Altieri numquam perituram.

EPISTOLA ENCYCLICA DATA DIE 17 OCTOBRIS 1867:

Eam Epistolam adduximus in *Vol. III pag. 467:* in ea SSmus Pater abominationes pessimas quibus funestatur Italia descripsit, angustias, quibus Apostolica cathedra novorum vandalorum vi premebatur, ac mala quibus Ecclesia in Russico Imperio iactabatur.

LITTERAE APOSTOLICAE IN FORMA BREVIS DATAE DIE 14 NOVEMB. 1867.

PIUS PP. IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

« Ex quo infensissimi hostes catholici nominis ad illud, si fieri posset, plane delendum, labefactare ausi sunt civilem Sanctae Sedis Principatum, subtractisque ab eo florentissimis provinciis, vix aliquas Nobis reliquerunt ad civile imperium angustis sane finibus, nec sine aerarii difficultatibus exercendum, nunquam a proposito discesserunt perfidiosi homines reliquas provincias Nostras occupandi, atque adeo invadendi hanc almam Urbem, in qua divino consilio constituta est Apostolica Sedes, fundamentum religionis, magistra fidei, arx et propugnaculum catholicae veritatis. Hinc machinationes et fraudes, hinc aperta vis nuper adhibita; quum scilicet ex ima etiam plebe conflatae subitariae cohortes et ad omne nefas paratissimae nostras in provincias immissae sunt ad rebellionis signum extollendum, et pagos, oppida, civitates terrore, rapinis et sacrilego quovis scelere funestarunt, quin tamen populos a debita fide et obsequio erga Nos, et Apostolicam Sedem potuerint dimovere. Atqui in tanto rerum discrimine singularis Nostrorum militum virtus enituit; quippe suos sequuti duces non viarum asperitate deterriti, non longitudine itineris defatigati, non fracti laboribus alacres convolarunt ad comprimendum hostium impetum, commissoque cum iis, ac redintegrata plurihus in locis certamine sic animose ac fortiter dimicarunt, ut efferatas illas turmas ceciderint, dissipaverat, et oppidanis ac civibus quietem securitatemque restituerint. Neque ita multo post, quum armata phalanx Urbis succedere moenibus fuisset ausa ad irruptionem tentandam, ut nimirum cum sui sceleris sociis, qui iam irrepserant, novaque excidii instrumenta paraverant, dato coniurationis signo, incendiis, expilatione domorum, templorum direptione, bonorum civium sanguine conceptum furorem satiarent, suo non defuerunt officio milites nostri; detectis namque insidiis, perfidiam coniuratorum praeverterunt, eisque partim debellatis ac perditis, partim in vincula coniectis, sedem hanc religionis et bonarum artium domicilium ab impendenti exitio vindicarunt. Sed enim nova oblata est militiae Nostrae exerendae virtutis occasio.

« Scilicet undique collecta armatorum colluvies in proxima Sabinensi provincia Eretum occupaverat; ibique quum multa iudigna perpetrasset, effrenique infiammata cupiditate novam Urbis aggressionem meditaretur, tum Nostrae, tum auxiliares Gallorum copiae missae contra hostem fuere, ut illum adorirentur; initoque apud Nomentum certamine tantam prae se tulerunt in pugnando vim, ardorem, firmitatem, ut praedonum illam multitudi-

nem, licet numero superiorem, domuerint, profliga veri nt, multisque vulneratis, caesis, plurimis in captivitatem abductis, reliquis cum audacissimo duce in fugam conversis, insignem prorsus victoriam reportaverint. Victrices porro copiae regressae in Urbem triumphi in morem exceptae fuerunt, cum effusa obviam civitas clamore, plausu strenuissimis viris rem bene gestam gratularetur. Iamvero huius memoria victoriae, quae non sine auxilio Numinis parta est, et nuspiam non celebrata laudibus ut ad omnes aetates propagetur, argenteum signum cudi iussimus in formam crucis octogonae, cuius in extremitatibus inscriptum sit. ~ PIVS PP. IX. An. MDCCCLVII. - in medio vero parvum numisma extet in adversa parte referens Pontificiae dignitatis insignia cum inscriptione - FIDEI ET VIRTUTI - in aversa autem parvam crucem exhibens cum inscriptione - HINC VICTORIA-Huiusmodi vero argenteum signum omnibus et singulis praesentibus exercitus Nostri militibus genere concedimus sinistro pectoris latere appensum ex taenia serica quinque lineis caerulei, et albi coloris distincta; atque ad maiorem laboris mercedem eisdem concedimus, ut unus annus a tempore eximatur, quod est constitutum ad emerenda stipendia, aliaque beneficia iuxta militarem disciplinam consequenda. Praeterea idem argenteum signum sinistro pectoris latere pariter gerendum donamus omnibus, et singulis Gallici exercitus militibus, qui apud Nomentum cum Nostris copiis contra hostiles turmas decertarunt. Denique, ut viri fortissimi, qui Nostris tuendis iuribus, propulsandoque ab Urbe impiorum furori sanguinem suum, vitamque devoverunt, solemne per Nos praeconium obtineant virtutis et laudis, hisce Litteris palam edicimus, ac declaramus, de Nobis, de Apostolica Sede, deque Catholica re optime illos fuisse méritos; quo sane praeconio nihil honorificentius, nihil gloriosius, nihil ad immortalitatem nominis dicit possit illuslrius.

» Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XIV Novembris Anno MDCCCLXV1I. Pontificatus Nostri XXII.

N. CARB. PARACCIANI CLARELU

EX QUIBUS DOCUMENTIS SEQUENTES PROPOSITIONES COLLIGIMUS

PROPOSITIONES IURIS PUBLICI ECCLESIASTICI REPROBATAE ATQUE DAMNATAE.

I. Clericorum et Ecclesiarum immunitas abolenda est, ***pag.*** 147 ***et seqq.***

II. Laica auctoritas potest ex se sola rescindere conventione initas cum .Apostolica Sede, ***pag.*** 148 ***et seqq.***

III. Laica auctoritas iudicare potest de munere episcopali, quod decernat, qua ratione pro sua conscientia se gerere debent fideles coram civili lege, quae ss. canonibus adversetur, ***pag.*** 148 ***et seqq.***

IV. Episcopus non potest declarare in censuras incidere, qui ex mandato Gubernii audeant per vim aedes episcopales ingredi, ***pag.*** 148 ***et seqq.***

V. Regimen publicae privataeque instructionis ad laicam auctoritatem exclusive pertinet, ***pag.*** 149 ***et seqq.***

VI. Directores quoque spiritus in publicis gymnasiis a laica auctoritate sine ullo interventu ecclesiasticae auctoritatis deligi adprobarique possunt, ***ibid.***

VII. Laica auctoritas potest abolere Monasticas Religiosasque utriusque sexus familias, Collegiatas ecclesias, Beneficia simplicia etiam iurispatronatus, et eorum bona et redditus civilis potestatis administrationi et arbitrio subiicere, ***pag.*** 152.

VIII. Laica auctoritas potest praescribere conditiones, quibus Religiosae familiae subiacere debeant, nisi velint abrogari, ***p.*** 152.

PROPOSITIONES TENENDAE DE ECCLESIA ET DE CIVILI R. PONTIFICIS PRINCIPATU.

I. « Una est vera ac sancta super terram religio ab ipso Chri-
» sto Domino fundata et instituta, quae, virtutum omnium fecunda
» parens et altrix ac vitiorum expultrix et animorum liberatrix
» veraeque felicitatis index, appellatur Catholica, Apostolica, Ro-
» mana, » ***pag.*** 176.

II. Neque se potest componere cum principiis et factis modernae societatis, *pag.* 177 *et seq.*

III. « Ecclesia catholica perfectae societatis formam vi di-
» vinae suae institutionis obtinuit, ac proinde libertate pollere
» debet, ut in sacro suo ministerio obeundo nulli civili potestati
» subiaceat, » *pag.* 166.

IV. « Necessarium esse palam edicimus Sanctae huic Sedi ci-
» vilem Principatum, ut in bonum religionis sacram potestatem
» sine ullo impedimento exercere possit, » *pag.* 157 *et* 166.

V. « Singulari Divinae Providentiae consilio factum esse, ut
» in tanta temporalium Principum multitudine et varietate, Ro-
» mana quoque Ecclesia temporalem dominationem nemini pror-
» sus obnoxiam haberet, quo Romanus Pontifex, summus totius
» Ecclesiae Pastor, nulli umquam Principi subiectus, supremam
» universi Dominici gregis pascendi regendique potestatem aucto-
» ritatemque ab ipso Christo Domino acceptam per universum,
» qua late patet, orbem plenissima libertate exercere, ac simul
» facilius divinam religionem magis in dies propagare, variis fi-
» delium indigentiis occurrere, et opportuna flagitantibus auxilia
» ferre, et alia omnia bona peragere posset, quae pro re ac tem-
» pore ad maiorem totius christianae reipublicae utilitatem per-
» tinere ipse cognosceret, » *pag.* 159, *item* 162 *et* 166.

VI. Plane decet, ut Romanus Pontifex habeat civilem Principatum, ne catholico orbi ulla oriatur occasio dubitandi, impulsu fortasse civilium potestatum vel partium studio duci quandoque posse in universali procuratione gerenda Sanctam Sedem, ad quam *propter potiorem principalitatem necesse est omnem ecclesiam convenire, pag.* 166.

VII. Civilis Principatus Romanae Ecclesiae licet suapte natura temporalem rem sapiat, spiritualem tamen induit indolem vi sacrae quam habet destinationis et arctissimi illius vinculi, quocum maximis rei christianae rationibus coniungitur, *pag.* 166.

VIII. Per usurpationem ditionis Pontificiae grave quoque admittitur sacrilegum *pag.* 168.

IX. Falsa aeque ac perniciosa sunt principia quibus populo suadetur rebellio contra legitimos Principes, *pag.* 147, 167, quaeque totius humanae societatis fundamenta evertunt, *pag.* 168.

IX. Ditiones S. Sedis non ad alicuius regalis familiae successionem, sed ad omnes catholicos pertinent, ***pag*** 163 ***et*** 164, et earundem tutela pariter ad omnes pertinet catholicos, ***pag.*** 165, et Ecclesiae filii suam impendere debent auctoritatem, ***pag.*** 167, ceterique Principes, ***pag.*** 175.

X. Cuiusque Europae Principum vel maxime interest, Romanum Pontificem plenissima frui libertate, qua Catholicorum conscientiae in eorundem Principum ditionibus commorantium tranquillitati rite consultum sit, *pag.* 161

XI. Nulli civili Gubernio denegari potest ius cooptandi in suas copias exteros homines: maxime vero Pontificio Gubernio ad Ecclesiae defensionem, quum Pontifex sit fidelium omnium Pater, ***pag.*** 171.

XII. Principium de Non interventu funestum ac perniciosum, ***pag.*** 174.

PROPOSITIONES HISTORICAE DE CIVILI R. PONTIFICIS PRINCIPATU.

I. Civilis Principatus Romanae Ecclesiae Romanique Pontificis caelesti quadam rerum dispensatione et vetusta per tot iam continentia saecula possessione ac iustissimo quovis alio optimoqué iure comparatus est, et communi omnium populorum et Principum vel acatholicorum consensione uti sacrum inviolatumque Beati Petri patrimonium semper est habitus ac defensus, ***pag.*** 159.

II. Historia luculentissime testatur, civile regimen per Romanos Pontifices gestum, nihil impedire, quominus ea omnia perfici queant, quae ad temporalem quoque populorum felicitatem conducunt, ***pag¿*** 166.

HI. Consilia, molitiones et fraudes eorum, qui temporalem Romanae Ecclesiae dominationem convellere exoptant, eo tendunt, ut Romana Ecclesia suo spoliata patrimonio, Apostolicae Sedis, Romanique Pontificis dignitatem maiestatemque déprimant, pessundent, et liberius sanctissimae Religioni maxima quaeque damna ac teterrimum bellum inferant, ipsamque, si fieri umquam posset, funditus evertant, ***pag.*** 160

IV. Conatus multiplicis generis ad convelíendum civilem Principatum, Deo Ecclesiam suam adiuvante, in irritum serius ocius semper ciciderunt, ***pag.*** 166.

PROPOSITIONES DE OFFICIO R. PONTIF. AD CIVILEM PRINCIPATUM SARTUM TECTUMQUE SERVANDUM.

I. Officium Apostolici muneris est, solemnique etiam iuramento urgente, prospicere summa vigilantia incolumitati Religionis, ac iura et possessiones Romanae Ecclesiae omnino integras inviolatasque tueri, et Sanctae Sedis libertatem, quae cum universae Ecclesiae utilitate est plane coniuncta, asserere et vindicare, ac proinde ipsius Principatum defendere, quo ad liberam rei sacrae in toto terrarum orbe procurationem exercendam Divina Providentia Romanos Pontifices donavit, illumque integrum et inviolatum Pontificibus successoribus transmittere, ***pag.*** 160.

II. Romanus Pontifex non potest aliis cedere Pontificias ditiones, quin aliena cedat, quin iuramentum violet, et in praesenti rerum conditione, quin infirmet aliorum Principum iura, et quin perniciosissima quaedam principia admittat, ***pag.*** 163.

III. SSmus D. N. declaravit, Eius mentem, propositum, voluntatem esse, omnia S. Sedis dominia eiusdemque iura integra, intacta, inviolata retinere atque ad Eius Successores transmittere, ***pag.*** 143.

IV. Item quamcumque eorum usurpationem tam modo quam antea factam, iniustam, violentam, nullam irritamque esse declaravit, omniaque perduellium et invasorum acta, sive quae hactenus gesta sunt, sive quae forsitan in posterum gerentur ad praedictam usurpationem quoquo modo confirmandam, ab Eo nunc pro tunc damnantur, rescinduntur, cassantur, et abrogantur, ***pag.*** 143, 160.

V. Item declaravit, usurpatores et invasores quarumcumque S. Sedis Provinciarum et quoscumque cooperatores in maiorem excommunicationem incidisse aliasque canonicas poenas, ***pag.*** 144, 160, ***et expressius p.*** 169.

VI. Item declaravit ac protestatus est coram Deo et universo Orbe catholico, se in eiusmodi captivitate versari, ut su-

premam pastoralem auctoritatem tuto, expedite ac libere minima exercere possit, ***pag.*** 148.

VII. Item declaravit, se paratum esse aspera quaeque et acerba perpeti, ac vel ipsam animam ponere, antequam Dei, Ecclesiae ac iustitiae causam ullo modo deserat, ***pag.*** 164, 157.

VIII. Iterum palam aperteque edixit ac declaravit « Nos me-
» mores officii **Nostri** et solemnis iurisiurandi quo tenemur,
» nulli umquam conciliationi assentiri vel assensum praestitu-
» ros, quae ullo modo iura nostra atque adeo Dei et Sanctae
«Sedis destruat vel imminuat: itidemque profitemur Nos pa-
» ratos quidem divinae gratiae auxilio , gravi Nostra aetate,
» usque ad -faecem pro Christi Ecclesia calicem bibere, quem
» Ipse prior bibere pro eadem dignatus est, numquam commis-
» suros, ut iniquis postulationibus, quae Nobis offeruntur, adhae-
» reamus atque obsecundemus, » ***pag.*** 143 ***et*** 144.

PROPOSITIONES CATHOLICAE SPEI

I. « Certi sumus, divinis suis promissis non defuturam Eum,
» qui, faciens mirabilia, ostendet aliquando, tantam tempestatem
» non ad Ecclesiae navem demergendam, sed ad eam altius at-
» tollendam fuisse excitatam, » ***pag.*** 185.

II. « Ipse ***(Deus)*** est, qui charitatis vinculo inter se, et cum
» hoc catholicae veritatis et unitatis centro coniungit Sacrorum
» christiani orbis Antistites. . . Ipse super omnes catholicas gen-
» tes effundit spiritum precum, et acatholicis aequitatis sensum
» inspirat, ut rectum de hodiernis eventibus ferant iudicium.
» Haec autem tam mira in universo catholico orbe precum con-
» sensio, tamque unanimes erga Nos amoris significationes, tot
» sane variisque modis expressae (quod in anteactis aetatibus
» haud facile queat inveniri) manifestissime ostendunt, quemad-
» modum hominibus recte animatis opus omnino sit tendere ad
» hanc Beatissimi Principis Apostolorum cathedram, lucem ter-
p rarum orbis, » ***pag.*** 180.

EX S. CONGREGATIONE SS. RITUUM.

DECRETUM PUBLICATUM DIE 8 DECEMBRIS 1870 IN PATRIARCHALIBUS URBIS BASILICIS INTER MISSARUM SOLEMNIA, QUO SANCTUS IOSEPHUS CATHOLICAE ECCLESIAE PATRONUS DECLARATUR.

DECRETUM URBIS ET ORBIS.

« Quemadmodum Deus Iosephum illum, a Iacob Patriarcha progeni tum, praepositum constituerat universae terrae Aegypti ut populo frumenta servaret, ita, temporum plenitudine adventante, cum Filium suum Unigenitum mundi Salvatorem in terram missurus esset, alium selegit Iosephum, cuius ille primus typum gesserat, quemque fecit Dominum et Principem domus ac possessionis suae, principaliumque thesaurorum suorum custodem elegit. Siquidem desponsatam sibi habuit Immaculatam Virginem Mariam, ex qua de Spiritu Sancto natus est Dominus Noster Iesus Christus, qui apud homines putari dignatus est filius loseph, illique subditus fuit. Et quem tot reges ac prophetae videre exoptaverant, iste Ioseph non tantum vidit, sed cum eo conversatus, eumque paterno affectu complexus deosculatusque est; necnon solertissime nutrivit, quem populus fidelis uti panem de coelo descensum sumeret ad vitam aeternam consequendam. Ob sublimem hanc dignitatem, quam Deus fidelissimo huic servo suo contulit, semper Beatissimum Iosephum, post Deiparam Virginem eius Sponsam, Ecclesia summo honore ac laudibus prosequuta est eiusdemque interventum in rebus anxiis imploravit. Verum, cum tristissimis hisce temporibus Ecclesia ipsa ab hostibus undique insectata, adeo gravioribus opprimetur calamitatibus, ut impii homines portas inferi adversus eam tandem praevalere autumarent, ideò Venerabiles universi Orbis Catholici Sacrorum Antistites suas ac Christifidelium eorum curae concreditorum preces Summo Pontifici porrexerint, quibus petebant, ut Sanctum Iosephum Catto»-

licae Ecclesiae Patronum constituere dignaretur. Deinde, cum in Sacra Oecumenica Synodo Vaticana easdem postulationes et vota enixius rénovassent, Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX nuperrima ac luctuosa rerum conditione commotus, ut potentissimo Sancti Patriarchae Iosephi patrocinio Se ac Fideles omnes committeret, Sacrorum Antistitum votis satisfacere voluit, eumque CATHOLICAE ECCLESJAE PATRONUM solemniter declaravit; illiusque festum die decimanona Martii occurrens, in posterum sub ritu duplici primae classis, attamen sine octava ratione Quadragesimae, celebrari mandavit. Disposuit insuper ut, hac die Deiparae Virgini Immaculatae ac castissimi Iosephi Sponsae sacra, huiusmodi declaratio per praesens Sacrorum Rituum Congregationis Decretum publici iuris fieret. Contrariis non obstantibus quibuscumque.*

Die viii Decembris MDCCCLXX.

C. Episc. Oslien. et Velitern. Card. PATRIZI S. R. C. Praef.

Loco gg Signi

Dominicus Bartolini S. R. C. Secretarius.

EPISTOLA CIRCULARIS

AD SACRORUM ANTISTITES EADEM DIE DATA, QUA PUBLICO CULTUI PROSPICITUR, QUI CONGRUE RESPONDEAT NOVO TITULO EIDEM PATRIARCHAE IOSEPHO TRIBUTO.

Riñe Domine

« Sanctissimus Dominus Noster Pius PAPA IX, satisfacere volens postulationibus omnium ferme Sacrorum Antistitum in Oecumenica etiam Vaticana Synodo manifestatis, Sanctum Patriarcham Iosephum Deiparae Virginis Sponsum declaravit Ecclesiae Catholicae Patronum, ut ipsa, in miserrima hac temporum angustia plurimis exagitata calamitatibus, illius patrocinio, destructio tandem adversitatibus ac erroribus universis, secura Deo serviat libertate. Etsi autem Sanctissimus idem Dominus praefati Sancti Iosephi natale Festum die xix Martii occurrens sub ritu duplici primae classis in posterum celebrari mandaverit, tamen a

redintegrando in eodem Festo duplici praecepto sese abstinuit **(1),** voluitque, ut, per praesentes Sacrorum Rituum Congregationis Litteras, significaretur Locorum Ordinariis, Se libenter eorum vo-

it) Expedit heic recolere universalem Constitutionem Urbani VIII editam die 13 Septembris 1642, quae incipit, *Universa per Orbem:* in ea Constitutione ille Pontifex ad confusionem exortam in multis dioecesibus ex multiplicitate festorum abolendam haec constituit: « A*postolica Auctoritate decernimus et declaramus, infrascriptos dumtaxat dies pro festis ex praecepto colendos esse, quos nempe vel ab initio veneranda sacravit antiquitas, vel universalis Ecclesiae probavit consuetudo, vel omnium gentium unanimis pietas veneratur; Dominicos scilicet dies totius anni, Nativitatis D. N. Iesu Christi, Circumcisionis, Epiphaniae, Resurrectionis cum duabus sequentibus feriis, Ascensionis, Pentecostes cum duabus pariter sequentibus feriis, Sanctissimae Trinitatis, solemnitatis Corporis Christi et Inventionis Sanctae Crucis, necnon festivitatum Purificationis, Annuncialionis, Assumptionis et Nativitatis Deiparae Virginis, Dedicationis S.Michaelis Archangeli, Nativitatis S. Ioannis Baptistae, Ss. Petri et Pauli, S. Andreae, S. Iacobi, S. Ioannis, S. Thomae, Ss. Philippi et Iacobi, S. Bartholomaei,* S. *Matthaei, Ss. Simonis et Iudae et S. Mathiae Christi Domini Apostolorum, item S. Stephani protomartyris, Ss. Innocentium, S. Laurentii martyris, S. Silvestri Papae et Confessoris, S. Iosephi etiam Confessoris et S. Annae Deiparae respective sponsi ac genitricis, solemnitatis Omnium Sanctorum atque unius ex principalioribus patronis in quocumque regno, si provincia et alterius pariter principalioris in quacumque civitate oppido vel pago, ubi hos patronos haberi et venerari contigerit.*

» *Ad reliquorum vero dierum observantiam, quos hactenus sive in universa Ecclesia, sive in quavis natione aut regno, provincia, dioecesi aut loco, quomodocumque, sive ex consuetudine, sive ex devotione christifideles tamquam festivos celebrarunt, nequaquam ex praecepto ipsos teneri, dicta auctoritate, tenore praesentium, perpetuo etiam decernimus et declaramus. Ne autem dies festos a locorum Ordinariis nimia aliquorum facultate aut populorum importunitate deinceps iterum multiplicari contingat, eosdem Ordinarios in Domino monemus, ut ad ecclesiasticam ubique servandam aequalitatem de caetero perpetuis futuris temporibus ab indictione sub praecepto novorum festorum studeant abstinere. Ut vero ea, quae superius expressa sunt ferventiori qua decet veneratione ac devotione colantur, eisdem Ordinariis antiquiorum canonum observantiam ad memoriam revocamus in concedendis licentiis Iaborandi diebus festis; quae quidem licentiae non aliter quam ad formam praedictorum canonum, ut praemittilur, concedendae, nonnisi gratis, libere et sine ullo prorsus pretio aut pacto, directe vel indirecte, concedantur, sub plenis etiam gravioribus nostro successorumque nostrorum arbitrio infligendis. Non intendimus tamen per hanc nostram Constitutionem dies feriatos circa iudicialia in aliquo immutare, qaos ad hunc effectum relinquimus in eisdem statu et terminis, in quibus erant ante eiusdem promulgationem.»*

At vero Festo S. Iosephi, quod ex adducta Constitutione universale erat de praecepto, contigit, quod et aliis similibus festis. Namque sive per petitiones vel ordinationes ut populus conformaretur cum novis civilibus Regnorum

tis esse satisfacturum si Ordinarii ipsi, inspectis Locorum ac Temporum nec non respectivi Gubernii voluntate, ita in Domino expedire iudicantes, supplicia vota sua huic Sanctae Sedi Apostolicae porrexerint ad redintegrationem in huiusmodi Festo utriusque praecepti.

» Interim ut amplitudo Tua diu felix et incolumis evadat ex animo adprecor.

» Ex Secretaria Sacrorum Rituum Congregationis hac die 8 Decembris 1870.»

Uti Frater

C. Episc. Ostien. et Velitern. **CARD. PATRIZI** S. R. C. Praef.
Dominicus Bartolini S. R. C. ***Secretarius.***

legibus, cum lege Ecclesiae **non** congruentibus; sive per importunas petitiones eorum, qui respublicas administrantes torvis oculis publicum Dei cultum conspicerent, eundemque tamquam **in** populorum damnum traducerent; sive ob alias causas, Sancta Sedes ultimis hisce saeculis, auctoritate sua emissa, indulgere coacta est variis in regionibus vel etiam in toto orbe cessationem praecepti pro aliquibus universalibus festis.

Expedit quoque generale Decretum afferre C. SS. RR. de Patronis caelestibus eligendis, quod adhuc **in** vigore est, quodque latum est tempore urbani VIII, quo tempore S. Sedes non cogebatur indulgere cessationem praecepti, sed e converso refraenare eorundem festorum multiplicitatem. Decretum ita se habet: « S. R. Congregatio, annuente SSmo » *(Urbano VH1),* quoad Patronos loco- » rum **in** posterum eligendos hunc or- » dinem servari mandavit:

» 1° Quod eligi possint in Patronos «ii solum, qui ab Ecclesia universali » titulo Sanctorum coluntur, non autem «Beatificati dumtaxat.

» *t* Quod de Patrono civitatis electio «fieri debeat a populo mediante consi- V lio generali illius civitatis vel loci, » non autem ab Officialibus solum ; et » quod accedere debeat consensus ex- » pressus Episcopi et Cleri illius civili - » tis. Idemque servari debeat in Patrono » Regni, qui pariter eligi debeat a po- » pulo singularum civitatum provinciae, » non autem a repraesentantibus Re- » gnum, nisi ad hoc habeant speciale » mandatum et pariter cum consensu «Episcopi et Cleri dictarum civitatum.

» 3* Quod causae electionis novorum » Patronorum debeant in S. R. C. deduci » ac examinari ; ac demum, causa eo- » gnita, ab eadem Congregatione appro- » bari et confirmari.

» Et ne praemissorum ignorantia ullo » unquam tempore possit allegari, eadem » S. Congregatio praedictum Decretum » imprimi mandavit. Die 23 Martii 1630.»

Haec est methodus et ordo servandus (saltem quoad substantiam) pro eligendis novis caelestibus Patronis, firma nihilominus posteriori Constitutione Urbani VIII, quam exposui. Puto autem, quod si eadem methodus et ordo potuisset quoque servari, quando de inducenda reductione dierum festorum bis postremis saeculis actum est, forte pauci dies festi de praecepto fuissent inter christianos populos abrogati.

EX S, CONGREGATIONE INDULGENTIARUM.

DECRETUM URBIS ET ORBIS.

Ex audientia Sanctissimi die 6 Octobris 1870.

« Inter ceteras conditiones, quae in adimplendis operibus iniunctis pro acquisitione Indulgentiarum servari debent, ea est ut eadem fiant intra tempus in concessionibus praefinitum. Ut vero Christifideles facilius ad eas lucrandas excitarentur, pluries haec Sac. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, approbantibus Summis Pontiiicibus, quoad praescriptam Confessionem et Communionem, vel benigna interpretatione vel indultis hac in re providendum existimavit.

» Hinc per Decretum diei 19 Maii 1759 statuit: ***Confessionem suffragari si expleatur etiam in pervigilio festivitatis pro qua concessa est Indulgentia;*** et item per Decretum diei 12 Iunii 1822 declaravit: ***Communionem peragi posse in vigilia festivitatis.***

» Etsi vero haec indulta nullum dubitandi locum relinquerent circa eas Indulgentias, quae pro festivitatibus proprie dictis conceduntur, incipientibus nempe a primis vesperis usque ad occasum solis eiusdem diei festi; ita ut liberum sit Fideli vel in ipso die festo Confiteri, et sacra Synaxi refici, plures tamen exinde dubitationes obortae fuerunt, an idem dicendum foret de aliis Indulgentiis spatio unius diei lucrandis, et ab initio diei naturalis incipientibus, quae videlicet concederentur non ratione festivitatis occurrentis, sed alia qualibet ex causa; quemadmodum usuvenire solet pro sextis feriis mensis Martii, diebus dominicis festum S. Aloisii praecedentibus, oratione quadraginta horarum aliisque casibus similibus quibuscumque.

» Itaque SSmus Dominus Noster Pius PP. IX in audientia habita ab infrascripto Cardinali Praefecto eiusdem Sac. Congregationis die 6 Octobris 1870 ad removendam omnem dubitandi rationem et ad commodius reddendum Confessionis et Communionis adim-

plementum benigne declarari et decerni mandavit, prout hoc Decreto declaratur atque decernitur: ***tum Confessionem dumtaxat, tum Confessionem et Communionem peragi posse die, qui immediate praecedit sequentem pro quo concessa fuerit lndidgentia quaelibet, non solum ratione festivitatis occurrentis iuxta allata Decreta, verum etiam quacumque alia ex causa, vel devotionis, vel pii exercitii, aut solemnitatis, uti esset pro memoratis et ceteris huiusmodi diebus, pro quibus Indulgentia cum conditione Confessionis et Communionis concessa iam fuerit, vel in posterum concedatur, licet tempus ad eam adquirendam ab initio diei naturalis et non a primis vesperis sit computandum; servata tamen in adimplendis aliis operibus iniunctis regula generali circa modum et tempus in concessionibus praescriptum.***

» Voluitque Sanctitas Sua nihil innovatum censeri quoad Decretum diei 9 Decembris 1763 favore Christifidelium, qui laudabili consuetudine utuntur confitendi semel saltem in hebdomada cum privilegiis, conditionibus et restrictivis ibidem recensitis (1). Contrariis quibuscumque non obstantibus.

» Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 6 Octobris 1870.»

A. Card. BIZZARRI Praefectus
A. Colombo Secretarius.

(1) In allegato Decreto continetur privilegium illis omnibus concessum, qui semel saltem in hebdomada, si legitime non impediantur, peccata sacramentaliter confitentur: non est enim his necessarium ad consequendas indulgentias de quibus agimus, ut confiteantur peccata Sua sive in pervigilio sive die ipsa festivitatis. Decretum est sequentis tenoris.

« Quum S. Congregatio indulgentiis » et s. Reliquiis praeposita die 31 roen» sis Martii anno 1759 fuerit in voto, » Confessionem Sacramentalem, quando » in Brevibus apponitur pro indulgentiae «consecutione, peragi omnino debere » etiam ab iis, qui sibi letalis peccati «conscii non sunt, nec non praefatam «Confessionem suffragari etiam posse, » si in Vigilia Festivitatis expleatur, Vo» tumque S. Congregationis SSEius D. N. » Clemens PP. XIII benigne approbave» rit, illudque typis publicari sub datum » 19 Maii praedicti anni mandaverit ; » quamplures supplices libelli tum Re» gularium Communitatum et praesertim » Monialium, tum etiam Parochorum et «nonnullorum Episcoporum pro suis » dioecesibus porrecti sunt, quibus ma» xima exponebatur difficultas, quae in» terdum, immo persaepe accidit pío » Sacramentali Confessione sive in Festo » vel ad minus in Vigilia peragenda. >: Quamobrem, ut adeo proficuus lndul» gentiarum thesaurus reddatur fidelibus » accommode comparandus, enixis preci» bus supplicabant, ut opportuno aliquo

EX S. CONGREGATIONE INDICIS.

DECRETUM. — Feria III. die 6 Septembris 1870.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPA IX *sanctaque Sede Apostolica Indici Librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano, die 6 Septembris 4810, damnavit et damnat, proscripsil, proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat Opera quae sequuntur:*

La figlia di Maria, Bozzetto Sociale di Tito Strocchi; Lucca, tipografia Bertini condotta da G. Maionchi, 1869.

Cenni Biografici del Dottore Ferdinando Baccalari; Bologna, Società tipografica de'Compositori, 1869. ***(Misceli,*** in 8°dip. 60.)

» remedio de Apostolica benignitate pro- » videre dignaretur: quibus precibus ad » praedictam S. Congregationem remis- » sis, propositum in ea fuit dubium:

» An et quomodo sit consulendum » SSmo super praefati Decreti exsecutione vel declaratione in casu.» Et responsum fuit:

« Consulendum SSmo D. N. ut con- » cedere dignetur Indultum omnibus Chri- » stifidelibus, qui frequenti peccatorum » confessione animum studentes expiare, » semel saltem in hebdomada ad Sacra- **ri** *mentum Poenitentiae accedere, nisi le- »gitime impediantur, consueverunt, et » nullius letalis culpae a se post prae- » dictam ultimam Confessionem commis-* **it** *sae sibi conscii sunt, ut omnes et quas- » cumque Indulgentias consequi possint, » eliam sine actuali Confessione, quae ». coeteroquin iuxta praefati Decreti de- » finitionem ad eas lucrandas necessaria » esset. Nihil tamen innovando circa » Indulgentias Iubilaei, tam ordinarii » quam extraordinarii aliasque ad instar* **y** *Iubilaei concessas, pro quibus assequen- » dis, sicut et alia opera iniuncta, ita » et sacramentalis Confessio tempore in » earum concessione praescripto per- » aguntur.*

» Et facta per me infrascriptum eius- »dem S. C. Secretarium de praemissis » omnibus SSmo D. N. relatione, Sancti- » tas Sua piis bonorum desideriis ac vo- » tis satisfacere, et Indulgentiarum gra- » tias iis potissimum, qui pie sancteque » vivendo, donis Divinae Misericordiae » digniores efficiuntur , elargiri quam » maxime cupiens, benigne annuit, et • praefatum Indultum in forma supra- » scripta expediri et publicari mandavit; » quibuscumque in contrarium facienti- » bus non obstantibus.

» Datum ex Secretaria S. Gongrega- » lionis Indulgentiarum die 9 Decem- » bris 1763.»

Saggi filosofici di Antonio Lonigo, 2ª ediz. - e ***Poesie varie inedite*** dello stesso Autore; Firenze, co'tipi de'successori Le Monnier 1869.

Itinerario di Dante Alighieri per Enrico Croce, 1869, dalle stampe de'Sodalizi Pitagorici ***«La Scuola Italica»*** in Livorno.

La Scienza della Ragione per Stefanoni Luigi, Milano, Francesco Pagnoni, tipografo editore, 1862. ***Decreto S. Officii, Feria IV die*** 12 ***Ianuarii*** 1870.

La Rivelazione della Ragione, Trattato fisiologico popolare di Padre Pietro da Milano o Pedra Pietro; Milano, tipog. del libero pensiero di Gareffi Francesco - et: a Ginevra, tipog. Razionalista di Ducommun e Como, 1866. ***- Decreto S. Officii, Feria V die*** 17 ***Februarii*** 1870.

Le Psicopatie contagiose, Saggio nosologico del Dott. Bianco Giuseppe di Fossano, Torino, 1869, Stamperia della Gazzetta del Popolo. - ***Decreto S. Officii, Feria IV die*** 15 ***Iunii*** 1870.

Alleanza Monteislica Universale (cum appendice seorsum edita, p. 14); Firenze, Società editrice fiorentina, 1870 - et: Livorno, Tipografia « ***La Scuola Italica.))***

Annuaire de l'Institut Canadien pour 1869, Montréal, Louis Perraut, 1870. - ***Decreto S. Officii, Feria IVdiedi Augusti*** 1870.

O Papa-Rei e o Concilio por Manuel Numes Gì raides etc. - id est, ***il Papa-Re e il Concilio*** per Emanuele Nunes Giraldes, Professore sostituto ordinario delle cattedre di diritto politico e di diritto ecclesiastico nell'Università di Coimbra; Lisbona, Tipografia Universale 1870.

Die Theologie des Leibnitz aus sämmtlichen gedrukten und vielen noch ungerdruckten Quellen, mit besonderer Rücksicht auf die kirchlichen Zustände der Gegenwart, zum ersten Male vollständig dargestellt von Dr. A Pichler Oberbibliothecar etc. Zweiter Theil. Latine vero: ***Theologia Leibnitii ex universis editis, multisque nondum editis fontibus, cum speciali respectu ad ecclesiastica huius temporis adiuncta, nunc primum integra exposita*** a Dre A. Pichler, Praefecto Bibliothecae publicae imperialis Petropoli ac socio correspondente Monacensis Scientiarum Academiae. Pars Secunda, 1870, Monachii.

Die wahren Hindernisse unde die Grundbedingungen einer durchgreifenden Reform der katholischen Kirche, zunächst in Deut-

schiatta von Dr. A. Pichler etc.-Latine vero; ***Vera impedimenta et conditiones fundamentales integrae reformationis ecclesiae catholicae, in primis in Germania,*** expensa a Dre A. Pichler Praefecto Bibliothecae publicae imperialis Petropoli, et Socio Academiae Scientiarum Monacensis, Lipsiae 1870.

Auctor operis prohibiti Decreto S. Officii, Feria IV die 17 Ianuarii 1866, cui titulus: ***Problemi fondamentali di Teologia Cristiana*** per Mariano Maresca, ***ipsum plene reprobavit, et humiliter se subiecit.***

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere, vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisiioribus ea tradere teneatur, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis (1).

Quibus **SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPAE** IX. *per infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis,* **SANCTITAS SUA** *Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.*

Datum Romae die ***6*** *Septembris 4870.*

ANTONINUS **Card.** DE LUCA **Praefectus**

Loco. f Sigilli.

FR. VINCENTIUS MARIA GATTI ORD. PRAED.
S. IND. CONGR. A SECRETIS.

EX S. CONGREGATIONE S. It. U. INQUISITIONIS.

Aliquot abhinc annis agitata fuit in celebri Universitate catholica Lovaniensi, non mediocri animorum contentione, quaestio de vi nativa humanae rationis, propugnantibus nonnullis Professoribus necessitatem ***absolutam*** aliqualis institutionis externae, ea de causa ut ratio, per hanc ipsam externam institutionem tamquam per ***conditionem, sine qua non,*** sufficienter evoluta, ad

(1) **De hac clausula commodius loquemur in aliqua Appendice.**

cognitionem veritatum ordinis moralis pervenire possit: item aliae similes quaestiones quae affinitatem simul habent cum Traditio« nalismo et Ontologismo.

Iudicium de hac doctrina Sanctae Sedi fuit delatum, atque documentorum seriem Lectoribus nostris dedimus in *Vol. HI pag.* 206 *et seqq.* item *pag.* 283 *et seqq.* Responsa, quae iterum iterumque prodierunt, fuisse, eiusmodi similesque doctrinas esse a scholis catholicis amandandas et sine periculo tradi non posse, ut ibidem videre est.

Verum, occasione promulgationis secundae Constitutionis Apostolicae Sacri Concilii Oecumenici Vaticani, quae incipit *Dei Filius,* in qua licet Traditionalistarum error damnetur, doctrina tamen de necessitate aliqualis institutionis pro rationis humanae evolutione directe vel explicite non videtur attingi, quaesitum est, num iam haec doctrina libere inter Doctores catholicos controverti possit. Quod quum aliqui Lovanienses Professores tuerentur, res iterum ad S. Sedem delata est, causaque cognita per S. R. E. Cardinales Inquisitores Generales, Emus Card. Patrizi de mandato SSmi D. N. ad puritatem catholicae doctrinae servandam, datis litteris ad singulos in Belgio Sacrorum Antistites die 7 Augusti 1870, his verbis rescripsit:

« Per memoratam Constitutionem synodalem, praesertim per » monitum ad eiusdem calcem relatum (1), nedum haud infirmari » vel moderari, quin imo novo adiecto robore confirmari Decreta » omnia utriusque S. Congregationis S. Officii et indicis hac de » re edita, illudque potissimum, quod litteris meis ad singulos » iri Belgio Episcopos die 2 Martii 1866 datis continetur (2). »

(i) Constitutionem Vaticanam tertiae Sessionis habes in *Vol. V pag. ¿60:* monitum autem quo haec Constitutio clauditur his verbis est expressum : « Quoptam vero satis non est, haereticam » pravitatem devitare, nisi ii quoque errores diligenter fugiantur, qui ad illam »plus minusve accedunt; omnes officii » monemus, servandi etiam Constitutiones et Decreta, quibus pravae eiusmodi » opiniones, quae istic diserte non enumerantur, ab hac Sancta Sede proscri»ptae et prohibitae sunt.»

(2) Has literas habes in *Vol.IIlp.2*/5 *et seqq.*

EX AEDIBUS VATICANIS.

DOCUMENTA DIPLOMATICA

PUBLICI IURIS FACTA DE REBUS QUAE VIOLENTAE URBIS CAPTIONI DIE XX SEPTEMB. AN. MDCCCLXX PATRATAE SUPERVENERUNT.

Hoc documento, ad Nuntios Pontificios apud exteras Nationes dato die 18 Octobris 1870, inter cetera deteguntur fraudes, quibus Italicum Gubernium insinuare studuit ceteris Guberniis, inceptas iampridem esse amicas tractationes inter se et Apostolicam Sedem de cessatione civilis Status eiusdem Sedis, plena Catholicae Ecclesiae libertate servata.

Rimo e Rmo Signore

DOCUMENTUM. « Una circolare dei 29 Agosto scorso, diretta dal Governo Italiano ai suoi rappresentanti all'estero, portava annesso uno stampato, che mi fu confidenzialmente comunicato, e di cui una copia manoscrittta è rimasta fra le mie mani in seguito ad una circostanza affatto accidentale. In questo documento si fa la storia delle trattative che si pretende fossero aperte tra il Governo di Firenze e quello di Francia da una parte, e fra il Governo di Firenze e la Santa Sede dall'altra, relativamente a ciò che si è convenuto di chiamare la ***questione mmana.***

Ulme et Rme Domine

VERSIO. ***Litteris ab Italico Gubernio die vicesimanona mensis Augusti datis negotiorum Gestoribus apud exteras Nationes, adnexum conspiciebatur certum quoddam Scriptum typis excusum, quod peramice mihi exhibitum est, et cuius manuscriptum exemplar penes me exstat ob fortuitum prorsus eventum. In hoc documento historia texitur eorum, quae ex una parte Florentinum inter et Gallicum Gubernium, ex altera vero inter Florentinum regnum et Sanctam Sedem acta praesumuntur quoad*** Romanam, ***quam vocant,*** quaestionem.

» Sprovvisto di ogni dato preciso e formale rispetto ai pretesi negoziati aperti colla Francia, non saprei stabilire ciò che può essere accaduto, sotto questo riguardo, ai due Gabinetti di Parigi e di Firenze, nè quale fiducia possano meritare le diverse asserzioni dello stampato di cui si tratta, nè quale ordine d'idee abbia presieduto alle proposizioni scambiate tra i due Governi. Tuttavia io non potrei risolvermi a credere che S. M. l'Imperatore dei Francesi e il suo Governo abbiano tenuto la condotta che loro è attribuita. In quella che il loro esercito proteggeva i diritti della Santa Sede e impediva la spogliazione completa del Santo Padre, mentre che essi protestavano la loro sollecitudine per la causa del Sovrano Pontefice e dichiaravano altamente alla Francia e al mondo cattolico che erano fermamente decisi a difendere soli, verso e contro tutti, il potere temporale della Santa Sede, si pretende che essi avrebbero nello stesso tempo fatto sapere a Torino che approfitterebbero della vacanza della Santa Sede o di altre eventualità prossime ed imprevedute per richiamare, senza inconvenienti, le loro truppe dai dominii pontificii; che iti-

Cerio ***quovis ac formali argumento de suppositis hisce negotiis cum Gallia initis destitutus, haud equidem valerem constituere, quid hinc accidere potuerit binis illis Guberniis Gallico ac Fioremino, nec quam mereantur fidem multiplices eiusdem Scripti, quo de agitur, affirmationes, nec quo idearum ordine confectae sint bina inter Gubernia agitatae propositiones. Verum enimvero inducere in animum nequirem, Francorum Imperatorem eiusque Gubernium eam agendi rationem sequutos fuisse, quae ipsis tribuitur. Dum ipsorum exercitus iura Sanctae Sedis tuebatur, ac reliquam Sanctissimi Patris exspoliationem praepediebat; dum suam ipsi sollicitudinem pro Summi Pontificis causa profitebantur, Galliaeque atque adeo universo catholico orbi palam declarabant, paratos se certosque esse, temporale Sanctae Sedis dominium solos adversus omnes propugnare; praesumitur, ipsos eodem tempore Subalpinum Regem certiorem reddidisse, nacturos se vacationis Sanctae Sedis, aut alterius cuiuslibet proximi ac inopinati eventus occasionem, ut e Pontificiis ditionibus sine ulla difficultatis specie exercitum revocarent: debere interim Italiam suas cum Roma relationes servare,***

tanto l'Italia doveva tenere aperte le sue pratiche con Roma, affine di far cadere tutti i torti sul Santo Padre; che si doveva assicurare la tranquillità nel reame di Napoli, ed agire sull'opinione pubblica, e che il Governo francese non cesserebbe di preoccuparsi della questione di Roma in un senso affatto benevolo ed amico per l'Italia.

» Quand' anche mancasse ogni altro argomento estrinseco, basterebbe, per confermarmi in questa opinione, un fatto che è di notorietà pubblica; ed è che il Governo Imperiale rifiutò risolutamente di sottomettere all'approvazione, della Santa Sede il famoso progetto elaborato dal barone Ricasoli. Un altro fatto egualmente significante è che il Governo imperiale si oppose, colla nuova spedizione del 1867, all' invasione garibaldina, che era provocata, favorita e sostenuta dal Governo di Firenze; esso dichiarò persino solennemente dall'alto della tribuna, per ordine del signor Rouher, che ***giammai*** l'Italia avrebbe ad impadronirsi di Roma e dei dominii lasciati al Santo Padre sotto la protezione della bandiera della Francia. Io credo adunque che il primo e

ut omnis in Beatissimum Patrem culpa derivaretur: firmandam esse in Neapolitano regno tranquillitatem, ac publicam opinionem captandam; Gallicum autem Gubernium animo ac studio erga Italiam perquam benevolo semper esse de Romana quaestione in posterum acturum.

Porro, quovis alio extrinseco deficiente argumento, satis mihi abunde foret pervulgatum omnibus factum, quo firmius in mea hac opinione persisterem. Imperiale siquidem Gubernium omnino recusavit, percelebrem illam rogationem a Barone Ricasoli factam approbationi Sanctae Sedis subiicere. Ipsum insuper Gubernium novissima anni 1867 ***expeditione restitit hominum perditissimorum aggressioni, quam quidem aggressionem Florentinum Gubernium excitabat, adiuvabat ac sustentabat. Ipsum tandem solemniter e suggesto per dominum Rouher declaravit, posse*** numquam ***Italiam sub Gallici vexilli praesidio Roma reliquisque Sanctissimi Patris ditionibus potiri. Puto itaque primum, ac forsan unicum bonae fidei actum, quem postremis hisce decem annis iactare possit Italia, illum fuisse, quo suum clare animum patefecit, arripiendi nempe, ut re-***

forse il solo atto di buona fede di cui l'Italia si possa vantare durante questi dieci anni, fu di confessare francamente l'intenzione di approfittare, come realmente ha fatto, della guerra tra la Francia e la Prussia per consumare *Y* iniqua spogliazione del Sovrano Pontefice. Cosi è, del resto, che essa si era prevalsa del principio di non-intervento per intraprendere le sue usurpazioni in tutta la Penisola.

» Lasciando adunque da un canto questa parte storica del documento precitato, voglio qui occuparmi dell'altra parte, relativa ai colloquii fra l'Italia e la Santa Sede. Anzitutto domanderò quali furono i negoziatori di cui si parla, in qual tempo sono arrivati a Roma, quali proposte hanno essi fatto, con chi hanno essi trattato? E siccome il principale appoggio che si dà a questi pretesi colloquii consiste in un abboccamento che avrebbe avuto luogo tra il fu Cardinale Santucci e *Y* abbate Passaglia, io posso assicurare, coi documenti originali in mano, che il Cardinale Santucci non ha mai visto nell'abbate Passaglia Un negoziatore officiale od officioso per trattare a nome del conte di Cavour, e

apse praestitit, occasionem belli Galliam inter ac Borussiam flagrantis, ut iniquissimam omnium Supremi Pontificis exspoliationem consummaret. Atque hac quidem ratione usa erat principio illo (ut aiunt) de Non-interventu, ad suas in tota Península usurpationes peragendas.

Ut itaque historicam hanc praedicti documenti partem omittant, in altera hic, quae colloquia Italiam inter et Sanctam Sedem respicit, potius insistam. Haec autem imprimis sciscitabor: ecquinam fuerunt negotiorum gestores, de quibus fit sermo ? quonam tempore Romam pervenerunt? quasnam proposuere conditiones? quibuscum egerunt ? Et quoniam praecipuum, cui praetensa haec colloquia innitantur, fundamentum in colloquio quodam a defuncto Cardinali Santucci cum Presbytero Passaglia habito consistit, authenticis ego documentis possum comprobare, Cardinalem Santucci numquam Presbyterum Passaglia tamquam officialem vel officiosum negotiorum gestorem a Comite Cavour missum respexisse, nec se talem Presbyterum ipsum gessisse; sed in iis sermonis limitibus utrumque sese continuisse, qui homines decent ad invicem colloquentes. Cete-

che l'abbate Passaglia non s'è mai dato come tale; ma **sì** l'uno come l'altro si sono limitati ad uno scambio di idee quale può aver luogo fra due persone che si conoscono. È falso del resto che il Cardinale siasi impegnato a sottomettere o che abbia sottomesso al Santo Padre un progetto di conciliazione sulla base della piena libertà della Chiesa e della completa cessazione del potere temporale. È ancor più falso che Sua Santità sia stata colpita e convinta della saviezza di queste proposte, considerandole ancora come una concessione ed un benefìzio per parte del Governo di Torino. In seguito a questa esposizione di fatti, il Santo Padre avrebbe dunque riguardata come migliore e più accettabile questa spogliazione completa de'suoi dominii, che il progetto già prima respinto di confidare al Re Vittorio Emmanuele il Vicariato delle Romagne, sulle quali sarebbesi riservato al Santo Padre un simulacro di sovranità.

» L dunque una pretta invenzione quanto si aggiunge relativamente allo scioglimento del giuramento imposto ai Cardinali, e da cui il Santucci ed io saremmo stati sciolti da Sua Santità,

rum falsum est, Cardinalem subiicere spopondisse, vel reapse súbiecisse Summo Pontifici conditiones quasdam conciliationis, quae quidem omnimodae Ecclesiae libertati, ac perfectae potestatis temporalis abolitioni innilebanlur. Falsum quoque illud est, Beatissimum Patrem earum conditionum sapientia perculsum convictumque exstitisse, immo eas tamquam Subalpini Gubernii largitionem indulgentiamque recepisse. Ex hac itaque rerum expositione Pontifex Summus absolutam hanc propriarum ditionum exspoliationem meliorem atque acceptabiliorem existimasset, quam consilium iam antea reiectum , Aemiliae Vicariatum regi Victorio Emmanueli tradendi, in quam tamen potestatis simulacrum Pontifex ipse retinuisset.

Merum igitur mendacium est, quod de absolutione a sacramento Cardinalibus imposito additur, et cuius vinculo SSmus Pater Cardinalem Santucci meque liberasset, ut de temporalis potestatis exstinctione ex praeiactis fundamentis agere possemus. Istiusmodi facta tantum exponere nihil est aliud, quam illorum impossibilitatem evincere. Neque officialis huius Scripti auctorem sequar in even-r

affine di poter intraprendere, sulle basi indicate, negoziati per la cessazione del potere temporale. Enunziare questi fatti è dimostrarne T impossibilità. Così pure non seguirò l'autore di questo racconto uffiziale nell'esposizione delle fasi per cui fa passare questi negoziati tra me e gli intermediarii italiani. Tutta questa storia sembra non avere altro fondamento che un opuscolo pubblicato tempo fa da un certo abbate Isaia, che era in relazione col fu Cardinale D'Andrea, e da un certo Aguglia, avvocato siciliano, che erasi recato in Roma per aggiustare alcune difficoltà insorte nel Regno di Napoli circa l'Ordine Costantiniano.

» Se tuttavia si vuole apprezzare la veracità di questi personaggi e la natura dei colloquii che io ebbi con loro, non si ha che a consultare l'articolo del ***Giornale di Roma,*** dal quale furono categoricamente smentite le loro impudenti calunnie. Oggi io m'appello semplicemente alle parole stesse del documento di cui mi occupo. Ora questo dice che il 5 Aprile 1861 io dichiarai che la Santa Sede, sempre rassegnata a subire la violenza, non consentirebbe mai a trattare coli' Italia; che la questione del po-

ìuum expositione, quos negotiis hisce inter me et itálicos séquestres gestis attribuit. Tota haec historia nullam aliam videtur basim praeseferre, quam opusculum haud ita pridem a quodam Isaia presbytero editum, qui cum defuncto Cardinali d'Andrea commercium habebat, et a quodam Aguglia, advocato Siculo, qui Romam petierat ad nonnullas in Neapolitano regno exortas difficultates circa Ordinem Constanlinianurn componendas.

Quod si de hominum istorum veritate, deque colloquiorum natura, quae cum iis habui, sententia ferri velit, Romanarum Ephemeridum ***articulus consulatur, in quo impudentes illorum calumniae mendacii nota singillatim inuslae sunt. Verba tantum documenti, de quo agimus, impraesentiarum proferam. Iamvero in eo legitur, me die*** 5 ***Aprilis anni*** 1861 ***declarasse, Sanctam Sedem, violentiam perpeti semper paratam, numquam cum Italia pactiones toleratur am; temporalis potestatis quaestionem ad totius catholici orbis utilitatem suapte natura pertinere; et Sanctam Sedem ex rerum eventu solutionem iuribus ac desideriis suis congruentem exspectaturam. Quod*** si> ***his non obstantibus, documentum aliquod publicum***

tere temporale si riferiva di sua natura agli interessi di tutta la cattolicità, e che la Santa Sede aspetterebbe dagli avvenimenti una soluzione conforme a'suoi diritti ed a'suoi desiderii. — Se cionondimeno si desidera un documento pubblico e solenne, il quale attesti in quale maniera la Santa Sede abbia considerata tale questione, e qual giudizio ha portato sui fatti compiuti e su quelli che minacciavasi di compire ancora a suo detrimento, come pure sui principii professati e gli atti del Governo d'Italia, citerò l'Allocuzione pronunziata dal Santo Padre nel Concistoro del 18 Marzo 1861 (1).

» Ma a che serve produrre documenti e prove incontestabili? Poiché è pubblicamente noto, che il Governo di Firenze stesso, per procurare di giustificare i suoi iniqui procedimenti, ha sempre allegata la tenacità del Santo Padre nel rifiutare d'entrare in negoziati e il ***non possumus*** opposto da Sua Santità a qualsivoglia trattativa che non tendesse a reintegrare pienamente i suoi diritti sovrani. Per altra parte non volendo che gli interessi della Chiesa avessero a soffrirne, Sua Santità non esitò punto ad espri-

ac solemne quis cupiat, quod testetur, quanam ratione Sancta Sedes quaestionem istam consideraverit, quodque tulerit iudicium de iis, quae gesta sunt, quaeque etiam in eius detrimentum timebantur ne fierent, deque principiis et actis Italici Gubernii, Allocutionem in Consistorio diei 18 ***Martii anni*** 1861 a ***Sanctissimo Patre habitam adducam.***

Sed ad quid documenta ac probationes minime controversae? Nemo quippe unus ignorat, Florentinum ipsum Gubernium ad iniquam suam agendi rationem aliquatenus excusandam, protulisse semper Beatissimi Patris tenacitatem ¿w» ***conditionibus reiiciendis, et*** Non possumus ***ab ipso oppositum cuilibet tractationi, quae plenam regalium eius iurium reintegrationem non respiceret. Ceterum, ne quid Ecclesiasticae res caperent detrimenti, Pontifex Summus minime cunctatus est declarare, velle se pactiones inire, ut nonnullis e pluribus in Italia Sedibus suo Pastore viduatis prospiceret, eo* demque tempore res alias religiosas componeret.***

(I) **Hanc Allocutionem expositam iabes in hoc** *Vol. pag.* **/75** *et seqq.*

mere il suo vivo desiderio d'aprire negoziati per provvedere di titolari alcune delle numerose sedi vescovili vacanti in Italia, e di regolare nello stesso tempo altri affari religiosi.

» I signori commendatore Vegezzi e avvocato Tonello possono far testimonianza della buona accoglienza che ricevettero qui, come della nostra sollecitudine per far quanto era possibile per raggiungere lo scopo desiderato, sicché la loro missione riuscisse a nostra soddisfazione comune. Inoltre il Santo Padre non rifiutò di permettere alle diverse Amministrazioni pontificie d'intendersi colle Amministrazioni corrispondenti di Firenze, aifinchè, con vicendevoli accordi, gli interessi degli abitanti dei due paesi limitrofi fossero favoriti quanto alle dogane, alla posta ed al telegrafo; spinse la condiscendenza fino a ribassare la tariffa doganale per l'ingresso e l'uscita dei diversi oggetti, facendo così profittare l'Italia dei vantaggi di cui godeva la Francia in virtù d'un trattato speciale di commercio.

» Ricorderò inoltre che il Governo pontificio mostrò sempre la più grande premura nel prestarsi ai servigi continui e pres-

Commendator Vegezzi et causídicas Tonello testes esse possunt tum comitatis, qua hic excepti sunt, tum nostrae sollicitudinis, quantum per nos licuit, ad optatum finem assequendum, ut ipsorum legatio communi nostra satisfactione absolveretur. Summus praeterea Pontifex minime detrectavit, variis Pontificiis Administrationibus cum Florenlinis invicem communicandi facultatem largiri, ut, mutuis pactionibus conflatis, confinium regionum incolarum commoda quoad vectigalia, publicum epistolarum cursum ac telegraphum augerentur: eo tandem est Ipsius indulgentia progressa, ut portoria quoque de mercibus vel inferendis vel exporlandis deminuerit, Italiae quoque sic impertiens emolumenta, quibus ob specialem commercii tractatum Gallia fruebatur.

Illud insuper commemorabo, Pontificium Gubernium maxima semper sollicitudine incubuisse in iis praestandis, quae Italiae nomine paene quotidie exagitabantur primo per Galliarum oratorem, dein per Lusitanicam legationem, tum ut comprehenderet atque abduceret scelestos illos homines, qui in Pontificium territorium confugissent; tum ut civilium vel criminalium tribunalium actorum

sochè quotidiani che gli erano domandati a nome dell'Italia, dapprima per mezzo dell'ambasciatore di Francia, di poi per la Legazione del Portogallo, sia per procedere all'arresto ed all'estradizione dei malfattori rifugiati sul territorio pontificio, sia per ricevere comunicazioni degli atti dei tribunali civili o criminali, sia per sollecitare la soluzione degli affari pendenti nell'interesse della giustizia, sia finalmente per rendere quei servigi numerosi e variati che esigevano la posizione e la condizione rispettiva dei due paesi.

» Tutto ciò che precede, prova ad evidenza che, se il Santo Padre, per non tradire la sua coscienza, violare i suoi giuramenti e sancire in qualche modo i principii ingiusti proclamati dal Governo di Vittorio Emmanuele, rifiutò costantemente e assolutamente di venire ad accordi conformi alle viste di questo; d'altro canto però non lasciò di fare buona accoglienza e dar seguito alle proposte e alle riforme che erano tali da migliorare le relazioni de'suoi sudditi con quelli del Regno vicino o a proteggere gli interessi della Chiesa. Queste disposizioni mostrano evidentemente che le difficoltà incontrate a Roma dal Gabinetto Italiano,

particeps fieret; tum ut rerum ad iustitiam pertinentium solutionem urgeret; tum denique ut plurima illa et varia impenderet officia , quae et situs, et mutua regionis utriusque conditio postulabant.

Quae hactenus dicta sunt, evidentissime probant, Pontificem Summum, si pactionem quamlibet ad mentem regis Viclorii Emmanuelis exhibitam constanter atque omnino respuit, ne conscientiae suae fucum faceret, iusiurandum violaret, atque iniusta prin* cipia ab eodem rege sancita ullatenus iuvaret; ex altera tamen parte numquam omisisse, consilia illa atque innovationes comiter excipere et exsecutioni mandare, quae subditorum relationes cum proximi regni civibus meliores efficerent, aut Ecclesiae utilitatem tuerentur. Istiusmodi agendi rationes luculenter ostendunt, difficultates, in quas Italici Ministri Romae incurrerunt, quaeque Summo Pontifici culpae et crimini vertuntur, ex superiori quodam idearum ordine originem ducere, non autem ex mera illa ac perridicula aemulatione, quae bina inter finitima Gubernia quandoque solet effervere, quae tamen in praesenti casu ex inexcusabilibus antece-

e di cui si fa un motivo di rimprovero e di accusa contro il Santo Padre, traevano la loro origine da un ordine di idee superiore, ma non da quell'antagonismo stretto e meschino che anima talvolta due Governi limitrofi, e che, nel caso presente, sarebbe stato pienamente giustificato da inqualificabili precedenti. Quindi ci resta confermata la convinzione che, visto lo stato di cose esistente tra i due paesi; viste le relazioni dei due Governi e l'assenza d'ogni ragione reale od anche apparente che giustifichi una invasione, ognuno deve persuadersi che le usurpazioni commesse a danno del Santo Padre e la prigionia che gli si fa subire, dopo avere bombardato la capitale stessa de' suoi Stati, rivestono un carattare -particolarmente odioso, di cui non trovasi alcun esempio nella storia del mondo incivilito. La data medesima ed il contenuto del documento a cui io rispondo mostrano quale buona fede e quali intenzioni avesse il Governo di Firenze riguardo ai dominii della Santa Sede. Questa data fa vedere che fin dal mese d'Agosto aveva già preparato ciò che doveva compiersi il 20 Settembre sotto colore di un altro pretesto.

dentibus omni prorsus culpae specie fuisset liberata. Quamobrem eo firmius in nostra persistimus sententia, rerum statu binas inter regiones exsistente inspecto, perpensis utriusque Gubernii relationibus, et reali qualibet, vel saltem umbratili ratione, quae aggressionem comprobet, deficiente, pro certo habendum, exspoliationes in Summi Pontificis detrimentum perpétralas, captivitatemque quam ferre cogitur, postquam Urbs ipsa excussis missilibus est oppugnata, exsecrabilem adeo notam praeseferre, cuius in civili historia non exstat exemplum. Dies ipsa Documento, de quo ago, adscripta, eiusque summa patefaciunt, qua fide, quoque animo Florentinum Gubernium erga dominia Sanctae Sedis ferebatur. Dies haec ostendit, Gubernium hoc iam ab elapso mense Augusto paravisse, quae die vicesima Septembris sub alia specie erant consummanda.

Quum autem putandum mihi sit, litteras ac Documentum de quo loquor. Excellentissimo Domino. . . . ab exteris negotiis ministro exhibitum fuisse, hinc mihi parum accuratas ideas, quas illius lectio in eius mentem fortasse posset inducere, corrigere cordi est. Quamobrem auctoritatem tibi, Illustrissime Domine, tribuo, ex-

» Siccome io debbo supporre che la circolare e il documento suddetti siano stati comunicati al signor ministro degli affari esteri di....... cosi mi sta a cuore di rettificare le idee inesatte che potrebbero restargliene; in conseguenza, autorizzo Vostra Signoria Illustrissima ad approfittare delle riflessioni precedenti* non solo per combattere tante false allegazioni, ma anche per far vedere che la cura che si mostra di trarre in errore la altrui buona fede, è un indizio certo della convinzione che si ha dell'ingiustizia della propria causa.

» Gradisca, ecc.

» Roma, 17 Ottobre 1870.

« G. Card. ANTONELLI »

pensis hactenus rationibus utendi, non modo ad falsas tot propositiones repelíendas, verum etiam ad ostendendum, ipsam quoque sollicitudinem, quae in aliorum bona fide decipienda insumitur, signum esse evidens de propriae causae iniustitia certitudinis.

Sensus tandem, et cett.

Romae, die 17 ***Octobris*** 1870.

I. Card. ANTONELLI.

Hoc documento, ad Nuntios Pontificios apud exteras Nationes dato die 8 Novembris 1870, Eminentissimus Gard. Antonelli respondit ad officialem Notam italici Ministri, qui verbis extulit factum illud in sinu populi Romani studiose concitatum, quod ideo **Romanum** ***Plebiscitum appellant, quo cohonestare nisus est violentam Urbis captionem: atque insuper Minister ille adpromittebat, nova hac rerum ordinatione sub securo Italici Oubernii tutamine rem catholicam prosperam futuram.***

Illmo e Rmo Signore,

DOCUMENTUM. « Non sarà certamente sfuggita all'attenzione di V. S. Illma una circolare del signor Visconti Venosta del diciotto Ottobre, con la quale pretende di giustificare la usurpazione de'dominii della Santa Sede e l'accettazione fatta dal Re Vittorio Emmanuele del così detto plebiscito romano. Le solite frasi prive di senso, e fatti in opposizione alla realtà delle cose, abbenchè cadute sotto gli occhi di tutti, formano la base e l'essenza di questo documento diplomatico.

» Comincia il signor ministro dal magnificare la libertà e la spontaneità del voto di adesione alla italiana monarchia, pronunciato dal popolo di noma il giorno 2 Ottobre, quasiché l'Europa,

Mme et Riñe Domine

VERSIO. ***Haud equidem ignorare Te arbitror, Ulustrissime Domine, litteras circidares a Cornile Visconti Venosta datas die decima octava mensis Octobris, quibus Ditionum Sanctae Sedis direptionem, Romanique, ut vocant, Plebisciti acceptationem, a Rege Victorio Emmanuele peractam, iustificare sibi ipse prae fidit. Diplomatici huius documenti basim atque essentiam constituunt sexcenties repetitae illae loquulionum formulae omni sensu vacuae, et facta, cum ipsa rerum, quae quidem sub omnium oculis evenerunt, pugnantia veritate.***

Exordium ducit Minister ille spontaneam praedicans libertatem suffragii (quo populus Romanus italicae adhaesit monarchiae) die **2**

la quale vide rovesciato il trono di un potente monarca scorsi appena quattro mesi da una consimile e più solenne manifestazione, oramai non sappia qual peso convenga dare a dimostrazioni di tal genere, e qual forza si abbia un argomento cosiffatto: e reca tanto più sorpresa che il signor ministro vi abbia avuto ricorso, in quantochè niuno meglio di lui dovrebb' essere intimamente convinto che questa stessa Europa, la quale è consapevole di quanto accadde in Italia pel lasso di un decennio, che non ignora di quali mezzi morali ed artificii soglia far uso il governo italiano allorquando vuol raggiungere uno scopo, e portò adequato giudizio sulla passata sua condotta, più difficilmente s'indurrà ad ammettere il valore di quest'argomento e meh correntemente vorrà persuadersi che le cose siansi passate nel modo da lui rappresentato. Ed ammesso peranco che non si volesse aver ragione degli avvenimenti anteriori al Í867, e di quelli che in detta epoca si verificarono, basterebbe far presente che i Romani diedero del vero loro spirito e delle reali loro intenzioni ben più luminosa e sicura testimonianza quando, circondato or ora il territorio Pon-

Octobris pronunciati, ac si Europa, quae potentissimi Imperatoris thronum eversum conspexit, quatuor vix a simili ac solemniori manifestatione mensibus elapsis, iam probe non noverit, quonam in pretio significationes istae sint habendae, quidque insit ponderis huiusce generis argumento. Ad haec porro laudatum Ministrum confugisse eo vel magis mirum est, quod nemini prae illo magis persuasum esse deberet, hanc ipsam Europam, quae quidquid per decem annorum lapsum accidit in Italia, penitus noscit; quae minime ignorat, quibus mediis moralibus et artificiis uti soleat Italicum Gubernium ad praestitutum sibi scopum attingendum; quaeque adaequatum tulit iudicium de praeterita eiusdem Gubernii agendi ratione; hanc, inquam, Europam difficilius inductum iri ad huius argumenti vim admittendam, minusque praecipitanter suasum iri, res eo prorsus modo, ac ipse exponit, sese habuisse. Sed quamvis haberi haud velit ratio eorum, quae annum 1867 ***praecesserunt, quaeque eo ipso tempore evenerunt; satis tamen abunde foret animadvertere, Romanos verae voluntatis suae suarumque propriarum intentionum luculentius ac tutius testimonium edidisse, quum, septo nuper a***

tificio da oltre sessanta mila italiani; eccitati con denaro, con emissarii, con somministrazione d'armi a commuoversi; spinti da promesse, manifesti ed articoli giornalistici a ribellarsi contro il legittimo governo, i romani non solo si tennero impassibili, ma riunendosi anzi in grandissimo numero offerirono spontanei la vita e presero le armi per difendere da ogni attacco il loro amato Sovrano. Pel che si ha ben diritto di dimandare allo stesso signor ministro se creda egli che eguale attitudine sarebbesi riscontrata negli abitanti di ogni altra parte d'Italia dominata dal governo di Firenze, quante volte un'armata straniera si fosse posta al confine con un determinato intendimento, e di colà avesse esercitata quella pressione che necessariamente esercitar dovea su'romani e sugli altri delle provincie del Santo Padre la presenza delle truppe italiane lungo il confine Pontificio ed in prossimità della stessa Capitale.

» E mentre è pur vero che un movimento ebbe luogo, entrate le regie truppe, ognuno però sa che fu desso conseguenza immancabile del contegno assunto allora, non dal nostro popolo,

sexaginta et amplius armatorum millibus Pontificio territorio; pecunia, emissariis, armorum suppeditatque ad defectionem excitati; pollicitationibus, programmatis, notisque ephemeridum instigati ad desciscendum a legitimo imperio, Romani non modo in officio perstiterunt, sed magno quoque numero collecti vitam ultro obtulerunt, armaque ceperunt, ut a qualibet aggressione Principem amatissimum tuerentur. Iure igitur meritoque fas est sciscitari ex eodem Ministro, num ipse putet, parem agendi rationem sequuturos fuisse incolas ceterarum Italiae regionum Florentino gubernio subiectarum, si quis exterus exercitus certo consilio in finibus constitisset, indeque eam coactionem exercuisset, quam in Romanos atque in alios provinciarum Sanctissimi Patris incolas exercere natura sua debuisset Italicorum agminum iuxta fines Pontificios, ac sub ipsam Urbem praesentia.

Verum est, motum quendam sequutum fuisse copiarum Regis ingressionem: ast unusquisque scil, profluxisse illum necessario ex agendi ratione, quam tum iniit, non populus noster Romanus, sed unice agmen illud innumerum emigratorum ***(ut aiunt), omniumque***

ma unicamente da quello stuolo immenso di così detti emigrati, e di gente d'ogni specie e paese, che accompagnava le milizie stesse. Del qual movimento è da desiderare che si cancelli perfino 1a memoria, affinchè la storia imparziale non abbia a registrare nelle sue pagine quale scopo esso si ebbe, gli insulti fatti a' più ragguardevoli signori della città ed agli onesti cittadini, le sanguinose vendette onde furono vittime i soldati del Santo Padre sbanditi per le vie, ed il saccheggio dato alle caserme e ad alcuni stabilimenti pubblici per ben due giorni sotto gli occhi di un'armata impassibilmente spettatrice. Rapporto poi alle guarentigie di sincerità e di pubblicità, dalle quali pretende il signor Ministro venisse circondata tale votazione, io mi appellerò volentieri alla buona fede di quanti trovaronsi presenti in Roma nel giorno due Ottobre, e soprattutto alla testimonianza onorevolissima de'signori Rappresentanti Esteri presso la Santa Sede. Essi che furono testimoni del modo onde furono condotte le cose; che poterono presenziare la votazione; ch'ebbero campo di vedere co'loro propri occhi la classe e condizione sociale della maggior

generum ac regionum hominum, qui exercitum comitabantur. Cuius quidem motus utinam ipsa deleatur memoria, ne a studio partium aliena historia in paginas referre cogatur scopum, quem ille habuit; contumelias praestantioribus urbis viris honestisque civibus factas; cruentas ultiones, quarum victimae fuerunt Sanctissimi Patris milites per vias dispersi; depàpulationem per binos integros dies tum militaribus stationibus, tum publicis quibusdam aedificiis illatam sub ipsis oculis exercitus indifferenter spectantis. Quod vero pertinet ad sinceritatis ac publicitatis cautiones, quibus ipse intendit Minister suffragiorum illam lationem fuisse fulcitam, libenter ego testes advocabo quotquot die secunda Octobris Romae adfuerunt, ac prae ceteris testimonium honorabilissimum Exterorum apud Sanctam Sedem Legatorum. Ipsi, qui quo modo res gestae sunt, conspexerunt; quibus suffragiorum lationi interesse datum est; qui suis ipsi oculis intueri potuerunt tum classem, tum socialem conditionem plerorumque omnium, qui suffragia ferebant ; quique praeclarae fidei suae memores minime omiserint nonnulla facta investigare, quae omnibus innotuerunt; ipsi, inquam, religioni

parte de'votanti, e che nella loro specchiata lealtà non avranno omesso d'indagare alcuni fatti addivenuti di notorietà pubblica, essi si saranno certamente fatto scrupoloso carico di riferire ai rispettivi Governi ciò che in quel giorno accadde, ponendo così in rilievo quanto fallace sarebbe un giudizio, che si basasse sul risultato di una votazione di tal genere. Rendesi perciò superfluo che io m'intrattenga su tal proposito, dovendo a ragione ritenere che codesto Gabinetto, alla pari di ogni altro, abbia già tali e tante notizie quante bastano a formarsi un adequato e giusto criterio su questo fatto.

» Mi farò piuttosto ad esaminare se le conseguenze di questo gran fatto, come lo chiama il signor Visconti-Venosta, anziché esser favorevoli al Cattolicismo, siccome egli pur pretende, non ne debbano e possano essere la rovina in questa povera Italia. E per non oltrepassare i confini della Penisola, io farò qui appello a quanti per passione politica non abbiano perduto ogni sentimento cattolico, nel dimandare se le leggi ostili alla Chiesa già pubblicate nel regno; se il sovvertimento di ogni principio di

certe sibi duxerint, Nationes suas reddere certiores de iis, quae eo die evenerunt, palam sic ostendentes, quam fallax foret iudicium, quod huiuscemodi suffragiorum lotionis successui inniteretur. Supervacaneum igitur est, me in hac re amplius immorari, quum pro certo mihi habendum sit, unumquodque ex exteris Guberniis tot tantasque iam notitias hausisse, quae plene sufficiant ad iustum et adaequatum hac de re iudicium efformandum.

Animum potius convertam ad perpendendum, num quae ex hoc magno facto *(ut verbis utar Comitis Visconti Venosta) consequuntur, quin Catholicae faveant Reipublicae, prout ipse praesumit, non debeant potius ac queant extremam miserrimae huic Italiae pestem ac perniciem afferre. Ac ne fines Peninsulae praetergrediar, hic ego eos appellabo, quotquot sunt, qui politices furore correpti omnem prorsus catholicum sensum non exsuerint, ab iisque petam, num leges Ecclesiam adversantes per regnum iam latae; num omnium moralitatis publicae principiorum eversio propriis legibus sancita; num cunctorum Religiosorum Ordinum exstinctio; num bonorum Ecclesiasticorum Gubernio adiudicatio; num captivitas, qua Episcopatus detinetur; num clericorum iuvenum militiae addictio; num carceres, Quibus illi*

moralità pubblica sanzionato da apposite leggi; se la soppressione di tutti gli Ordini Religiosi; se l'incameramento de'beni ecclesiastici; se l'inceppamento in cui tiensi l'episcopato; se la leva de'giovani chierici; se la prigionia che si fa soffrire a que'ministri del Santuario i quali non piegano il capo a leggi ripugnanti con la coscienza; se il vincolo imposto all' esercizio del culto religioso; se l'empie dottrine professate dalla cattedra delle Università fino al punto da insegnarsi che P uomo ebbe origine dalla scimmia e l'anima dal fosforo, possano essere i mezzi acconci per mantenere vivo il sentimento religioso e per ottenere il progresso della società cattolica. E vorrei inoltre dimandare se quanto va accadendo iii questa Capitale dopo l'ingresso delle truppe italiane; se la immoralità che ancor qui si vuol spargere nel popolo; se il dispregio, in cui si cerca di porre con incisioni e con riproduzioni litografiche e fotografiche l'autorità veneranda del Capo augusto della Chiesa; se la diffusione di libri empi ed osceni agevolati con una vendita a prezzo vilissimo; se la guerra quotidiana ed accanita che si muove dal giornalismo a quanto vi ha

Ecclesiae vexantur ministri, qui legibus conscientiae repugnantibus obtemperare detrectant; num vincula religiosi cultus exercitio iniecta; num impiae doctrinae ex gymnasiorum cathedris praedicatae, tradentes quoque, hominem a simia, animam vero a phosphoro originem ducere ; num haec, inquam, omnia apta sint media ad sensus religiosos fovendos, et societatis catholicae progressum consequendum. Hoc insuper vellem sciscitari, num quae in hac quotidie Urbe fiunt, ex quo Italicae copiae ingressae sunt; num pravitas morum, quam hic quoque in vulgus diffundere impii quidem homines satagunt; num contemptus, in quem picturis, et lithographicis ac photographicis imaginibus abiicere sacrosanctum Summi Ecclesiae Capitis auctoritatem enituntur; num impiorum obscenorumque librorum ad facilem emptionem disseminatio ; num bellum quotidianum et acerrimum, quo quidquid sanctius et honorabilius in terris est, per ephemerides publicas impetitur; num contumeliae> quibus sacerdotes, Ecclesiae Praesules, et ipse Summus Pontifex obiiciunlur; num decreta iam promulgata, quibus libertas bonorum redituumque ad religiosas domos, ad loca pia, ad Capitula pertinentium devin-

di più sacro ed autorevole su questa terra; se gli insulti onde si fanno oggetto i sacerdoti, i dignitari della Chiesa e perfino il Santo Padre; se i decreti già emanati in forza de'quali si vincola la libertà de'beni e delle rendite spettanti alle comunità religiose, a'luoghi pii ed a Capitoli; se la estensione a'dominii della Santa Sede delle leggi anti-canoniche in vigore nel resto d'Italia, sieno que'fatti, che, secondo il signor ministro, valgano a persuadere i cattolici che il loro sentimento religioso viene pienamente rispettato, e che l'idea del diritto nella sua più ampia ed elevata esplicazione, ne'suoi rapporti fra la Chiesa e lo Stato, può avere su queste basi un'applicazione nel vero senso cattolico.

» La necessità che il Capo augusto della Religione abbia un dominio temporale per esercitare con piena indipendenza lo spirituale potere si fa dal fin qui detto ancor più manifesta, ed è d'altronde così sentita dall'universale, ed è così palese, da non abbisognare di molti argomenti per comprovarla. E mi piace di vederne anzi talmente persuaso lo stesso signor ministro Visconti, che, volendo rassicurare il mondo cattolico, si fa a parlare di

citur; num earum legum Canonibus contrariarum, quae in cetera vigent Italia, in dominia quoque Sanctae Sedis extensio; num ista ea sint facta, quae iuxta eundem Ministrum valeant Catholicis persuadere, religiosos ipsorum sensus in veneratione summa habitum iri, et iuris ideam, ampliori elatiorique significatione acceptam, respectu habito cum ad Ecclesiam, tum ad Regnum, posse vero catholico sensu his inniti fundamentis.

Necessitas illa, ut augustum Catholicae Religionis Caput temporali gaudeat dominatione, ad potestatem spiritualem libere et independenter exercendam, ex dictis hactenus luculentior etiam apparet, et est praeterea omnibus adeo explorata ac perspecta, ut multis eam argumentis fulcire necessum non sit. Quin iuvat Comitem ipsum Visconti hac de re ita persuasum conspicere, ut catholicarum cupiens conscientiarum quieti consulere, de imperio, de extraterritorialitatibus (ut aiunt), de regiis praeeminentiis Pontifici conferendis, cum et ipse necessarias istas arbitretur, sermonem instituat. Verum enimvero intelligi post haec nullatenus datur, quomodo in Pontificatus texenda historia ad subtilitates quasdam confugerit,

sovranità, di extra-territorialità, di preminenze principesche da concedersi al Pontefice, perchè riconosciute da lui stesso indispensabili. E non si sa dopo ciò comprendere come, nel tessere la storia del Papato, abbia egli avuto ricorso a certe sottigliezze perdonabili in bocca di un acattolico, ma che ripetute da un ministro d'un governo cattolico non possono a meno di produrre tanto dolore, quanto ribrezzo. - Non convenendo alla brevità di un dispaccio una discussione storica, ed omettendo di rilevare che la istituzione del dominio temporale è anteriore al medio evo; e che se vi fu tempo in cui la forza morale del Papato fu più che mai grande, la si fu in quell' epoca, discorrerò delle guarentigie che, spogliato il Pontefice di ogni dominio, vogliono a lui concedersi, affinchè le coscienze sieno tranquille ed il mondo cattolico non si creda punto minacciato nelle sue credenze religiose per l'effetto del compimento dell'unità italiana.

» Qual fede possa meritare una promessa del Governo italiano sia pur solenne, sia pur sanzionata da patti internazionali, da leggi, da decréti, da voti del parlamento, ben lo dicono il Trattato di

homini acatholico condonandas, ast quae a catholici gubernii Ministro adductae tam dolorem quam admirationem natura sua debent ingerere. Quum autem litterarum brevitati historica non conveniat disquisilio, ut omittam adnotare, temporalis dominii institutionem medio aevo esse antiquiorem, et nidlam umquam fuisse epocham, in qua moralis Pontificatus vis magis praefulserit ; de cautionibus (ut vocant) potius disseram, quas Summo Pontifici, omni prorsus potestate exspoliato, offerendas iaciat Italicum Gubernium, ut acquiescant conscientiae, neve catholicus terrarum orbis putet, religiosas opiniones ob Italicam effectam Unitatem periclitari.

Quam valeat mereri fidem Italici Gubernii promissio, licet solemnis, licet sancita pactis inter nationes initis, licet legibus, decretis, Parlamenti ***suffragiis firmata, clare edocent Tiguri et Villae Francae tractatus; peractae adversus omnes Italiae Principes usurpationes; Pactio mensis Septembris anni*** 1864, ***respiciens Gallici praesidii e Pontificio territorio discessum obligationesque consequenter a Florentino Gubernio susceptas ; praestitae e suggesto cautiones, omni tempore ac nuper quoque, pactionis eiusdem sensum ac lit-***

Zurigo e Villafranca; le usurpazioni a danno di tutti i Principi d'Italia; la Convenzione del Settembre 1864 relativa al richiamo delle truppe francesi dal territorio Pontificio, ed agli obblighi conseguentemente assunti dal Governo di Firenze; le assicurazioni date dall'alto della tribuna, in ogni tempo, ed anche recentemente, di volerne osservare lo spirito e la lettera; la corrispondenza scambiatasi fra i due Gabinetti di Parigi e di Firenze su tal proposito, ed il riscontro che gl'impegni presi e le assicurazioni date luminosamente si ebbero nella invasione del territorio Pontificio, depressa appena la potenza militare della Francia, e nella preziosa confessione fattasi dalla Circolare stessa là dove si dichiara che la grande opera della Unificazione cominciata da Re Carlo Alberto, venne proseguita ed alla perfine compiuta dal Re Vittorio Emmanuele/ con la sua perseveranza. Ho quindi luogo a ritenere che il Mondo Cattolico e tutti gli onesti mal s'indurranno ad accordale la loro fiducia a tal Governo, e che molto meno vorranno prestargli fede dopo aver conosciuto quei motivi, co'quali si vuole coonestare la sanguinosa e vergognosa

teram servandi; mutuum litterarum commercium hac de re Gallicum inter et Florentinum regnum; lucidentum denique testimonium, quod suscepta onera et cautiones interpositae exhibuerunt tum in Pontificiae Ditionis aggressione, quum primum militaris Gallorum potentia eversa est; tum in pretiosa sane Comitis eiusdem Visconti confessione, quum in suis ipse superius memoratis litteris declaret, opus ingens Italicae Unionis a Carolo Alberto rege auspicatum, a rege dein Viclorio Emmanuele fuisse continuatum, et istius perseverantia ad exitum tandem perductum. Iure igitur mihi existimandum est, orbem catholicum et honestos quosque homines haud ita facile in huiusmodi Gubernio fiduciam habituros, multoque minus fidem illi praestituros, postquam ea noverint rationum momenta, quibus nefaria res ac vituperabais est cohonéstala. Quum quasi per ludibrium iurata fides abrumpitur, quumque ex insueto cynismo principium omne honestatis iustitiaeque contemnitur, fidei ius prorsus amittitur. Possem igitur a sermone de duplici huiuscemodi cautionum ordine abstinere, quae nempe revocantur ad liberam conlinuamque Pontificis cum fidelibus communicationem; ad

impresa. Allorquando si conculca con una indifferenza senza pari la fede giurata, e con un cinismo senza esempio si pone in non cale ogni principio di onestà e di giustizia, si perde il diritto ad esser creduti. Potrei quindi dispensarmi dal ragionare del doppio ordine di cosiffatte guarentigie, le quali si riassumono nella libera e continuata comunicazione del Pontefice con i fedeli; nel mantenimento di una rappresentanza estera presso la S. Sede, di una pontificia presso le Corti estere; nella separazione della Chiesa dallo Stato; nella libertà completa da accordarsi alla Chiesa onde eliminare il sospetto che vogliasi esercitare una pressione nelle decisioni della Santa Sede cercando di fare della Religione uno strumento di governo. Pur nonostante, e senza internarmi in una discussione inutile, mi basterà soltanto dimandare se cosiffatte guarentigie varranno a tutelare efficacemente la indipendenza del Pontefice; ad eliminare ogni ragionevole sospetto di sua servitù; a precludere la via agli arbitrii del potere laicale; a togliere i conflitti che fra le due autorità dovranno necessariamente e quando che sia insorgere; ad impedire che il Capo della Chiesa ad-

exteram apud Sanctam Sedem, et Pontificiam apud exteras Nationes legationem; ad abscissionem Ecclesiae ab Imperio; ad integram libertatem Ecclesiae asserendam, ut omnis auferatur coactionis suspicio in Sanctae Sedis constitutionibus, ac si religionis sanctitate in suos fines Gubernium abuteretur. Attamen, ne diutius in quaestione immorer inutili, postulare tantum sufficiat, num cautiones istiusmodi eae sint, quae valeant efficaciter absolutam Pontificis independentiam in tuto collocare; rationabilem omnem servitutis suspicionem amovere; laicae potçstatis arbitrio aditum praecludere; conflictationes restinguere, quae, quovis tempore, binas inter auctoritates necessario exardescent; prohibere et obstare, quominus catholicae Ecclesiae Caput ob opinionum discrepantiam politicum aliquando fiat Ditionis, in qua residet, captivum; catholico tandem orbi cavere de libero potestatis spiritualis exercitio. Auctoritas illa quae ex concessione est atque exercetur, quaeque proinde ex voluntate aut libito concedentis dependet, auctoritas, inquam, haec vi aliena subsistit, nec eos valet fines praetergredi, quos ipsi tum in' trinsecae. tum extrinsecae conditiones assiwavere. Ataui nemo unus

divenga da un giorno all'altro, e per divergenza di vedute, il prigioniero politico dello Stato in cui risiede; a far tranquillo il mondo cattolico del libero esercizio dello spirituale potere. Un autorità, che vive e si esercita in forza di una concessione e che conseguentemente dipende dal buon volere o dal capriccio det concedente, quest'autorità vive di una vita non propria, e non può sviluppare la sua influenza al di là de'limiti impostile, e consentiti dalle sue intrinseche ed estrinseche condizioni. Or ognuno sa che il Capo della Chiesa abbisogna di un'autorità propria ed immancabile, affinchè l'esercizio del suo potere spirituale non venga da qualunque causa vincolato ed in qualunque tempo intterrotto. Dal che discende che ogni guarentigia voglia a Lui darsi, sarà sempre una vera illusione quando debba Esso rimanere soggetto ad un sovrano o ad un potere laicale.

» Qualunque del resto Voglia essere il partito definitivo del governo italiano a questo riguardo, qualunque violenza si usi per farlo accettare, qualunque mezzo s'impieghi perchè i gabinetti d'Europa s'inducano a sanzionarlo (il che si ritiene impossibile),

est qui ignoret, Supremum Ecclesiae Caput propriae et indeficientis indigere auctoritatis, ne potestatis suae spiritualis exercitium quavis de causa praepediatur, vel quovis tempore abrumpatur. Hinc fit, ut omnis cuiuscumque generis cautio, quae Illi exhibeatur, nihil sit aliud, quam **Vera** *illusio, quotiescumque Principi vel potestati laicae Ipse subiiciatur.*

Ceterum, quodcumque tandem fuerit extremum hac de re consilium, ad quod Italicum Gubernium descendet; quaecumque, ut illud acceptetur, violentia inferatur; quaecumque adhibeatur ars ad extorquendum sanctionem Europae guberniorum (quod impossibile existimo); Pontifex Summus, suorum memor officiorum, sacramentorum, promissorumque, conscientiae solum vocibus aurem praebens, in perpetuum, cunctisque, quibus pollet, viribus obsisiet, iam nunc declarans paratum se acerbiorem potius servitutem perpeti, atque adeo sanguinem profundere, quam vel minimum, aut oblique et specie tenus deficere.

Tibi interim, Illustrissime Domine, auctoritatem tribuo, tum declaratione hac, tum deductis superius rationibus utendi, quo magis

il Santo Padre, memore de'suoi doveri, de'suoi giuramenti, delle sue promesse, e non ascoltando che la voce della coscienza, vi si opporrà costantemente e con tutti i mezzi di cui può disporre, dichiarandosi fin da ora disposto a subire una più dura prigionia, ed anche la morte, anziché mancarvi in alcun modo, sia pur indiretto ed apparente.

» Ed io autorizzo la S. V. Illma a valersi, come di questa ferma dichiarazione, così de' rilievi sopra dedotti, per convincere sempre più cotesto Ministro degli affari esteri, che l'opera d'Italia, venendo a Roma, è un'opera di demolizione del Cattolicismo, è la negazione del principio della suprema autorità del Pontefice e della libertà della Chiesa; opera, che da sé stessa rende impossibile ogni conciliazione nel senso inteso e voluto dal governo di Firenze.

» Può Ella del presente dispaccio rilasciare eziandio copia se Le ne venga espresso il desiderio.

Con sensi di distinta stima mi confermo

Di V. S. Dima

Roma 8 Novembre 1870.

Affezionatissimo per servirla

G. Card. ANTONELLA

Ministro isti exteris negotiis praeposito persuádeos. Italicum Gubernium, ipsamque Italici regiminis rationem, in Urbem delatam, esse disiectionem catholicae Ecclesiae, negationem principii de Romani Pontificis auctoritate deque Ecdesiae libertate; eandemque Italici regiminis rationem impossibilem reddere quamvis conciliationem, quam Gubernium illud intendit atque affectât.

Praesentium porro harum litterarum exemplar Tibi liceat tradere, si id optetur.

Romae die 8 Novembris 1870.

I. Card. ANTONÉLLI.

Hoc documento, dato die 9 Novembris anno 1870 ad diplomaticum Guberniorum coetum Uteris patentibus apud S. Sedem instructum' enarrata ejfronti Ministrorum Italiae audacia tum in iudicio ferendo de proprietate Apostolicae domus in Quirinali colle extrui ctae, tum in petenda eiusdem possessione uti debita, Eminentissimus Gard. Antonelli nomine SSmi Patris adversus violentam eiusdem domus captionem protestatur.

DOCUMENTUM. « Agli attentati già consumati dal Governo di Firenze contro i dominii della S. Sede altro se ne volle ora aggiungere a pregiudizio della particolare proprietà de' Romani Pontefici.

» Il generale Lamarmora, con lettera del sette corrente, partecipando al sottoscritto Cardinale Segretario di Stato, che il Conrsiglio de'ministri, dopo maturo esame, aveva deliberato ad unanimità che il Palazzo al Quirinale dovesse considerarsi di spettanza del Demanio dello Stato, lo interessava a provvedere che il Demanio stesso ne entrasse in possesso con rimetterne le chiavi e col delegare persona, che assistesse alle necessarie formalità ed all'inventario de'mobili ed oggetti ivi esistenti. Al quale effetto stabiliva il susseguente giorno, e ne designava l'ora.

» Reca veramente sorpresa che un Consiglio di Ministri si eriga a giudice per definire il diritto delle altrui proprietà, e

VERSIO. ***Novissimis a Florentino Gubernio contra Sanctae Sed k dominia violentus perpetratis, alia qiioque diebus hisce ultimis accessit particularibus Romanorum Pontificum proprietatibus illata.***

Dux Lamarmora, litteris datis die septima huius mensis, infrascriptum Cardinalem exteris Pontificiae Ditionis negotiis praepositum reddens certiorem, Ministrorum Consilium, matura habita disceptatione, cunctis suffragiis declarasse, Quirinales domos Fisco esse adiudicandas, ipsum rogabat, ut in earum possessionem eundem Fiscum immittendum curaret, claves exhibens, virumque delegans, qui necessariis solemnitatibus bonorumque synopsi interesset. Ad quod proximam diem indicebat, horamque statuebat.

Mirum sane est, Ministrorum Consilium iudicem agere in alienarum constituendis iuribus proprietatum, ac Palatii praesertim, quod ad Romanos Pontifices pertinet, et ex ipsorum in illo commoratione

specialmente di un palazzo che appartiene a'Romani Pontefici, e che essendo residenza de'medesimi, chiamasi perciò Apostolico, che è destinato da ben tre sècoli a loro abitazione estiva, e eh'è consagrato da lungo tempo anche ad uso di Conclave e delle segreterie apostoliche.

» Forte il sottoscrito delle valide ed irrefragabili ragioni che lo assistevano nel respingere la domanda, e per debito altresì del suo officio, come Prefetto ancora de'Sacri Palazzi apostolici, non esitò di dichiarare che non si sarebbe mai prestato ad alcun atto che potesse dare indizio anche remoto di acquiescenza ad uno spoglio di tal natura, e conseguentemente si rifiutava di rimettere le chiavi degli appartamenti del Santo Padre, le cui porte erano già state arbitrariamente suggellate.

» In onta tuttavia di questa dichiarazione, e contrariamente al rispetto ed alle prerogative di sovranità ed immunità, extraterritorialità e preminenze principesche di cui pretendesi far credere al mondo che si voglia circondare il supremo Capo della Chiesa, si procede dal generale Lamarmora alla più riprovevole

Apostolicum nuncupatur; quod tribus iam abhinc saeculis aestivam eorum sedem constituit; quodque Conclavi et Apostolicis Secretariis iamdiu inservit.

Infrascriptus itaque Cardinalis validis et irrefragabilibus innixus rationibus, quae ipsi in postulatione repellenda maximopere favebant, sui quoque memor officii, utpote Sacrorum etiam Apostolicorum Palatiorum Praefectus, minime cunctatus est declarare, nihil esse se umquam praestiturum, quod vel levissimam adhaesionis speciem tam iniquae exspoliationi posset praeseferre, negavitque propterea, se claves Sanctissimi Patris domorum esse umquam traditurum, quarum quidem valvae iam pro arbitrio fuerant obsignatae.

Hac tamen spreta declaratione, nec ullo habito obsequio ad auctoritatis, immunitatis, extraterritorialitatis (quam appellant) regiarumque praeeminentiarum praerogativas, quas Supremo Ecclesiae Capiti elargiri velle iaciat Gubernium, ad nequissimum omnium violentiam Dux Lamarmora progreditur. Quamobrem, stata hora vix elapsa, ministri eius, portarum seris avulsis, invadunt, domibus-

violenza; laonde, scorsa appena l'ora designata, i suoi delegati, rotti i ferramenti delle porte, vi penetrarono, mettendosi in possesso del palazzo al Quirinale, proprietà de'Romani Pontefici.

» Quindi è che, non potendo il Santo Padre far resistenza alla forza, nè volendo pregiudicare il diritto di proprietà su'detti Palazzi e su tutti gli effetti che vi si contengono, ha ordinato al Cardinale scrivente di emettere le sue formali proteste, e di darne comunicazione all' Eccellenza Vostra, con preghiera di portarle a notizia del suo Reale Governo, per persuaderlo vieppiù degli oltraggi che la Santità Sua va soffrendo, ed eccitarlo a dar opera affinchè si ponga una volta termine alla insopportabile condizione di cose creatale ne'suoi dominii dal Governo di Firenze.

» Profitta lo scrivente di questa opportunità per confermarle i sensi, ecc.

« G. Card. ANTONELLI »

que Quirinalibus, quae propriae sunt Pontificum Romanorum potiuntur.

Quum itaque Pater Sanctissimus vim vi repellere non valeat, quumque nolit vel minimum laedere ea omnia proprietatis iura, quae hasce Domos earumque bona respiciunt, infrascriptum Cardinalem iussit, solemnes hac de re protestationes edere, Teque certiorem reddere, Excellentissime Domine, ac precari, ut Gubernio Tuo de iis referas quamprimum, quo magis ipsi innotescant contumeliae, quas quotidie ferre cogitur Pater Sanctissimus, magisque hinc excitetur ad providendum, ut intolerabili rerum conditioni in dominiis Sanctae Sedis per Italicum Gubernium excitatae tandem aliquando finis imponatur.

Infrascriptus interim Cardinalis oblatam hanc nanciscitur occasionem, ut peculiaris erga Te, Excellentissime Domine, voluntatis suae sensus profiteatur.

I. Card. ANTONELLI.

Hoc documento, dato die** 25 **Novembris** 1870, **ex publico facto, quo italicus Fiscus sequestro subiecit ephemerides, quae primae evulgarunt Epistolam encyclicam Sanctissimi Patris datam die** 1 **Novembris eiusdem anni, arguitur quaenam sit secura libertas Apostolici ministerii, quae Sanctissimo Patri, sua civili dominatione vi exspoliato, adpromittitur: atque praeterea nonnulli nefarii ausus commemorantur impune permissi, qui ne exlegi quidem ferocique populo convenirent.

IlJmo Signore

DOCUMENTUM. « A prova ulteriore della lealtà, con la quale il Governo di Firenze intende mantenere le promesse fatte e le assicurazioni date al mondo cattolico, quando toglieva al Santo Padre il resto de'suoi dominii, e per dimostrare sempre più, qual sia l'indipendenza e la libertà accordata al romano Pontefice nell'esercizio del suo spirituale potere, viene il sequestro di quei giornali, che per i primi in Firenze, Torino e Roma hanno riprodotta T Enciclica del Santo Padre. II più valido argomento per convincersi, che il Capo supremo della Chiesa non può andar soggetto ad alcun potere estraneo, e che lo stato di cose indotte dall'usurpatore Governo è intollerabile, se si vuole effi-

Illme Domine

VERSIO. ***Quo magis magisque fides comprobetur, qua Florentinum Gubernium iaciat promissa cautionesque Catholico Orbi praestitas servare, quum reliquas Beatissimo Patri ditiones auferebat; utque clarius innotescat, quaenam sit independentia ac libertas in potestatis spiritualis exercitio Romano Pontifici tributa, illarum Ephemeridum sequestrum commemorandum est, quae Florentiae, Augustae Taurinorum ac Romae Sanctissimi Patris Epistolam Encyclicam primae retulerunt. Validissimum argumentum ad evincendum, Supremum Ecclesiae Caput nulli extraneae subiici posse potestati, rerumque statum ab usurpatore Gubernio excitatum***

cacemente che la voce del Maestro delle genti possa diffondersi nel mondo, viene somministrato da questo arbitrio inqualificabile.

» Ed **è** così, che i timori concepitisi, quando dovea farsi luogo alla pubblicazione di quest' atto pontificio, e le precauzioni adottate onde sfuggisse alla vigilanza delle autorità italiane prima che l'Episcopato ne venisse in possesso, trovano piena giustificazione neh" operato governativo. E da ciò stesso si deduca qual sorte sarebbe riservata al sommo Pontefice, quando foss'egli costretto a biasimare fatti in opposizione con le viste del potere laicale ; ed il signor Visconti-Venosta, che menò vanto di aver promessa la diffusione del Breve, onde venivano sospese le adunanze conciliari, sospensione, che consigliata allora dalle condizioni politiche di Roma, si addimostra oggi sapientissima, dovrà oramai tacere, onde non abbiano i cattolici a ripetergli, che il permesso fu accordato, perchè l'Atto pontificio era graditissimo al suo Governo, il quale mal tollerava la riunione dei Vescovi ed il bene che ne derivava alla Chiesa.

» Ricorreva ieri il giorno anniversario, in cui fu eseguita la sentenza capitale contro i famigerati Monti e Tognetti, rei di

omnino esse intolerabilem, si vere optetur, ut gentium Magistri vox queat in orbem diffundi, singulari hoc arbitrio perhibetur.

Atque hinc concepti timores, quum Pontificia haec actio erat evulganda, provisionesque quibus cautum est, ut italicarum auctoritatum vigilantiam eluderei, antequam in Episcoporum manus pervenisset, omnimodam ex ipsius Gubernii agendi ratione probationem nanciscuntur. Hinc quoque inferatur, quaenam Pontificem ipsum sors maneret, si quando facta, quae laicae potestatis finibus arriderent, vituperare cogeretur. Corniti Visconti-Venosta, qui gloriatus est, permisisse se Brevis promulgationem, quo conciliares Sessiones suspendebantur (quae quidem suspensio ob politicas tunc Urbis conditiones suasa, sapientissimo hodie consilio indicia perhibetur), tandem aliquando erit silendum, ne illi regerant Catholici, concessum illud fuisse, quia Pontificia actio pergrata erat Italico Gubernio, quippe quod aegre ferebat tum Episcoporum frequentiam, tum bonum, quod in Ecclesiam inde derivabat.

Redibat heri anniversaria dies, qua extremo supplicia affé-

avere con una mina e pel vile prezzo di venti scudi, distrutta la caserma Serristori, facendo vittime della loro ferocia ben ventisette individui. E fu tratto di singolare Provvidenza che un intiero battaglione di Zuavi, uscitone per il servizio in città, non vi rimanesse sepolto. Questo fatto degno di orda selvaggia, e che a decoro della civiltà converrebbe porre in perfetto oblio, volevasi invece celebrare con pubbliche dimostrazioni. A tal effetto venne redatto dal Circolo popolare ed affisso nelle vie un manifesto, col quale s'invitava il popolo ad adunarsi numeroso, onde procedere alla disumazióne dei due cadaveri per farne il solenne trasporto dal cimitero di S. Giovanni decollato a quello di S. Lorenzo al Campo Verano , e si annunciava aperta una sottoscrizione per raccogliere le offerte destinate ad un monumento a loro onoranza.

» Che se una dimostrazione così vergognosa non ebbe luogo, devesi ciò ai forti reclami dei Confratelli della pia Unione di san Giovanni, e di altri ragguardevoli, i quali invocarono l'intervento della truppa. Basta tener parola di questi fatti per ad-

cti sunt famigerati homines Monti ac Tognetti, qui vili scutatorum viginti pretio allecti, militarem Serristori Stationem cuniculo siibruerunl, septem et viginti hominibus mortem inferentes. Ac singulari certe divinae Providentiae consilio tribuendum est, integram Zuavorum cohortem paullo ante ad vigilias in Urbe agendas inde egressam fuisse, ac mortem ita effugisse. Factum hoc barbarorum hominum turmis dignum, quodque, ut civ.ilitati consulatur, perpetua deceret oblivione deleri, publicis significationibus celebrandum proponebatur. Quamobrem a populari Circulo redactum est ac publice affixam programma, quod populum hortabatur, ut in unum locum confinerei ad bina cadavera sepulcro emenda, et e S. Ioan-: nis decollali coemeterio ad S. Laurentii extra muros solemniter transferenda. Collatitia insuper pecunia pro publico monumento in illorum honorem erigèndo impendenda indicebatur.

Quod si ignominiosa adeo significatio suo est effectu frustrala, vehementibus id Confratrum Piae Sodalitatis a S. Ioanne, aliorumque praeclarissimorum virorum protestationibus debetur, qui militiae interventum invocarunt. Sufficit tantummodo de huiuscemodi

dimostrare a qual grado di civilizzazione morale s'intenda condurre il popolo. Ed a coloro i quali osano sostenere che la libertà personale del Pontefice non è di alcuna guisa vincolata, è ben permesso dimandare, se il Maestro supremo dei principii di giustizia, se il Sovrano di questa Roma potrebbe impunemente aggirarsi in mezzo a coloro che decretano onori, fanno feste ed innalzano a cielo quanti vi ebbero e vi hanno più accaniti suoi nemici.

» La rivoluzione francese del secolo passato, i suoi orrori e le sue orgie trovano soltanto un riscontro in quanto va accadendo in questa misera città dopo l'ingresso delle truppe italiane.

» Con sensi, ecc.

» Roma, 25 Novembre 1870.

« G. Card. ANTONELLI »

factis verba facere, ut pateat, ad quemnam moralis civilitatis gradum mens sit populum perduci. Ab iis interim, qui nullatenus laedi personalem Pontificis libertatem audent asserere, fas est sciscitari, num summus aequitatis principiorum Magister, num huiusce Romae Princeps impune posset eos inter vagari, qui honoribus, qui festis, qui laudibus celebrant, quotquot fuerunt et sunt acerbiores eius inimici.

Quae miserrima hac in Urbe fiunt quotidie ex quo Italicae copiae ingressae sunt, imaginem certe praebent improbitatum ac flagitiorum, quae in Gallica superioris saeculi defectione evenerunt.

Sensus tandem, et cett.

Romae, die 25 ***Novembris*** 1870.

I. Card. ANTONELLI.

Documentum die** 12 **Decembris** 1870 **datum ad Nuntios Pontificios apud exteras nationes constitutos, quo, commemoratis sacrilegis contumeliis in Vaticano templo patratis die solemni octava Decembris, vulneribus inflictis pacatissimis civibus ad S. Petri christianae pietatis causa de more confluentibus, exponuntur quae eiusdem generis sequentibus diebus consecuta sunt, civili Auctoritate penitus silente, in honestissimorum hominum ipsiusque Romani Pontificis contumeliam.

DOCUMENTUM. « Mi trovo di aver dato contezza allá S. V. Illustrissima dei sacrileghi fatti consumati entro la Basilica Vaticana nella mattina del giorno **8,** e de' sanguinosi insulti onde furono vittime quei fedeli che numerosi erano accorsi a visitare la tomba del Principe degli Apostoli.

» Era a sperarsi che, dopo questi avvenimenti, i quali avevano profondamente contristato la cittadinanza, le autorità governative e militari avrebbero posto in opera tutti i mezzi per impedirne la rinnovazione. Ma questa speranza, come ogni altra fin qui concepitasi, dovè dileguarsi, ed apparire, qual era realmente, una illusione. Ciò che accadde nei giorni successivi 9 e 10, e ieri, domenica 11, addimostra che gli onesti e pacifici cittadini mal possono contare sull'intervento del potere e sulle numerose

VERSIO. ***Memini ad te, Mme Domine, iam me detulisse de sacrilegis in Vaticana Basilica sceleribus die octava mensis huius perpetratis , deque cruentis contumeliis, quarum victimae fuerunt pientissimi illi homines, qui ad Principis Apostolorum sepulcrum visendam magno quidem numero convenerant.***

Sperandum porro erat post eventus huiusmodi, qui maximo cives dolore perculerant, fore ut auctoritates tum civiles, tum militares, omnes potestatis suae nervos contenderent, ne iterum renovarentur. Sed haec quoque spes, sicut et ceterae hactenus conceptué, cito evanuit, ac, prout reapse erat, mera exstitit illusio. Quae subsequentibus diebus nona et decima, ac heri quoque evenerunt, clare edocent, probos honestosque viros nullatenus potestatis interventu, pluribusque, quibus ista pollet, viribus posse confidere, de

forze di cui dispone quando si tratta di difendere le loro persone e di tutelare i principii che essi hanno più sacri e cari nel loro cuore.

» Doveasi pertanto prendere un pretesto per continuare il moto popolare già cominciato nel giorno **8,** e questo venne dato dal giornalismo rivoluzionario, insinuando che il colonnello Azzanesi delle disciolte milizie pontificie era colui, che nel giorno innanzi a vea capitanato la pretesa dimostrazione al Vaticano. Bastò questo semplice indizio per indurre la bordaglia a raccogliersi sotto una casa, ove per ventura trovavasi PAzzanesi, ed a domandarne con fischi e grida la consegna. Le persuasioni ed i consigli non valsero a distogliere i malintenzionati dalla inqualificabile impresa, che anzi, imbaldanzititisi per la impunità e per la completa assenza della forza pubblica, si facevano a forzare la porta d'ingresso onde conseguire il desiderato intento. E lo avrebbero al certo conseguito, se gl'inquilini della casa stessa non si fossero avvisati di allontanare l'Azzanesi di sopra i tetti, e non gli avessero così procurato di giungere in una strada limitrofa, donde fu ad esso facile di evadere dalle mani di costoro ed aver salva la vita.

quibus disponit, quando de ipsorum agitur personis defendendis, deque illis principiis tuendis, quae cariora ipsis sunt et sanctiora.

Quum itaque species aliqua esset effingenda ad popularem illum motum iam die octava inceptum fovendum, minime desideratae sunt seditiosae ephemerides, quae in vulgus spargere coeperunt, dimissi exercitus Pontificii chiliarchum Azzanesi eum esse, qui comitialem, ut aiebant, demonstrationem ad Vaticanum superiore die duxisset. Leve hoc tantummodo indicium satis superque fuit, ut vilior plebis pars domum peteret, in qua forte Azzanesi morabatur, eiusque traditionem sibilis et clamoribus flagitaret. Nec suasiones et consilia valuerunt scelestus illos ab iniquo proposito dimovere: quin etiam, ob impunitatem atque omnimodam militaris potestatis absentiam gestientes, ipsos ianuae fores effringere coeperant ad optatum finem assequendum. Et voti certe compotes facti essent, nisi eiusdem domus inquilini consilium inivissent per tecta illum abducendi, eique hoc modo effugium in viam proximam comparassent, unde ex iniquorum manibus elabi, suaeque vitae consulere facile illi datum est.

» Nel frattempo alcuni distinti signori nella via del Corso e neir ora del passeggio erano fatti segno a villanie e contumelie; e danno gravissimo sarebbe loro incolto se non si fossero posti in sicuro. Nelle prime ore poi della sera altra clamorosa dimostrazione veniva fatta sotto un casino ove adunansi molti giovani delle più ragguardevoli famiglie romane, noti pei loro sentimenti religiosi e per il loro attaccamento al Pontefice.

» Quello però che più affligge e recar deve più meraviglia, dopo le belle e ripetute promesse di rispetto e di riverenza pel Pontefice, e le declamazioni del giornalismo ufficiale ed ufficioso sulla piena libertà del Santo Padre, si è, che, mentre avvenivano le narrate dolorosissime scene nel centro della città, anche al Vaticano e sotto gli stessi suoi occhi si rinnovassero in altro modo i disordini del giorno precedente. Per lo che, ancora una volta, tutti coloro che per qualunque motivo entravano od uscivano dal palazzo erano disturbati dalle parole sconce e dalle villanie di un'accozzaglia di gente postasi innanzi alla porta principale, ed in mezzo ad un picchetto di guardie italiane che quivi stanzia.

Haec dum fiebant, praeclarissimi aliquot viri in ipso Urbis hippodromo, qua hora plures deambulantes affluunt, iniuriis conviciisque impetebantur : gravissimumque illis damnum obvenisset, nisi in tutum sese recepissent. Prima autem nocte novus quoque fiebat tumultus sub quadam domo, quo plures e praestantioribus romanis familiis iuvenes, ob religiosos ipsorum sensus summumque erga Pontificem studium conspicui, solent convenire.

Quod tamen magis angit, maioremque affert admirationem post pulchras sane ac saepius iactatas obsequii et reverentiae erga Pontificem promissiones, postque officialium et officiosarum ephemeridum de omnimoda Beatissimi Patris personali libertate acclamationes, illud est, quod, dum funestissima, quae exposuimus, facta media in Urbe eveniebant, ad Vaticanum quoque, ac sub ipsis Summi Pontificis oculis superioris diei calamitates rursus instaurarentur. Quamobrem quicumque quavis de causa Palatium ingrediebantur, vel ab eo exibant, iniuriis obscenisque verbis lacessebantur a quadam hominum congerie ante principem ianuam constituta inter italicorum militum ib* commorantium manum.

» Più tardi poi alcuni gruppi, facendosi addosso a quanti ex-gendarmi o guardie svizzere transitavano in abiti borghesi sulla piazza, ne procedevano all'arresto,.e con urli e fischi li conducevano in prigione. Il quale disordine rinnovavasi nel giorno 10 ed anche 11, senza trovare impedimento di sorta da parte di un governo che aveva il dovere e la forza di impedirlo. Nulla poi dirò delle grida e canzoni di morte al Pontefice ed ai primi dignitarii della Chiesa, che si odono di continuo per le vie della città e perfino nelle vicinanze della dimora di Sua Santità; nulla dirò degl'insulti che si ebbero alcuni sacerdoti, uno dei quali rimase anche ferito da un colpo di sasso nella testa, nè delle villanie che dovettero soffrire quanti professano un sentimento di pietà. Ed è a tal punto giunto, da una parte l'ardire dei faziosi, e dall'altra la indolenza, per non dire la connivenza, delle autorità, da dover temere per la propria persona chiunque si conduca in chiesa, e più specialmente in quei tempii che, per l'abituale concorso de'fedeli, son presi più degli altri di mira dal partito dominante.

» Dal fin qui detto, chiaro apparisce, che v' ha un piano pre-

Paullo serius autem nonnullae hominum turmae, quotquot ex Pontificiis sive indigenis sive Helveticae cohortis militibus civili veste induti per plateam iter habebant, aggressae comprehendebant, et clamoribus sibilisque in vincula detrudebant. Qui quidem tumultus die decima ac heri quoque innovabalur, quin impedimentum ullum opponeret Gubernium, quod et debebat, et poterat prohibere. Nil porro dicam de clamoribus inconditisque cautionibus Pontifici primisque Ecclesiae ministris mortem minitantibus, quae per Urbis compita, ac sub ipsam Sanctissimi Patris domum quotidie aures obtundunt. Nihil dicam de contumeliis, quas aliquot sacerdotes passi sunt, quorum unus ictu lapidis in capite percussus vulnus accepit, deque conviciis, quae pientissimus quisque debuit tolerare. Atque eo tandem progressa est hinc flagitiosorum audacia, illinc auctoritatum segnilies, ne conniventiam dicam, ut de vita iis omnibus timendum sit, qui templa petunt, eaque praesertim, quae ob suetum fidelium concursum factionis dominantis oculos prae celeris alliciunt.

Ex hactenus expositis luculenter apparet, praeconceptum aliquod

concetto. E che desso si riassume nel proposito manifestato dal giornalismo, di ottenere cioè che il Santo Padre sia costretto ad allontanare dal suo palazzo gli svizzeri, e quelle poche guardie, le quali servono per la custodia di esso, per affidarlo o alla guardia nazionale, che ha fra i suoi capitani un Tognetti ed altri di simil risma, od anche alle truppe regolari, il cui spirito e le rette intenzioni sono tutt'altro che rassicuranti.

» In quali angustie si trovi l'animo del Santo Padre per questo cumulo di fatti, è più facile immaginarlo che ridirlo. E queste angustie necessariamente raddoppiano nel riflesso, che l'audacia dei faziosi tanto più si accresce e addiviene temibile, quanto più indolente si addimostra l'autorità nel reprimerla. E credo che non si vada lungi dal vero ritenendo che, quanto qui accade e potrà accadere, che il disordine permanente, dall'ingresso delle truppe a tutt'oggi, che la tolleranza su cui si fa assegnamento e che si professa, quando trattasi di recare offesa alla persona ed alla dignità del Pontefice, sieno quei mezzi sui quali si conta per conseguire la partenza del Santo Padre da Roma.

consilium maturavi; quod quidem consilium in proposito iam per ephemerides manifestato perstringitur, cogendi nempe Beatissimum Patrem Helveticam cohortem paucosque illos milites e Palatio arcere, qui eius inserviunt custodiae, ut haec committatur vel nationali militiae, cuius inter duces famigeralus Tognetti et huiusce generis hominum alii recensentur; vel regularibus copiis, quarum spiritus ac mens nullam profecto securitatem suadent.

Quibus angustiis in hoc factorum cumulo Sanctissimi Patris animus opprimatur, facilius est mente concipere, quam verbis referre. Atque hae porro angustiae graviores quoque necessario evadunt consideranti, factiosorum hominum audaciam eo magis augeri magisque timendam evadere, quo segniorem in illa reprimenda auctoritas se praebet. Neque hallucinari eum putem qui diceret, quae hic fiunt ac fieri poterunt; perturbationem ab italici exercitus ingressione ad hanc usque diem perdurantem; tolerantiam, in qua spes reponuntur, quaeque adhibetur quum de iniuria Pontificis personae dignitatique agitur inferendo; ea esse media, quibus Pontificis eiusdem ab Urbe discessum locum habere posse praesumitur.

» Ed io, lasciando alla Signoria Vostra Illustrissima di dedurre le conseguenze che deriverebbero dall'adozione di un tal partito, amai darle contezza di tante iniquità, onde possa ella valersene col signor ministro degli affari esteri, per persuaderlo che Io stato di cose è intollerabile, e che, se è di offesa al Santo Padre, è ancora più di danno alla religione ed alla chiesa, già tanto costernata per la penosa situazione dell'augusto Capo.

« Con sensi ecc.»

Roma, 12 Décembre 1870.

G. Card. ANTONELLA

Ego autem, munus tibi linquens, Illustrissime Domine, consecutiones deducendi, quae ex huiusmodi consilii susceptione profluerent, malui te de tot iniquitatibus certiorem reddere, quibus uti possis, ut ab exteris negotiis Ministro persuádeos, intolerabilem esse rerum statum, et, si Beatissimo Patri iniuriosus, Religioni quoque et Ecclesiae, peracerba iam augusti eius Capitis conditione adeo consternatae, damnosiorem.

Sensus tandem, et cett.

***Romae, die* 12 *Decembris* 1870.**

I. Card. ANTONELLI.

Hoc documento, die** 2 **Ianuarii anno** 1871 **dato ad Nuntios Pontificios apud exteras Nationes, describitur modus et tempus, quo rex Victorius Emmanuel Romae, quam numquam viderat, se exhibuerit, quo exceptus fuerit, quid egerit antequam abscesserit.

lllmo e Rmo Signore

DOCUMENTUM. «Nella notte del 30 al 31 Dicembre scorso, il re Vittorio Emmanuele arrivò a Roma quasi all'impensata con quattro dei suoi ministri. Questo viaggio così improvviso, come si scrisse da Firenze, fu deliberato e deciso in un Consiglio di ministri tenutosi la mattina stessa del 30. Per avere un pretesto che giustificasse tale risoluzione, e per diminuirne l'importanza agli occhi della diplomazia, s'immaginò di mettere innanzi il desiderio del Re di vedere coi suoi proprii occhi i danni recati alla popolazione di Roma dalla inondazione straordinaria del Tevere, e di portarle egli stesso un rimedio efficace, incoraggiando colla sua presenza i poveri inondati. Ma non è inutile far osservare, che nella mattina dello stesso giorno 30 Dicembre il Senato del regno aveva discusso ed approvato il progetto di legge per l'ac-

lllme et Riñe Domine

VERSIO. ***Nocte, quae tricesimum diem mensis Decembris est subsequuta, improviso Romam pervenit rex Victorius Emmanuel, quatuor e suis comitantibus Ministris. Iter hoc tam repentinum, prout a Florentia relatum est, in concilio quodam Ministrorum die ipsa tricésima ante meridiem habito deliberatum fuit ac statutum. Ad aliquam causam nanciscendam, qua susceptum illud consilium ex parte aliqua posset excusari, ad eiusque gravitatem exterorum Legatorum oculis imminuendam, factu optimum visum est, Regis desiderium proferre, suis nempe ocidis inspiciendi damna singulari Tiberis alluvione romano populo illata, atque efficax remedium per se ipsum afferendi, praesentiaque sua animum iis addendi qui bonorum iacturam fecissent. Ast inutile prorsus non erit adnotasse, antemeridianis horis diei ipsius tricesimae Decembris, Italici regni Senatum in disceptationem vocasse atque approbasse legis rogatio-***

cettazione del plebiscito. E ciò che è più degno di considerazione, la legge votata poche ore prima dai senatori, fu confermala e firmata dai ministri durante il loro soggiorno di poche ore in questa capitale. Sé ne fece pubblicazione la sera stessa nella ***Gazzetta Ufficiale di Roma.***

» Dall' insieme di questi atti nasce naturalissimo il pensiero, che si è voluto con un fatto inopinatamente compiuto, chiudere la bocca alle osservazioni in contrario che avrebbe potuto presentare la tale o la tal altra potenza, e in pari tempo sanzionare, sotto una forma più solenne, le usurpazioni commesse a danno del S. Padre e della Cattolicità, facendo sottoscrivere dal re il decreto che le. conferma sul luogo stesso della spogliazione.

» Quanto a me, amo credere questa supposizione senza fondamento, non potendo ammettere che un Ministero possa spingere l'importunità fino al punto di costringere il Re ad un viaggio così improvviso e disastroso per lo stato delle strade, unicamente per infliggere un più sanguinoso affronto alia dignità del Pontefice e alla sovranità del S. Padre.

nem, Plebisciti acceptationem respicientis. Quodque consideratione dignius est, lex de qua paucis ante horis suffragium tulerant Senatores, firmata ac signata est a Ministris paucis illis horis, quas sunt in hac Alma Urbe morati: vespere eiusdem diei per Officiales Ephemerides ***Romae constitutas est publicata.***

Ex rebus hisce omnibus sponte fluit cogitatio, haec ideo fuisse constituta, ut per factum inopinato completum, os praecluderetuv quibuscumque in contrarium animadversionibus, quas hoc vel illud Gubernium facere potuisset, utque sancirentur eodem tempore ac solemniori quoque forma usurpationes in Beatissimi Patris et catholici totius orbis detrimentum perpelratae, exhibendo Regi subscribendum Decretum illas confirmans in loco ipso exspoliationis.

Ad me quod attinet, fundamento velim destitutam putare huiusmodi opinionem, quum in animum nequeam inducere, posse regni cuiuslibet Administros eo usque importunitatis devenire, ut Regem cogant inopinatum adeo et ob viarum statum incommodum iter suscipere ad hunc unicum finem, ut atrociori nempe contumelia Pontificis dignitas. Sanclissimique Patris principatus impetatur.

» A 5 ore pomerid. dello stesso 31 Dicembre Vittorio Emmanuele ripartì per Firenze, così il suo soggiorno non durò più di tredici ore.

» Del resto vuoi pel tempo cattivo, vuoi pei disastri subiti dal popolo, vuoi pel malcontento generale, gli si fece una accoglienza più fredda e meschina di quella che si poteva aspettare. Ad eccezione del principe Doria, e d'un certo Placidi, avvocato, la municipalità stessa, benché invitata e prevenuta in tempo, non si portò alla stazione per riceverlo. Il popolo col suo buon senso naturale non mancò di confrontare le manifestazioni spontanee e universali di cui il S. Padre era l'oggetto, con quelle con cui si volle festeggiare l'arrivo di re Vittorio Emmanuele. Si noti di più, che si erano presi tutti i mezzi possibili per renderla splendida pel numero e per le acclamazioni, perchè, si diceva, era la prima volta che compariva in mezzo ai suoi novelli sudditi.

» Stimo utile insistere su un tal fatto, perchè il rappresentante del governo di . . . . . non avrà certamente trascurato di

Hora autem quinta post meridiem diei eiusdem* 31 *Decembris Victorius Emmanuel Florentiam remeavit, ita ut eius in Urbe commoratio non amplius quam tredecim horas perdurant.

Ceterum sive ob malam tempestatem, sive ob populi calamitates, sive, ob communem tristitiam, frigidiori ac miserabiliori modo exceptus est, quam qui potuisset umquam exspectari. Si principem Doria, ac Placidi quendam causidicum eximas, MunicipeS ipsi, quamvis invitati ac praemonili, advenienti obviam ad stationem minime progressi sunt. Populus romanus sana ea mente, quam illi ingenuit natura, illico spontaneas universaeque animi significationes, quae Beatissimum Patrem respiciebant, cum iis comparavit, quibus regis Victorii Emmanuclis adventus fuit celebratus. Illud insuper est animadvertendum, omnia prorsus in medium fuisse adducta, quo tum numero, tum acclamationibus splendidior evaderet, quandoquidem, ut homines dictitabant, tum primum suos inter novos subditos advenlabat.

In re hac diutius immorari supervacaneum puto; siquidem Gubernii. . . . Legatus haud certe omiserit, ab exteris negotiis Mi-

far conoscere al signor Ministro degli affari esteri ciò che avvenne in tale occasione e le impressioni prodotte da un simile avvenimento.»

Roma, 2 Gennaio 1871.

G. Card. **ANTONELLI.**

nistrum de iis omnibus reddere certiorem, quae id temporis acciderunt, deque sensu, quo hominum mentes ob istiusmodi eventum sunt affectae.

Romae die* 2 *Ianuarii 1871.

1. **Card.** **ANTONELLI.**

Documentum datum die 24 Ianuarii 187i ad Nuntios Pontificios apud exteras Nationes. Modus in eo describitur, quo princeps Ufnbertus, Victorii Mmmanuelis filius, cum uxore Romam missus, studiosa pompa fuerit tamquam dux exceptus atque in Apostolica Quirinali domo, ex condicta acclamatione, collocatus. Item mentio fit de athea societate, quae a libertate cogitandi nomen accipit,

I limo e Rmo Signore

DOCUMENTUM. « Ieri (23 Gennaio) a quattro ore dopo mezzodì il Principe Umberto di Savoia e la sua sposa hanno fatto il loro ingresso solenne a Roma, e si sono installati n el Tappa r tamen t o del Santo Padre al Quirinale, intieramente trasformato ed appropriato al nuovo uso che si vuol farne. Perchè il popolo accor-

arne ***ac Rme Domine***

"VEIISIO. ***Heri (die vicesima tertia mensis Ianuarii) quatuor a meridie horis Sabaudiae Princeps Umbertus eiusque uxor solemni pompa Romam ingressi sunt, Quirinalesque Sanctissimi Patris domos in novum peculiarem usum omnino conversas ac destinatas occuparunt. Ut omnes catervatim confluerent, utque laetitiae signi-***

resse in folla e i Principi fossero l'oggetto di una dimostrazione di gioia, gli avvisi del Municipio, gli articoli dei giornali, i proclami dei Circoli avevano invitato la popolazione a recarsi in gran numero sul loro passaggio. Gli studenti dell' Università e quelli del Liceo, installati nel Collegio Romano donde vennero espulsi i Gesuiti, dovettero del pari recarvisi colle loro rispettive bandiere. Tuttavia l'accoglienza non presentò guari un carattere di festa; e se si eccettua un pugno del popolaccio, che, accozzato nelle strade al suono della tromba che aveva alla testa, sul luogo medesimo circondava il corteo e applaudiva i nuovi venuti, tutti gli altri curiosi, che sogliono riunirsi dapertutto e per un motivo qualunque, serbavano un silenzio pieno di dignità.

» Quando i due viaggiatori furono saliti al quartiere, destinato a diventare loro abitazione, quelli che durante il tragitto avevano gridato ed applaudito si posero a richiedere la comparsa dei Principi sul balcone principale del Palazzo. Questo desiderio fu prima esaudito che espresso. Si decorò infatti d'un tappeto di seta rossa quella stessa loggia donde si annunzia al mondo cattolico l'elezione del Pontefice, Sovrano di Roma, Capo augusto della Chiesa;

ficationibus Principes obiicerenlur, Municipum edicta, ephemeridum declamaliones, Circulorum programmata populum invitaverant, ut obviam advenientibus conserte procederei. Auditores quoque Archigymnasii, ac Lycei discipuli (qui quidem Collegio Romano potiuntur, ex quo Patres Societatis Iesu fuerunt remoti) suis omnes vexillis illuc conferre sese debuerunt. Significationes tamen, quibus Principes excepti sunt, nullum prae se tulerunt solemnitatis characterem; ac si infimae plebis manum excipias, quae ad tubicinis praeeuntis sonitum per vias collecta, comitatum sepiebat, ac venientibus plaudebal, ceteri omnes curiosi, qui quocumque et quavis de causa solent affluere, silentium dignitate plenum servabant.

Quum bini viatores ipsorum habitationi destinatas aedes conscenderunt, qui per viam conclamarant ac plauserunt, Principum e praecipuo domus peristylio praesentiam coeperunt efflagitare. Votum hoc prius expletum est, quam fuisset prolatum. Decoratum revera est serico rubei coloris tapeto illud ipsum perystilium, ex quo Pontificis, Romae Principis* augusti Ecclesiae Capitis electio

e il Principe e la Principessa si mostrarono al popolo. Alla sera volevasi che le case fossero illuminate; ma gli abitanti non si curarono di rispondere a quest'esigenza, in guisa che la città ri mase immersa affatto nelle tenebre.

» Mentre ciò accadeva, udivasi rimbombare il cannone dei fòrti, e le campane del Campidoglio, suonate come per un giorno di festa, annunziavano alla capitale del mondo cristiano l'arrivo del figlio primogenito di Vittorio Emmanuele, di quel Re che ha ridotto il Sommo Pontefice, il Sovrano, il Padre comune dei fedeli, a quel doloroso stato nel quale si trova presentemente, lo mi astengo di fare commenti, e di parlare delle impressioni che dovette necessàriamente produrre questo nuovo oltraggio fatto ai diritti sovrani del Santo Padre e alla dignità del Pontefice. Se tutte le persone dabbene ne rimasero profondamente afflitte, egli è facile immaginare, che il cuore di Sua Santità dovette essere ben più dolorosamente trafitto da ogni colpo di cannone e di campana, che gli ricordava meno ancora la sua intiera spogliazione, che non i mali estremamente gravi che ne risultano per la religione e per la Chiesa.

catholico terrarum orbi enuntiatur; ac Princeps eiusque uxor se populo exhibuere. Illud quoque in votis erat, ut longo funalium ordine Urbis domus noctem vincerent; ast neglexere cives desiderio huiusmodi respondere, ita ut Urbs omnino occulta tenebris latuerit.

Haec dum fiebant, arcis tormenta reboabant, et campana aera Capitola tamquam in die festo pulsata, Urbi catholici orbis principi adventum nuntiabant filii natu maximi Victorii Emmanuelis, eius nempe regis, qui Summum Pontificem, Regem, communem fidelium Patrem in lacrimabilem illum statum redegit, in quo versatur impraesentiarum. Abstineo hic a disserendo fusius loquendoque de sensibus, quos necessario debuit inducere nova haec iniuria supremis Beatissimi Patris iuribus, dignitatique Pontificis illata. Si probus quisque vir summo est affectus moerore, pronum sane est mente concipere, Sanctissimi Patris animum acerbiori quoque dolore singulis tormentorum atque aeris ictibus fuisse perculsum, qui in eius mentem revocabant non iam omnimodam perpessam exspoliationem, quam mala illa gravissima, quae in religionem et Ecclesiam inde promanant.

» Affinchè i cattolici si possano convincere sempre più, che i danni che porta seco lo stato presente delle cose sono gravi oltre ogni espressione, mi basterà di far notare come in questa Roma, centro del cattolicismo, sede del Pontefice e del Maestro supremo della verità, in questa Roma ove migliaia di martiri hanno versato il loro sangue per la fede di Gesù Cristo, e dove riposano i Principi degli Apostoli, si è stabilita una Società di ***liberi pensatori*** che tiene sedute pubbliche, annunziate precedentemente da affissi stampati, che rende conto delle sue discussioni per mezzo de'giornali, e che pubblicherà quanto prima un periodico destinato a combattere le idee superstiziose di questa religione che si attribuisce il nome di cattolica. Quanto a me, io credo che ogni uomo onesto, non dico ogni cattolico, che si contentasse di gettar gli occhi sopra tutto ciò che qui si propaga in materia di fede e di disciplina ecclesiastica, sulle oscenità che si spargono fra il popolo, sugli artifizii coi quali si cerca di rovesciare il principio religioso colla distribuzione gratuita di libri protestanti e di Bibbie, si convincerebbe facilmente che in nes-

Quo magis persuadere sibi possint catholici, detrimenta, quae praesens rerum status secumfert, gravia admodum esse, satis mihi superque erit animadvertere, in hac ipsa Roma, catholicitatis centro, Pontificis ac Supremi veritatis Magistri sede, in hac inquam Roma, ubi tot Martyrum millia pro Christi fide sanguinem profuderunt, atque ubi Apostolorum Principes quiescunt, Societatem hominum fuisse constitutam, quos vocant liberos cogitatores, ***quae publicos agit conventus per affixa programmata antea praenuntiatos, quae suarum disquisitionum rationem per ephemerides reddit, quaeque diarium quam primum publicabit ad id assignatum, ut religionis huius, quae catholicae nomen sibi assumit, superstitiosas ideas oppugnet. Ego autem existimo, honestum quemque hominum, ne dicam catholicum, qui oculos tantummodo converteret ad ea omnia, quae de fide atque ecclesiastica disciplina heic traduntur; ad obscenitates, quae in vulgus disseminantur; ad fraudes quae adhibentur, ut gratuita protestantium librorum ac Bibliorum diffusione catholicum principium funditus evertatur; facile convinci, nullam aliam Europae regionem, nullumque aliud Gubernium impune passurum atroces ad-***

SUD paese d'Europa, e sotto nessun Governo, si tollererebbero impunemente assalti così atroci contro la Religione dello Stato, o persino della minorità del paese, e ingiurie così sanguinose fatte ai suoi ministri, come quelle che si permettono in Roma, in presenza del Santo Padre, e sotto gli occhi del Sovrano Pontefice.

» Vogliate aggradire ecc.

» Roma, 24 Gennaio 1871.

« G. Card. ANTONELLI »

modum contra Status vel etiam minoris regni partis religionem aggressiones, cruentasque adeo ministris eius illatas iniurias, ac illae sunt, quae Romae, coram Sanctissimo Patre, ac sub ipsis Summi Pontificis oculis permittuntur.

Velis interim, et cett.

Romae die 24 ***Ianuarii*** 1871.

I. Card. ANTONELLI.

APPENDIX V.

DE POPTJLAEIBUS ITALICIS ASPIRATIONIBÜS TN FACTO ET IN IURE CONSIDEBATIS.

Ex actis S. Sedis quae exposui, quaeque ostendunt qua ratione se gessit usque ab initio Subaipinum Gubernium erga S. Sedem et vicissim, perspecta fit historia rerum, quae ab anno 1848 usque in praesens contigerunt.

Namque ex perduellionibus a Subalpino Gubernio, Imperatoris Galliarum auxilio, motis et patratis, praecipuae Pontificiae provinciae invasae primum fuerunt atque invasio cohonestata sub obtentu popularium aspirationum atque concitati plebisciti. Opus enim sibi assumpserat Gubernium illud, itálicos populos suo nomini subigere, expulsis ceteris in Italia principibus novaque constituta gubernandi forma.

Praecipuis Pontificiae ditionis provinciis, quum iam esset potitum, supererat Borna cum parvis quae eidem adiacebant regionibus: sed in hac nova Italiae administratione res ita erant compositae, ut tum ratione dignitatis Romae, tum ratione universi italici territorii, tum ratione bonorum Ecclesiae quae catholicae religionis centro sunt necessaria, tum ratione odii in supremum Ecclesiae magisterium, non posset Roma effugere cupidissimas perditorum hominum dominantium manus.

Immo a veritate non aberrare puto, si asseram, primum rei conce^ ptum, qui coadiuvaverit atque urserit conatus eorum ad adipiscendum Italiae regimen, fuisse Romae possessionem; quamquam haec possessio ultimo loco exsecutioni esset mandanda. Recens namque erat memoria eorum quae contigerant anno 1849, ut Romae captio in conceptu prima, frustra prima in possessione quaereretur.

Attamen si Roma non tam brevi annorum intervallo Pontifici hactenus manserat, binis praecipue causis est adscribendum quae praevideri vix poterant.

Causa non .praevisa est ingens catena manifestationum obsequentissimae fidelitatis Romano Pontifici exhibitae nulla praetermissa occasione: eiusmodi enim obsequentissimae fidelitatis manifestationes in dies augebantur tum in Italia universa tum in caeteris catholicis nationibus. Romae autem eiusmodi manifestationes tales evaserant, ut quotquot Romam convenirent, admiratione percellerentur, tantam «inspicientes coniunctionis maiestatem romani populi cum Rege suo ! Nullus enim praetertnittebatur solemnis aliquis Romani Pontificis actus, quin

populus romanus frequentissimi accurrent, illum acclamans omnigenis laetitiae significationibus non tantum Pontificem sed et Regem.

Quod est adnotatione dignum: namque praeteritis annis, idest ante initium Pontificatus SSmi Patris , nunquam fuit Romae audita acclamatio illa, quae nomen Pontificis indicaret: *Euge Pie None* (Viva Pio Nono): sed semper, Pontifice per vias transeunte, populus genua flectens invocabat tantum** benedictionem his verbis: *Pater Sancte Benedictionem !* (Santo Padre la Benedizione)! Illa acclamandi ratio non habet romanam originem, sed Romam fuit deducta ab illis, qui Pontificem paullo post e Roma exulare coegerunt. Quamvis initio illa acclamandi ratio aures romanorum offenderet, non enim videbatur digna Pontifice summo; postea necessitas quodammodo adegit, ut perseveraret, sive ex usu incepto, sive quod rectius bonis omnibus significaret, quod perditi homines in pravam causam invexerant. Sub ea enim acclamatione romanus populus suum salutabat Regem, quem, dum solemnius acclamabat, adiungebat disertas voces: *Pontificem et Regem* (viva Pio Nono Pontefice e Re).

Kiusmodi ingentes manifestationes fidelitatis et realis obsequii, quae admiratione percellerent quotquot Romam convenirent, fuerunt causa, quam non praevideant illi, qui, aspirationes populares cogitantes et comminiscentes, existimabant, Romam, tandem ultimo loco languescentém vitaque sua destitutam, esse facile consequuturos. Sed elanguescebat jn dies universa Italia: et qui supererat in Italia locus, in quo verissima populi vita vehementer excrescere!, unica erat Roma: unde si Roma capi debuerat iam non aliud supererat nisi aperta vis armis et militibus sine ulla causa, quae sub aliqua tenui umbra captionem cohonestare posset: idque quam citissime faciendum in aliqua occasione quae prima sese offerret, quum, languescere Italia, centrum illud, in quo perseverabat atque excrescebat vita, periculo esset ne vehementissimo influxu suo Italiam universam in optatam excitaret vitam.

At vero undenam prompta occasio erat expectanda? Illa quae fuerat arte conficta anno 1867 per oesperatorum hominum greges, qui reliquam ditionem Pontificiam armis pervaderent, in irritum et in contumeliam Gubernii italici cessit. Illi enim iam partim caesi et dispersi fuerunt ab heroica ilia manu militum, qui mortem certatim pro causae iustitia oppetebant: ac denique auxilio, non quidem Imperatoris Galliarum (cuius promissionibus nunquam profecto credidimus), sed catholicae Galliae , quae quamquam bona fide regatur, tamen hisce ex* tremis suum quoque Imperatorem cogere valuit ad auxilium mittendum, in Nomentano proelio licet prospero ad pugnandum loco constituti, penitus sunt prodigati: proindeque

e manibus italici Gubernii erepta est ea occasio a se parata mittendi suos milites ad ordinem subversum, ut sibi suaserat, instaurandum: atque ad plebiscitum in sinu populi romani confingendum iuxta consuetum iam agendi ritum.

Hae duae itaque fuerunt causae, quae, non praevisae , impedimento gravissimo erant quominus Gubernatores Italiae, quod primo conceptu excogitaverat, exequi tandem non possent: id est impensissimo adhaesio romani populi cum suo Rege Pontifice, et fervor catholicae Galliae, numquam tam vehemens praevisus, quae saltem reliquam ditionem incolumem Romano Pontifici vellet omnino servatam.

Itaque permanentibus his duobus impedimentis, impossibile erat, ut italicum Gubernium Roma potiretur. At vero,quum terribilis manus Domini, qui sese ostendit Regem regum et Dominum dominantium , Imperatoren) Galliarum humillime depressit post solemne gallicum plebiscitum, quo maxime ille gloriabatur; quum Gallia universa ad arma esset intenta, ut suum externum hostem superaret (quamquam intus potiorem adhuc haberet), una ex duabus causis cessavit› ea videlicet, quae impedimento erat quominus italicum Gubernium vi et armis capere Romam posset: hinc altera neglecta causa, quae armis resistere non poterat, Rex Italiae Legatum misit ad Romanum Pontificem, qui exponeret, *aspirationes* Italici populi esse. quibus resisti non posset, ut Roma et reliqua ditione Gubernium italicum potiretur; ita tamen, ut Pontifex in spiritualis iurisdictionis exercitio liber et independens omnino servaretur: inde promissiones plurimas.

Verum, ut erat expectandum, reiectis *aspirationibus,* reiectisque promissionibus, dimisso legato, Pontifex sarta tectaque velle Apostolicae Sedis iura declaravit.

Illico exercitum suum misit Gubernium illud atque ignitis proiectiIibus iniectis in Urbis moenia atque in pacatissimam quoque civitatem, Urbem facillime cepit, quam nullo alio medio consequi potuerat atque potuisset.

Dixi facillime cepit: idque non quidem ex defectu virtutis nostrorum militum, quamquam pauci essent prae exercitu aggressore; sed ex benignitate potius Pontificis qui tamquam prudens paterfamilias sapientissime acerrimam cladem avertit.

Omnes, qui Romae eramus, oculis conspeximus, quo animo milites nostri essent comparati : vehementissime enim cupiebant, tamquam leones, pugnae momentum, ut sanguinem suum profundere possent pro iustitiae causa: iique speratam victoriam in Deo fidentissime collocabant ; quibus si adiungas férvidas preces Deo a romano populo cum Pontifice effusas pro communi causa, mirum non erit si in meliore populi parte dominaretur opinio, forte externos milites Romam non ingressuros.

inde poteris Lector intelligere, quaenam tristitia omnes pervaserit statim ac post nonnullas pugnae horas, quibus proelium est dumtaxat commissum, inter tormenta bellica ad moenia Urbis deiicienda, auditum fuit, album vexillum fuisse elatum: ac, nulla interposita mora, milites itálicos ingressos. Nihil dico de militibus nostris de quibus alter verissime scripsit (Unità cattolica), *multo magis se héroes ostendisse in obediendo praecepto non pugnandi, quam si ad ultimum sanguinem, prouti concupiverant, proeliati essent.* Si facultas pugnandi facta esset, certissime die 20 Septembris italicus exercitus Romam non fuisset ingressus; neque secunda die, quum suos saltem mortuos sepelire debuisset; tertia autem die atque sequentibus diebus quid contigisset, nemo dicere potest, quum nemo dicere possit, quid egeni illi italici milites cogitassent, postquam errorem cognovissent, quo a suis atheis ducibus detinebantur, illis suadentibus, se Romam ingressuros, propterea quod Romanus Pontifex populusque romanus eos vocaret quin proeliari deberent. Ad ea expectanda concurrebat quoque et arma singulorum nostrorum militum longe perfectiora quam externi italici exercitus, et locus ad proeliandum prosperior.

Sed misericors ille Deus, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, permisit, ut catholici milites, sine sua culpa auxiliis religionis penitus destituti, ignorantes quoque scelus ad quod vocarentur, quique male tecti maleque nutriti sub ferreo detenti, iugo quod, excutere nullo modo possunt, non alteram extremam subirent calamitatem, eamque protenderei ad suas familias, quae intimo corde Pontificem uti Patrem amant atque venerentur, quaeque familiae iisdem suis carissimis commiserant, ut Romam ingressi aliquam amantissimi Patris memoriam transferrent (1).

Haec adnotare volui ad retundendam eorum audaciam, qui non erubescunt tamquam partam victoriam iactare ingressum in Urbem italici exercitus in dedecus exercitus nostri. In Gallus (quamquam inconsultissime) ostendit, quo animo esset comparata pars illa nostrorum militum, quae Roma, armis ex obedientia cessis, contumeliis dimissa, ardens pugnandi desiderium, quo, pro vera iustitiae et religionis causa, incendebatur nondum extinxerat.

At, non aliquorum certamine, non proelio, non armis, sed alia ratione longe nobilissima, Roma, petra illa angularis quae tandem faciet utraque unum, victoriae vexillum efferre debebat: suamque potentiam, quanta sit, quousque se protendat, omnia

(1) Sciunt romani negotiatores quot imaginum millia, Romanum Pontificem significantium, vendiderint italicis militibus statim ac Romam sunt ingressi, ut eas imagines ad suos in epistolis inclusas mitterent. Eiusmodi enim imagines per epistolas commode transferendae ex Urbe illis diebus disparuerunt.

Orbis Gubernia omnesque populi ab ortu solis usque ad occasum erant experturi! Album vexillum, quod ex iussu SSmi Patris in summitate crucis "Vaticani templi romana perdurante pugna primum elatum est, forte catholicae Ecclesiae aliquid praeter intentionem significavit!

Urbe capta, luctuosa quaedam rerum commutatio facta est: namque illico apparuerunt turbulenti hominum greges, qui elala fronte per Urbem vagati sunt, quin scires unde prodierint; atque ex infimis Urbis angulis, pecunia diffusa, turbae quoque concitatae sunt, quae, plebeio strepitu, ululatibus et vexillis, horrorem honestis civibus inferebant, ita ut unicum , quod superesse videretur tutamen, esset, signa edere consolationis per vexilla italica ad fenestras et noctu lumina.

At vero si iactatae populares aspirationes, ut regius Legatus Pontifici retulerat, italico Gubernio, iuxta morem, titulum dederant ad Romam armis aggrediendam , postquam Roma capta est, eiusmodi titulus eidem Gubernio vanus visus est ad patratum facinus cohonestandum. Quaerendum itaque erat umbraculum in Italia iampridem usitatum, quod oculis eorum, qui legere nesciant aut nolint, tamquam liber et documentum authenticum exhiberetur, quo sub aliqua ratione facinus cohonestatum appareret.

Quamobrem ad plebiscitum die secunda Octobris celebrandum, magno plebeio strepitu maximoque extraneorum adventu ex diffusa pecunia, fuimus invitati (quo titulo qua facultate ignoramus), ut suffragium daremus pro coniunctione nostra Gubernio italici Regis. Quasi vero errantes per silvas sine Rege essemus Subalpinum inhiantes Regem! Haec quae scribimus tam puerilia in se fuerunt, ut ad indignationem moveat consideratio, quod in huiusmodi latrocinali facto in sinu Romani populi iniuria concitato, illico, magna verborum pompa, collocata fuerit spontanea adhaesio populi romani Gubernio italico. Romanus populus, de omnibus honestis civibus loquor, die plebisciti in suis domibus, et quidem intimis cubiculis, conclusus permansit, iniustitiam iniquitatemque causae apprime cognoscens, modumque latrocinalem perhorrescens.

Haec quidem de romanis aspirationibus *in facto* consideratis, quas nostri moderatores in oculos imperitorum tamquam pulverem iniicere solent, ut suam tueantur causam.

Sed breviter videamus quoque, quid *in facto* sint italicae aspirationes, quas Legatus regius iactavit, priusquam eas *iuridice* consideremus.

DE ASPIRATIONIBUS ITALICI POPULI IN FACTO CONSIDERATIS

Tamquam titulus ad Urbem rehquasque pontificias provincias armis aggrediendas exhibita fuit aspiratío popularis cui resisti non posset.

Ad falsitatem huius oropositio-

nis ostendendam satis est oculos coniicere in publica facta, quorum nonnulla tantum commemorabo. Primum est, itálicos populos, iis exceptis atheis, qui partem aliquam in regimine italico habent vel ad illud aspirent, esse catholicos, ideoque non aspiratores ad aliena iura invaderla, multoque minus ad usurpanda iuraApostolicae Sedis; hi enim non modo Pontifici non bellarent, sed potius pro Pontifice sanguinem profunderent. Indicia huius rei deprehendes quoque in ipsis militibus, qui Romam missi sunt, quorum plurimos percontati audivimus, se Romam iussos venisse, quod Romanus Pontifex eos vocasset, ad eius tutelam, ad ordinem Romae constituendum , ignorantes prorsus se tamquam hostes eiusdem venturos. Immo summa veneratione videre cupiebant Romanum Pontificem, quem, quum videre esset impossibile, innumeras emerunt eiusdem imagines, quas dixi, ut pietatis causa ad suos mitterent. Ita simplices milites, qui praeterea de imposito iugo deque italico regimine maximopere querebantur.

Alterum itemque publicum factum est, longe maximam atque saniorem italici populi partem numquam voluisse sese immiscere in eligendis Deputatis ad italicum regimen, quamquam Magistratus interventum eiusdem sanioris partis optaret, ne regale solium per furentes demagogos periclitaretur.

Alia denique facta, eaque frequentissima, sunt innumerae significationes realis obsequii Romano Pontifici exhibitae, quoties Gubernium italicum aliquam ediderit legem vel facinora patraverit, quae Ecclesiae catholicae iura procacius violarent. Dixi *realis obsequii,* ne forte intelligatur illud, quod *Iansenisticum* obsequium appellamus, quodque ostendit Romae Legatus regius. De reali obsequio Romano Pontifici indesinenter exhibito ab omni personarum genere argumenta praeclara extant in catholicis Italiae ephemeridibus; nominatim vero in illis Taurinensibus, de causa catholica optime atque praeclarissime meritis, quibus titulus *Unità cattolica:* satis est eas ephemerides oculis percurrere , ut sub uno veluti aspectu conspiciatur quot modis italici populi aspirationes suas manifestaverint pro Romani Pontificis causa, quot quantaeque oblationes ex integra Italia, omni ope fere exhausta, delatae fuerint ab omni personarum genere in signum pro testati o n is contra patrata a Gubernio facinora.

Ceterum cuilibet intelligenti patet, italicum populum non potuisse aspirare ad Urbem ceterasque Pontificias provincias sibi iungendas, nisi forte ut suam profunderet felicitatem, quam ex Gubernio italico habeat. At enim, quis dicere audebit felicem eum populum, qui vectigalibus innumerabilibus indesinenter extenuatur? quique sub libertatis specie contumeliis, vindictis, perditissimorum hominum factionibus divexa-

tur? qui splendore Religionis quam profitetur, destituitur, Ecclesiae patrimonio subrepto, Ministris Religionis in summam egestatem redactis atque dispersis, Religiosis Institutis suppressis, ex quibus pauperes sua quoque solatia nanciscebantur? Quis felicem eum populum dicet, qui eo ducitur et instituitur, ut non solum vera religione privetur, sed ut sensum quoque naturalis honestatis atque iustitiae amittat, nulla alia cognita lege, nulla auctoritate admissa, praeter eam, quam timor poenae observare faciat?

Itaque nisi dicere audeas, Italicum populum tyrannum, qui in propriam calamitatem sibi trahere voluisset reliquam populi partem vera civili felicitate atque libertate fruentem, aspirationes, si quae fuerint, esse quidem non poterant ad Romam ceterasque provincias sibi iungendas; sed e converso ad se Romae iungendum, ut libertate atque felicitate iure debita et ipse italicus populus ffueretur,

Quamquam haec quae de populo Italico innui universim vera atque perspecta sint; tamen negari non potest, in ipso italico regimine quamdam esse virorum turbam in duas veluti factiones divisam, quarum una paullo moderatior, altera vero satanica. Hisce elementis constat regimen illud, quod universum populum repraesentare impudenter dicitur. Factio autem, quam dixi satanicam, ea est, quae moderatiorem fictionem facile vincit sive strepitu, sive actione, multoque melius logica consecutione ex principiis socialibus, quae ex Gallia proficiscentia Gubernium illud palam profitetur.

Haec autem satanica factio illa est, quae suis principiis omnia subvertit quidquid christianitatem sapiat, omnes spernit aeternas rectitudinis et iustitiae leges: illa uno verbo est, quae nunquam quiescens (quin sciat quid ultimo tandem, praeter omnium destructionem , constituere quaerat), Regibus et Guberniis utitur tamquam instrumentis ad suos proximos, quos cogitat, fines consequendos (1); quaeque Romam, prae altera factione, vehementius concupivit Romanumque Pontificem, quem Utpote aeternae iustitiae magistram perpetuo odio prosequitur.

DE POPULARIBUS ASPIRATI0NIBM8 IURIDICE CONSIDERATIS

Qui rationem, quam Peus naturae auctor homini indidit, penitus non obscuraverit, primo intuitu intelligit, aspirationes ad aliquid consequendum ius nullum per se tribuere: intelligit videlicet, aspirationes et vota non esse titulum ad habendum id ad quod homines aspirant. Omnes qui in iudicio contendunt ad rem controversam aspirant; nihilominus Iudex ad normam iustitiae rem adiudicare tenetur.

(1) De hisce hominibus nonnulla scripsi in *Yol. 1 pag. 2 9 2 in* ***Adnotat.***

Sed eiusmodi veritas humano generi, hominibus quoque silvestribus compertissima, obscuratur vehementer a perditis huius aetatis hominibus sophismatum ope.

Exponam in quo sophismata consistant eorumdemque consecutiones.

Aspirat naviga tor ad portum, aspirat viator ad patriam , aspirant pueri ad ludos, aspirant iuvenes ad delicias , aspirant viri ad honores, aspirant senes ad pecunias, aspirant iusti ad caelum u e converso aspirat fur ad furtum, vindica tor ad vindictam, calumniator ad calumnias.

Omnes in hoc vitae stadio tum boni tum mali indesinenter ad aliquid aspiramus. Aspiratio enim est actus, quo felicitatem nostratn, cui nec renunciare possumus, sive bene sive male proxime vel remote quaerimus.

Aspiratio in abstracto considerata, quatenus est propensio naturalis ad propriam felicitatem inter naturalia hominis iura locum obtinet.

Haec est veritatis quaedam particula omnibus comperta: sed quia veritas est omnibus comperta ideo sustentandum est sophismatum: namque sophismata non dantur nisi aliquam commixtam habeant veritatem qua falsae consecutiones tegantur: quia autem non est plena eiusdem generis veritas, sed tantum veritatis particula, ideo consecutiones illusorie ex ea facile deducuntur.

Quum itaque propensio naturalis ad propriam felicitatem inter naturalia hominis iura locum obtineat, illico sophistice inferunt: ergo quantum patet naturalis illa propensio tantum patet facultas agendi.

Propensio illa tantum patet seu tantum protenditur, quantum patet atque protenditur felicitatis obiectum, quod est bonum indefinitum: ergo quidquid, sub aliqua ratione boni, voluntati repraesentatur est obiectum ad quod iure facultas agendi extendi potest: ergo nostra agendi facultas seu libertas illimitata est.

Si itaque libertas nostra illimitata est, nemo potest sine tyrannide hanc libertatem limitare ; limitaret enim propensionem nostram naturalem ad felicitatem.

Ergo Princeps ex se non habet auctoritatem nobis leges indicendi poenasque infligendi: limitaret enim naturalem hominis agendi facultatem.

Ergo in humano consortio talis Princeps esse non debet, sed populus Princeps sibi est.

Populus ergo eliget aliquos qui suas repraesentent propensiones et aspirationes quas illi sustinebunt.

Hi populi Repraesentatores tantum poterunt, quantum eis permittunt eligentium aspirationes et propensiones, quae illis suprema et unica gubernandi norma esse debent: ideoque amovendi tamquam tyranni si aliam sequantur normam : quidquid autem iuxta illam aspirationum popularium normam consti tuant, con? stitutum erit non alio nomine atque potestate quam populi.

Per hanc sophismatum catenam, quae sunt principia socialia nostrae

aetatis, praesertim si verborum pompa exornentur et aliqua auctoritate tradantur, incauti comprehenduntur.

At vero dum ad horum principiorum applicationem progredimur, obstacula gravissima occurrunt, quae superare multi non audent, propterea quod nimis evidens manifestetur naturae humanae iniquitas causae.

Unde videmus in ipso italico regimine duas veluti factiones quas superius innui: alia quae est moderatior sed minus logica; alia vero satanica sed logica: cohaerens nimirum est principiis socialibus admissis.

Ex illis enim principiis sponte sua haec alia fluunt: cives non posse iure cogi ad servandas leges per Repraesentatos populi factas: namque neque populus integer iure potest limitare naturalem facultatem agendi cuiuscumque individui, quum nulla externa lege quisquis teneatur: nemo pariter obligatur ex facto suo suaque promissione; obligatio enim non oritur nisi ex aliquo externo principio quod a voluntate nostra non pendeat : unde illud quoque vulgare principium, *fides est servan^ da,* iuxta exposita sophismata intelligendum est sub hac conditione essentialiter inclusa, *si servare existimabo, si servare velim:* nulla enim externa lege teneor, propterea quod unica mihi agendi norma est in id quod intelligo mihi bonum inclinatio.

Inde rem alteri rapere cuivis ius est; vindictam patrare licitum ; calumniari, bonum. Uno verbo, quidquid appareat nobis bonum, quum sub conceptu universalis boni comprehendatur , appetere possumus , velle et agere; qui nobis id impediret, tyrannus esset, quum nostrae felicitatis assecutionem, ad quam naturaliter tendimus, prohiberet.

En ad quem principiorum censum referuntur populares aspirationes , quas Legatus regius tamquam titulum habendi Romam Summo Pontifici proposuit.

Sed ulterius, eiusmodi principiis constitutis, in quibus continetur socialismus , communismus, naturalismi, vel alia quocumque nomine eiusdem furfuris systemata socialia appellare velis, proximus est gradus ad pantheismum vel atheismum.

Namque, si admittatur Deus tamquam hominis creator, admittenda est tum cuiusque hominis, tum humanae familiae ab eo dependentia; haec autem dependentia vera non esset, si obligationes saltem obsequii et submissionis in Deum non secumferret: ideoque admittendum esset principium externum quod officia nostra naturaliter exigeret, atque proinde libertatem nostram illimitatam limitaret: hic autem Deus si adesset, noster esset tyrannus : ideoque vel non est vel nos ipsi sumus dii.

En quomodo, submoto atque deiecta quovis honestatis freno, incauta praesertim iuventus adicitur, capitur; massae plebeiae concitantur contra id omne quod pacata ratio vehementissime reprobat. Incauta e~ nim iuventus facile movetur per id

omne quod phantasiam alliciat, quod aliquid novitatis exhibeat contra honestatis et rectitudinis ordinem, cuius veritatem et salutares effectus leviter intelligens, tamquam obsoletum et miserandum iugum a maioribus traditum et impositum eum ordinem sibi facile repraesentat.

Frustra autem declamares, Deum ipsum, qui hominem ad felicitatem creavit, eam proposuisse tamquam praemium, quod homines assequerentur si ordinem a se, naturae Auctore, necessario constitutum servarent: eundemque externum ordinem sive erga ipsum Deum , sive erga ceteros homines, sive erga seipsos, aeternum esse nec posse immutari, ideoque ab hominum voluntate non pendere : bonum sine limitibus ad quod naturaliter tendimus, quod expleat desiderium nostrum, in hoc vitae stadio non reperiri, quum oronia limitatissima et plurimis commixta sint maiis: eiusmodi veritates, naturali rationis lumine cognitas, nova splendidissima luce fuisse diffusas per divinam revelationem, cuius infallibilis custos catholica ecclesia est eiusque Caput.

Frustra inquam eiusmodi veritates declamares, quando licentia agendi tutamen et fulcimentum reperiat in ipso societatis regimine, quod in ipsa licentia sustentaculum ponat.

Ex expositis socialibus principiis, haec consequi mihi videntur.

I° Nemo subditorum in conscientia redargui potest, si leges Regni vel Imperii, quatenus tales sunt. violaret. Namque nonnisi duas auctoritates supremas in praesenti rerum ordine cognoscimus, quarum una a Deo dérivât tamquam naturae et societatis humanae Auctore : altera ab eo dérivât tamquam Auctore ordinis supernaturalis. Prima auctoritas competit Regi civili sive bono sive dyscolo, quaecumque fuerit regiminis forma per quam illa ipsa auctoritas, quae a Deo dérivât, administretur seu dispescatur: altera competit catholicae Ecclesiae, cuius regiminis forma constituta est ab eiusdem Ecclesiae Auctore.

Prima itaque auctoritas de qua loquor, si regimen in quo residere posset, deneget eam a Deo derivare, eamque ab alio fonte haurire doceat, quam a Deo, non erit auctoritas, sed erit ad summum aliquod auctoritatis simulacrum; ideoque omnes eius auctoritatis actus, quum non derivent a principio quod obligare in conscientia possit, non videtur in conscientia tamquam reus ille damnandus, qui eiusmodi auctoritatis actus violaret, quamquam de rebus non inhonestis.

2° Supposita eadem gubernandi doctrina, quisquis fuerit, qui nomine populi iuxta expositum sensum regnaret vel imperaret, de iniuria conqueri non posset, si alter quilibet eum subrogaret, qui auctoritatem a Deo derivantem non denegaret, eaque auctoritate populos administrant iuxta aeterna iustitiae principia* in ordine enim naturali sedes illa au > ctoritatis uti vacua occupari posset.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

P I I

DIVINA PROVIDENTIA

P A P A E I X .

E P I S T O L A E N C Y C L I C A

Ad omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, aliosque locorum Ordinarios gratiam et communionem cum Apostolica Sede habentes.

PIUS PP. IX.

Venerabiles Fratres Salutem et Apostolicam Benedictionem.

« Ubi Nos arcano Dei consilio sub hostilem potestatem redacti tristem atque acerbam vicem huius Urbis Nostrae et oppressum armorum invasione civile Apostolicae Sedis Principatum vidimus, iam tum datis ad Vos litteris die prima Novembris anno proxime superiori (1), Vobis ac per Vos toti orbi catholico declaravimus qui esset rerum Nostrarum et Urbis huius status, quibus obnoxii essemus impiae et effrenis licentiae excessibus; et ex supremi officii Nostri ratione coram Deo et hominibus salva ac integra esse velle iura Apostolicae Sedis testati sumus, Vosque et omnes dilectos Filios curis vestris créditos fideles ad divinam Maiestatem fervidis precibus placandam excitavimus. Ex eo tempore mala et calamitates quas prima illa luctuosa experimenta Nobis et huic Urbi praenunciabant, nimium vere in Apostolicam dignitatem et auctoritatem, in Religionis morumque sanctitatem, in dilectissimos subditos Nostros reipsa redundarunt. Quin etiam, Venerabiles Fratres, conditionibus rerum quotidie ingravescentibus, dicere cogimur Sancti Rernardi verbis: Initia malorum sunt haec; graviora timemus (2). Iniquitas enim viam suam tenere

(1) Has litteras encyclicas cum omnibus documentis, quae ad eas referuntur, habes pag. 136 et seqq. — (2) Epist. 243.

pergit et consilia promovet, neque iam valde laborat ut velum obducat operibus suis pessimis quae latere non possunt, atque ultimas ex conculcata iustitia, honestate, religione exuvias referre studet. Has inter angustias, quae dies Nostros amaritudine complent, praesertim dum cogitamus quibus in dies periculis et insidiis fides et virtus populi Nostri subiicitur, eximia merita vestra, Venerabiles Fratres, et dilectorum Nobis fidelium quos cura vestra complectitur, sine gratissimo animi sensu recolere aut commemorare non possumus. In omni enim terrarum plaga exhortationibus Nostris admirabili studio respondentes Christifideles Vosque duces et exempla sequuti, ex infausto illo die expugnatae huius-Urbis assiduis ac ferventibus precibus institerunt, et seu publicis atque iteratis supplicationibus, seu sacris peregrinationibus susceptis, seu non intermisso ad Ecclesias concursu, et ad sacramentorum participationem accessu; sive praecipuis aliis christianae virtutis operibus, ad thronum divinae clementiae perseveranter adire, sui muneris esse putarunt. Neque vero haec flagrantia deprecationum studia amplissimo apud Deum fructu carere possunt. Multa immo ex iis iam profecta bona etiam alia quae in spe et fiducia expectamus, pollicentur. Videmus enim firmitatem fidei, ardorem caritatis sese in dies latius explicantem, cernimus eam sollicitudinem in Christifidelium animis pro huius Sedis et supremi Pastoris laboribus excitatam quam Deus solus ingerere potuit, ac tantam perspicimus unitatem mentium et voluntatum, ut a primis Ecclesiae temporibus usque ad hanc aetatem nunquam splendidius ac verius dici potuerit quam his diebus nostris, multitudinis credentium esse cor unum et animam unam (1). Quo in spectaculo virtutis silere non possumus de amantissimis filiis Nostris huius almae Urbis civibus, quorum ex omni fastigio atque ordine amor erga Nos et pietas itemque par certamini firmitas luculenter eminuit atque eminet, neque solum maioribus suis digna sed aemula animi magnitudo. Deo igitur misericordi immortalem gloriam et gratiam habemus pro vobis omnibus, Venerabiles Fratres, et pro dilectis filiis Nostris Christifidelibus, qui tanta in vobis, tanta in Ecclesia sua operatus est et operatur, effecitque ut, superabundante malitia, superabun-

(1) Act. 4, 32.

daret gratia fidei, caritatis et confessionis. « Quae est ergo spes Nostra et gaudium Nostrum et corona gloriae? Non vos ante Deum? Filius sapiens gloria est Patris. Benefaciat itaque vobis Deus et meminerit fidelis servitii et piae compassionis et consolationis et honoris, quae sponsae Filii eius in tempore malo et in diebus afflictionis suae exhibuistis et exhibetis (1).»

» Interea vero subalpinum Gubernium dum ex una parte Urbem properat Orbi facere fabulam (2), ex altera ad fucum catholicis faciendum et ad eorum anxietates sedandas, in conflandis ac struendis futilibus quibusdam immunitatibus et privilegiis quae vulgo *guarentigie* dicuntur, elaboravit eo consilio, ut haec Nobis sint in locum civilis principatus, quo Nos longa machinationum serie et armis parricidialibiis exuit. De hisce immunitatibus et cautionibus, Venerabiles Fratres, iam Nos iudicium Nostrum protulimus, earum absurditatem, versutiam ac ludibrium notantes in Litteris die 2 Martii p. p. datis ad Venerabilem Fratrem Nostrum Constantinum Patrizi Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem sacri Collegii decanum ac Vicaria Nostra potestate in Urbe fungentem, quae typis impressae protinus in lucem prodierunt (3).

» Sed quoniam subalpini Gubernii est perpetuam turpemque simulationem cum impudenti contemptu adversus Pontificiam Nostram dignitatem et auctoritatem coniungere, factisque ostendit Nostras protestationes, expostulationes, censuras pro nihilo habere; hinc minime obstante iudicio de praedictis cautionibus a Nobis expresso, illarum discussionem et examen apud supremos Regni Ordines urgere et promovere non destitit, veluti de re seria ageretur. Qua in discussione cum veritas iudicii Nostri super illarum cautionum natura et indole, tum irritus hostium in vèlanda earundem malitia et fraude conatus luculenter apparuit. Certe, Venerabiles Fratres, incredibile est, tot errores catholicae fidei ipsisque adeo iuris naturalis fundamentis palam repugnantes, et tot blasphemias, quot ea occasione prolatae sunt, proferri potuisse in media hac Italia, quae semper catholicae Religionis cultu et Apostolica Romani Pontificis Sede potissimum gloriata est et gloriatur; et revera, Deo Ecclesiam suam protegente, omnino alii sunt sensus, quos reipsa fovet longe maxima Italorum

(1) S. Bern. ep. 238 et 130. — (2) S. Bern. ep. 2Í3. — (3) Eiusmodi litteras habes infra pag. 264 et seqq.

pars, quae novam hanc et inauditam sacrilegii formam Nobiscum ingemit ac deplorat, et insignibus ac in dies maioribus suae pietatis argumentis officiisque Nos docuit uno se esse spiritu et sensu cum ceteris Orbis Fidelibus consociatam.

« Quapropter Nos iterum hodie ad Vos voces Nostras convertimus, Venerabiles Fratres, et quamquam Fideles vobis commissi sive litteris suis sive gravissimis protestationum documentis aperte significaverint quam acerbe ferant eam qua premimur conditionem et quam longe absint ut iis eludantur fallaciis quae cautionum nomine teguntur; tamen Apostolici Nostri Officii munus esse ducimus ut per Vos toti Orbi solemniter declaremus, non modo eas quae cautiones appellantur quaeque Gubernii Subalpini curis perperam cusae sunt, sed, quicumque tandem sint, titulos, honores, immunitates et privilegia et quidquid cautionum seu ***guarentigie*** nomine veniat, nullo modo valere posse ad adserendum expeditum liberumque usum divinitus Nobis traditae potestatis et ad tuendam necessariam Ecclesiae libertatem.

» His ita se habentibus, quemadmodum pluries declaravimus et professi sumus, Nos absque culpa violatae fidei, iuramento obstrictam nulli adhaerere conciliationi posse quae quolibet modo iura Nostra destruat aut imminuat, quae sunt Dei et Apostolicae Sedis iura; sic nunc ex debito officii Nostri declaramus nunquam Nos admissurds aut accepturos esse nec ullo modo posse, excogitatas illas a Gubernio Subalpino cautiones seu ***guarentigie*** quaecumque sit earum ratio, neque alia quaecumque sint eius generis et quocumque modo sancita, quae specie muniendae Nostrae sacrae potestatis et libertatis Nobis oblata fuerint in locum et subrogationem civilis eius Principatus, quo divina Providentia Sanctam Sedem Apostolicam munitam et auctam voluit, quemque Nobis confirmant tum legitimi inconcussique tituli, tum undecim et amplius saeculorum possessio. Plane enim cuique manifesto pateat necesse est quod, ubi Romanus Pontifex alterius Principis ditioni subiectus foret, neque ipse revera amplius **in** politico ordine suprema potestate praeditus esset, neque posset, sive persona eius sive actus Apostolici ministerii spectentur, sese eximere ab arbitrio illius, cui subesset, imperantis, qui etiam vel haereticus vel Ecclesiae persecutor evadere posset, aut **in** bello adversus alios Principes vel **in** belli statu versari. Et sane, ipsa haec

concessio cautionum, de quibus loquimur, non per se ipsa luculentissima documento est, Nobis quibus data divinitus auctoritas est leges ferendi ordinem moralem et religiosum spectantes, Nobis, qui naturalis ac divini iuris interpretes in toto orbe constituti sumus, leges imponi, easque leges, quae ad regimen universae Ecclesiae referuntur, et quarum conservationis ac exequutionis non aliud est ius quam quod voluntas laicarum potestatum praescribat ac statuat? Quod autem ad habitudinem pertinet inter Ecclesiam et Societatem civilem, optime nostis, Venerabiles Fratres, praerogativas omnes et omnia auctoritatis iura ad regendam universam Ecclesiam necessaria Nos in persona Beatissimi Petri ab ipso Deo directe accepisse, immo praerogativas illas ac iura, aeque ac ipsam Ecclesiae libertatem, sanguine Iesu Christi parta fuisse et quaesita, atque ex hoc infinito divini sanguinis eius pretio esse aestimanda. Nos itaque male admodum, quod absit, de divino Redemptoris Nostri sanguine mereremur si haec iura Nostra, qualia praesertim nunc tradi vellent adeo deminuta ac turpata, mutuaremur a Principibus terrae. Filii enim, non domini Ecclesiae sunt Christiani Principes; quibus apposite inquiebat ingens illud sanctitatis et doctrinae lumen Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus: « Ne putetis vobis Ecclesiam Dei quasi domino ad serviendum esse datam, sed sicut advocato et defensori esse commendatam; nihil magis diligit Deus in hoc mundo quam libertatem Ecclesiae suae (1).» Atque incitamenta eis addens alio loco scribebat: « Nunquam aestimetis vestrae celsitudinis minui dignitatem, si Sponsae Dei et Matris vestrae Ecclesiae amatis et defenditis libertatem, ne putetis vos humiliari si eam roboratis. Videte, circumspicite; exempla sunt in promptu, considerate Principes qui illam impugnant et conculcant, ad quid proficiunt, ad quid deveniunt? satis patet, non eget dictu. Certe qui illam glorineant, cum illa et in illa glorificabuntur (2).»

» Iamvero ex iis quae alias ad vos, Venerabiles Fratres, et modo a Nobis exposita sunt, nemini profecto obscurum esse potest, iniuriam huic S. Sedi hisce acerbis temporibus inlatam in omnem Christianam Rempublicam redundare. Ad omnem enim, uti aiebat S. Bernardus, spectat Christianum iniuria Apostolorum glorioso-

(1) Ep. 8 1. 4. - (2) Ep. 12 1. 4.

rum scilicet Principum terrae; et cum pro Ecclesiis omnibus, uti inquiebat praedictus S. Anselmus, Romana laboret Ecclesia, quisquis ei sua aufert, non ipsi soli sed Ecclesiis omnibus sacrilegii reus esse dignoscitur (1). Nec profecto ulli dubium esse potest quin conservatio iurium huius Apostolicae Sedis cum supremis rationibus et utilitatibus Ecclesiae universae et cum libertate Episcopalis ministerii vestri arctissime coniuncta sit et illigata.

» Haec omnia Nos, ut debemus, reputantes et cogitantes, iterum confirmare constanterque profiteri cogimur, quod pluries Vobis Nobiscum unanimiter consentientibus declaravimus, scilicet civilem S^Sedis Principatum Romano Pontifici fuisse singulari divinae Providentiae consilio datum, illumque necessarium esse ut idem Romanus Pontifex nulli unquam Principi aut civili Potestati subiectus supremam universi Dominici gregis pascendi regendique potestatem auctoritatemque ab ipso Christo Domino divinitus acceptam per universam Ecclesiam plenissima libertate exercere, ac maiori eiusdem Ecclesiae bono, utilitati et indigentiis consulere possit. Id vos, Venerabiles Fratres, ac vobiscum Fideles vobis crediti probe intelligentes, merito omnes ob causam Religionis, iustitiae et tranquillitatis, quae fundamenta sunt bonorum omnium, commoti estis, et digno spectaculo fidei, caritatis, constantiaë, virtutis illustrantes Ecclesiam Dei, ac in eius defensionem fideliter intenti, novum et admirandum in annalibus eius exemplum in futurarum generationum memoriam propagatis. Quoniam vero misericordiarum Deus istorum bonorum est auctor, ad ipsum elevantes oculos, corda et spem Nostram Eum sine intermissione obsecramus, ut praeclaros vestros et fidelium sensus, et communem pietatem, dilectionem, zelum confirmet, roboret, augeat; Vosque item et commissos vigilantiae vestrae populos enixe hortamur ut in dies firmius et uberius quo gravius dimicatio fervet, Nobiscum clamètis ad Dominum, quo ipse propitiationis suae dies maturare dignetur. Efficiat Deus ut Principes terrae, quorum maxime interest ne tale usurpationis quam Nos patimur exemplum in perniciem omnis potestatis et ordinis statuatur et vigeat, una omnes animorum et voluntatum con-

(1) **Ep. 42** 1. 3.

sensione iungantur, ac sublatis discordiis, sedatis rebellionum perturbationibus, disiectis exitialibus sectarum consiliis, coniunctam operam navent ut restituantur huic S. Sedi sua iura, et cum iis visibili Ecclesiae Capiti sua plena libertas, et civili societati optata tranquillitas. Nec minus, Venerabiles Fratres, deprecatione vestra et Fidelium apud divinam clementiam exposcite, ut corda impiorum, caecitate mentium depulsa, ad poenitentiam convertat antequam veniat dies Domini magnus et horribilis, aut reprimendo eorum nefanda consilia ostendat quam insipientes et stulti sunt qui petram a Christo fundatam evertere et divina privilegia violare conantur (1). In his precibus spes Nostrae firmius in Deo consistant. « Putatisne avertere poterit Deus aurem a carissima Sponsa sua, cum clamaverit stans adversus eos qui se angustiaverunt? Quomodo non recognoscet os de ossibus suis et carnem de carne sua, imo vero iam quodammodo spiritum de spiritu suo? Est quidem nunc hora malitiae et potestas tenebrarum. Ceterum hora novissima est et potestas cito transit. Dei virtus et Dei sapientia Christus nobiscum est qui et in causa est. Confidite,, ipse vicit mundum (2).» Interim vocem aeternae veritatis magno animo et certa fide sequamur quae dicit: Pro iustitia agonizare pro anima tua, et usque ad mortem certa pro iustitia, et Deus expugnabit pro te inimicos tuos (3).

» Uberrima demum caelestium gratiarum munera Vobis, Venerabiles Fratres, cunctisque Clericis Laicisque fidelibus cuiusque Vestrum curae concreditis a Deo ex animo adprecantes, precipuae Nostrae erga Vos atque Ipsos intimaeque caritatis pignus Apostolicam Benedictionem Vobis iisdemque dilectis Filiis peramanter impertimus.

» Datum Romae apud S. Petrum uie decimaquinta Maii anno Domini MDCCCLXXI. Pontificatus Nostri Anno Vicesimoquinto.»

PIUS PP. IX.

(I) S. Gregor. VII ep. 61. S. — (2) S. Bern. ep. 126 n. 6 et 14. —(3) Eccl. 4, 33.

EPISTOLA SANCTISSIMI PATRIS

AD EMINENTISSIMUM CARDINALEM URBIS VICARIUM DATA DIE 2 MARTII 1871, QUAE COMMEMORATUR IN LITTERIS ENCYCLICIS MODO RELATIS.

Venerabile Fratello Nostro, Salute ed Apostolica Benedizione.

DOCUMENTUM. «La Chiesa di Dio, quale Regina abbigliata di gemmate vesti siccpme fa decorata dello splendido ornamento di diversi Ordini Regolari, così si valse sempre della attività loro a propagare la gloria del nome di Dio, a spedire gli affari concernenti il popolo fedele e ad introdurre o promuovere nelle nazioni la civiltà. Quindi è che quanti furonvi nemici della Chiesa tutti acerbamente perseguitarono gli Ordini Regolari, e fra questi principalmente accaneggiaronola Compagnia di Gesù, come quella che stimarono più operosa, e perciò alle loro mire più infesta. Ciò vediamo con dolore ripetersi al presente, mentre gli usurpatori del Nostro Stato agognando ad una preda sempre fatale ai rapitori, pare che vogliano dalla Compagnia di Gesù esordire la

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

VERSIO. ***Ecclesia Dei, tamquam Regina gemmatis vestibus ornata, quemadmodum conspicuo nonnullorum Ordinum Regularium ornamento est decorata; ita ipsorum semper opera usa est, ad Dei nominis gloriam propagandam, ad negotia conficienda quae fidelem populum respicerent, et ad nationum civilitatem inducendam fovendamve. Hinc est, ut quotquot umquam Ecclesiae hostes exstitere, omnes acriter Regulares Ordines insectati sint, hosque inter praeprimis Societatem Iesu rabide petierint, quippe quae et operosiorem et ipsorum finibus infensiorem autumarunt. Hoc quoque in praesentiarum non sine animi dolore cernimus renovari, dum Ditionis Nostrae usurpatores exitialem semper raptoribus praedam inhiantes, a Societate Iesu videntur velle exordire religiosarum***

soppressione di tutte le famiglie religiose. Al qual delitto per farsi strada le vanno concitando contro l'odio del popolo, e l'accusano di inimicizia col presente Governo, e soprattutto di tale influenza e potere presso Noi, che ci sopraffaccia per guisa,"da nulla fare che non ci venga suggerito da lei e da renderci più ostili allo stesso Governo. La quale sciocca calunnia se volgesi in sommo dispregio di Noi, che veniamo riputati inetti del tutto ed incapaci di prendere una qualunque risoluzione, è poi manifestamente assurda, conoscendo tutti che il Romano Pontefice, dopo aver implorato il lume e la grazia divina, fa ed ordina ciò che stima giusto ed utile alla Chiesa: e che negli affari più gravi suole valersi dell'opera di quelli, siano pure di qualunque grado, condizione, od Ordine Regolare, i quali essendo più periti della materia di cui trattasi, pensa che possano emettere un parere più savio e prudente. Spesso certamente ci serviamo anche dei Padri della Compagnia ed affidiamo loro diversi officii, massimamente quelli che riguardano il ministero sacro; ed essi nell'eseguirli ci mostrano sempre più chiaramente quello zelo ed

omnium Domuum exstinctionem. Ad huiusmodi porro crimen ut viam sibi patefaciant, populi in Ulam odium student concitare, eamque accusant inimicitiae in praesens Gubernium, talisque imprimis apud Nos auctoritatis ac potestatis, quae Nos ita opprimat, ut nihil prorsus agamus, quod ipsa non suaserit, utque Gubernio ipsi infensiores per illam efficiamur. Quae quidem stulta sycophantia quum summo Nostrum vertitur despectui, ut inepti omnino ac minime idonei existimemur ad consilium aliquod capessendum, tum absurda manifesto est, quum nemo unus ignoret, Romanum Pontificem, postquam lumen divinamque gratiam flagitaverit, agere ac statuere quod aequum et Ecclesiae utile videatur, et in gravioris momenti rebus eorum opera uti solere, cuiuscumque tandem gradus, conditionis vel Regularis Ordinis sint, quos, quum rei, qua de agitur, periti magis sint, sapientiorem ac prudentiorem putat sententiam esse dicturos. Saepe quidem Societatis quoque Patribus utimur, iisque varia committimus officia, praesertim vero quae sacrum ministerium respiciunt; ipsi autem in illis conficiendis studium illud ac sollicitudinem Quotidie clarius Nobis patefaciunt,

impegno, pei quali frequenti ed amplissime Iodi meritarono dai nostri Predecessori. Ma il Nostro affetto e stima giustissima della Compagnia, che tanto bene ha meritato sempre della Chiesa, di questa Santa Sede e del popolo cristiano, è ben lungi da quel servile ossequio che fantasticano i nemici di lei; la calunnia dei quali sdegnosamente rigettiamo da Noi e dalla umile divozione degli ottimi Padri. Abbiamo giudicato opportuno, Venerabile Fratello Nostro, il significarvi queste cose, affinchè siano poste in chiaro le insidie tese alla Compagnia, il pensar Nostro sconciamente e scioccamente travolto sia raddrizzato, ed alla medesima inclita Compagnia sia dato un nuovo attestato della Nostra particolare affezione.

» Ci piacerebbe al certo, cogliendo questa occasione, l'intrattenervi più a lungo delle sempre crescenti cause del Nostro dolore; ma siccome tanta ne è la copia da non potersi racchiudere nei termini di una lettera, toccheremo del solo trovato delle concessioni che dicono ***guarentigie,*** nel quale mal si saprebbe se primeggi l'assurdità, o l'astuzia, o il ludibrio, ed intorno a cui già

ob quae a Nostris Praedecessoribus frequentes sunt amplissimasque laudes consequuti. At vero benevolentia Nostra et iustissima aestimatio de Societate, quae tam pulchre semper de Ecclesia, de hac Sancta Sede, et de christiano populo merita est, quam maxime abest a servili illo obsequio, quod adversarii eius somniantur; quorum quidem calumniam a Nobis et ab humili Patrum optimorum devotione indignanter reiicimus. Ad rem Nobis, Venerabilis Frater, visum est, haec tibi significare, ut slruclae adversus Societatem patescant insidiae, sententia Nostra, turpiter insipienterque inversa, dirigatur, ipsi demum inclytae Societati novum peculiaris Nostrae benevolentiae pignus exhibeatur.

Pergratum certe Nobis accideret, hanc captantes occasionem te diutius immorari in recensendis doloris Nostri causis, quae magis magisque in dies adaugentur: sed quoniam tanta est illarum copia, ut epistolae limites praetergrediatur, concessionum tantum inventum attingemus, quae cautiones ***vulgo audiunt, in quo ne scires quidem, num principem obtineat locum absurditas, aut calliditas, aut ludibrium, in illudque iamdiu Subalpini Gubernii mo-***

da molto tempo laboriosa ed inutile opera spendono i rettori del Subalpino Governo. Imperocché dalle comuni proteste dei cattolici, e dalla politica necessità costretti a mantenerci una qualche apparenza del sovrano Nostro potere, onde non dobbiamo essere stimati sottoposti ad alcuno nell'esercizio del supremo reggimento della Chiesa, hanno creduto potere raggiungere questo scopo per mezzo di concessioni. Ma richiedendo, di sua natura, la concessione nel concedente una potestà sopra quello cui si concede, ed assoggettando questo, almeno relativamente alla cosa concessa, al potere ed all'arbitrio di lui, necessariamente ne segue, che costoro perdono l'opera in puntellare la Nostra sovranità con quei mezzi che la sovvertono e distruggono. L'intrinseca natura poi delle concessioni è tale, che ognuna di esse porta seco una particolare servitù; la quale è resa anche più dura dalle emendazioni posteriormente arrecatevi. E infine lo spirito frodolento ed ostile che, quantunque insidiosamente velato, ne emerge, viene siffattamente rischiarato dalla continua serie dei fatti, che imprime loro un evidente carattere di scherno. Ma se la Chiesa deve in sè esprimere l'immagine del divino suo Autore, non dovremo

deratores laboriosam inanemque operam impendunt. Ex communibus enim Catholicorum contestatis denuntiationibus atque ex politica necessitate adacti ad speciem aliquam supremae Nostrae potestatis Nobis servandam, ne cui subiecti in supremi Ecclesiae regiminis exercitio videamur, hunc se scopum per concessiones attingere posse existimarunt. Sed quum concessio potestatem aliquam in concedente erga illum, cui conceditur, suapte natura inquirat, huncque eius potestati et arbitrio, saltem quoad rem concessam, subiiciat, necessario sequitur, operam ab istis insumi in imperio Nostro iis mediis fulciendo, quae ipsum evertant delentque. Intrinseca insuper natura concessionum ea est, ut ipsarum Unaquaeque specialem secum ferat servitutem, quae longe quoque durior efficitur ex posterioribus additis emendationibus. Fraudulentus postremo et hostilis spiritus, qui, quamvis insidiose coloratus, ex illis emergit, ex continua factorum serie adeo illustratur, ut evidentem contumeliae characterem illis inurat. Quod si divini Auctoris sui imaginem in se debet Ecclesia referre, nonne debebimus Nos, qui, licet imme-

Noi, che, quantunque immeritevoli, sulla terra rappresentiamo Gesù Cristo, rendergli grazie perchè permette che Noi ancora siam circondati di schernevoli insegne di regno? Egli al certo così vinse il mondo; e così pure per mezzo della sua sposa la Chiesa ne trionferà di nuovo.

» Intanto, Venerabile Fratello Nostro, vi preghiamo abbondanza di celesti grazie, ad arra delle quali, ed a pegno della particolare benevolenza Nostra vi compartiamo amorevolmente l'Apostolica Benedizione.

» Dato a Roma, presso S. Pietro, il dì 2 Marzo dell'anno 1871, vigesimo quinto del Nostro Pontificato.»

PIO PP. IX.

rentes, Iesu Christi in terris vices gerimus, gratias Ipsi rependere, quod Nos quoque sinat iniuriosis imperii insigniis circumdari? Ita sane mundum ipse vicit; atque ita pariter per sponsam suam Ecclesiam de illo iterum referet triumphum.

Tibi interim, Venerabilis Frater, caelestium gratiarum copiam adprecamur; quarum quidem arrham, ac peculiare benevolentiae Nostrae pignus Apostolicam tibi Benedictionem peramanter impertimur.

Batum Romae apud S. Petrum die secunda Martii MDCCCLXXL Pontificatus Nostri anno XXV.

PIUS PP. IX.

ALIA EPISTOLA ENCYCLICA

De faustissimo eventu, quem post Beatissimum Petrum Apostolorum Principem nemo Successorum vidit, quemque fidentissime habemus ut arrham imminentis Ecclesiae triumph[1] quam Deus completurus erit, qui tot tantasque preces atque pietatis opera in universo catholico Orbe praeter hominum memoriam in Romani Pontificis atque universae Ecclesiae exaltationem excitare dignatus est.

PIUS PAPA IX.

Venerabiles Fratres, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

« Beneficia Dei ad celebrandam eius benignitatem Nos vocant, dum novam in Nobis protectionis suae gratiam et Maiestatis suae gloriam ostendunt. Quintus enim et vicesimus iam dabitur annus ex quo Apostolatus huius Nostri, Deo disponente, ministerium suscepimus, cuius aerumnosa tempora perspecta ita sunt vobis, ut longiori Nostra commemoratione non egeant. Vere patet, Venerabiles Fratres, ex serie tot eventuum militantem Ecclesiam inter crebra certamina et victorias cursum tenere; vere Deus rerum vices temperat ac regit in Orbe, qui est scabellum pedum suorum; vere infirmis et contemptibilibus saepe instrumentis utitur, ut inde consilia expleat sapientiae suae.

» Iesus Christus Dominus Noster, auctor et supremus moderator Ecclesiae, quam acquisivit sanguine suo, suffragantibus meritis Beatissimi Petri Apostolorum Principis, qui in hac Romana Sede semper vivit ac praesidet, diuturno hoc Apostolicae Nostrae servitutis tempore infirmitatem ae tenuitatem Nostram sua gratia ac virtute ad maiorem sui nominis gloriam et populi sui utilitatem dignatus est regere et sustentare. Hinc Nos divino eius auxilio suffulti, constanterque usi consiliis Ven. Fratrum Nostrum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium et non semel vestris etiam, Ven. Fratres, qui simul hic Romae magna frequentia Nobiscum adfuistis, hanc veritatis cathedram vestrae virtutis et una-

nimis pietatis splendore decorantes, potuimus in huius Pontificatus cursu ex Nostris et catholici Orbis votis Conceptionem Deiparae Virginis Immaculatam dogmatica definitione declarare, ac pluribus Religionis Nostrae Heroibus Caelestes honores decernere, quorum et praesertim divinae Matris praesidia Catholicae Ecclesiae tam adversis eius temporibus praesto esse futura non dubitamus. Divinae pariter opis fuit et gloriae, ut verae fidei lumen in dissitas et inhóspitas etiam regiones evangelicis operariis missis proferre possemus, in pluribus locis ecclesiasticae Hierarchiae Ordinem constituere, et errores humanae rationi bonisque moribus et rei tum christianae tum civili adversos hac praesertim aetate invalescentes solemni condemnatione configere. Deo pariter auxiliante, firmo ac solido, quantum poteramus, concordiae vinculo ecclesiasticam et civilem potestatem sive in Europae sive in Americae partibus inter se consociare pluribusque Orientalis Ecclesiae, quam ab initio Apostolici Nostri ministerii paterno semper cum affectu respeximus, necessitatibus consulere curavimus; ac non ita pridem Oecumenici Vaticani Concilii opus aggredi et promovere Nobis datum est, cuius tamen dum maximi fructus partim suscepti erant, partim expectabantur ab Ecclesia ob notissimas rerum vices suspensionem decernere debuimus.

» Nec vero, Venerabiles Fratres, quae civilis Nostri imperii ius et officium poscebant, ea unquam, Deo donante, exequi praetermisimus. Gratulationes et plausus, ut meministis, qui initii Nostri Pontiiicatus exceperunt, brevi in iniurias et oppugnationes adeo conversi fuerunt, ut Nos e dilectissima hac Urbe Nostra exulare coegerint. At vero ubi communibus catholicorum populorum et Principum studiis et viribus adnitentibus, Pontificiae huic Sedi restituti fuimus, continuo omnes Nostras vires et studia contulimus ad promovendam et conciliandam fidelibus Nostris subditis solidam illam et non fallacem prosperitatem, quam uti gravissimum civilis Nostri Principatus munus semper agnovimus. At vero vicini Potentis cupiditas temporalis Nostrae dominationis regionibus inhiavit, consilia sectarum perditionis paternis Nostris atque iteratis admonitionibus et vocibus obstinate praeposuit, et novissime, ut vobis compertum est, Filii illius Prodigi, de quo m Evangelio legimus, impudentiam longe supergressus hanc quoque Urbem Nostram, quam sibi postulabat, vi et armis expugna-

vit, eamque nunc in sua potestate contra omne fas retinet, veluti substantiam, quae ipsum contingat. Fieri non potest, Venerabiles Fratres, quin vehementer ob hanc tam nefariam usurpationem quam patimur, moveamur. Angimur omnino tanta iniquitate consilii quod eo spectat, ut civili Nostro Principatu deleto, una eademque opera, si ita evenire posset, spiritualis Nostra potestas et Christi Regnum in terris deleatur. Angimur tot gravium malorum adspectu, eorum praesertim quibus aeterna populi Nostri salus in discrimen vocatur; qua in acerbitate nihil Nobis est luctuosius quam oppressae Nostrae libertatis conditione impediri quominus tot malis necessaria remedia adhibeamus. Hisce moeroris Nostri causis, Venerabiles Fratres, accedit etiam longa illa et miseranda series calamitatum et malorum quae Nobilissimam Gallicam Nationem tamdiu perculerunt et afflixerunt; quae in immensum his diebus aucta tot prorsus inauditis excessibus ab efferata ac perdita hominum colluvie patratis, atque atrox nominatim impii parricidii scelus in caede Venerabilis Fratris Parisiensis Antistitis consummatum probe intelligitis quos sensus in Nobis commovere debuerint, cum totum Orbem metu atque horrore compleverint. Est demum et alia Nobis, Venerabiles Fratres, ceteris etiam maior amaritudo, cum videamus tot rebelles filios tot tantisque censurarum laqueis obstrictos nulla paternae Nostrae vocis, nulla salutis suae ratione habita pergere adhuc oblatum a Deo poenitentiae tempus contemnere, et divinae ultionis iram contumaciter, quam misericordiae fructum in tempore malle experiri.

» Iam vero per tot rerum vicissitudines, Deo clementissime Nos protegente, natalitium illum Nostrae provectioni^ diem iam adesse videmus, in quo sicuti in Beati Petri Sede successimus, sic licet eius meritis quam longissime impares annorum eius in Apostolicae servitutis diuturnitate reperimur esse consortes. Novum hoc profecto, singulare ac ingens est divinae dignationis munus ac in tanta sanctissimorum Nostrorum Praedecessorum serie in longo undeviginti saeculorum cursu Nobis unice, Deo disponente, collatum. In quo eo etiam admirabiliorem Nobiscum divinam benignitatem agnoscimus, cum videamus hoc tempore dignos Nos haberi qui pro iustitia persecutionem patiamur, et cum aspiciamus mirum illum devotionis et amoris affectum, quo

Christianus populus vehementer agitur ubique terrarum et ad hanc Sanctam Sedem unanimi studio compellitur. Quae sane munera cum in Nos adeo immerentes collata fuerint, vires Nostras prorsus impares experimur, ut gratiae reddendae officio pro debita ratione respondeamus. Quamobrem dum ab Immaculata Deipara Virgine petimus ut Nos doceat eodem ac Ipsa spiritu reddere gloriam Altissimo sublimibus illis verbis « fecit mihi magna qui potens est, » Vos etiam atque etiam rogamus, Venerabiles Fratres, ut una cum gregibus Vobis commissis cantica atque hymnos laudis et gratiarum Nobiscum Deo persolvatis. Magnificate Vos Dominum mecum, dicimus Leonis Magni vocibus, et exaltemus nomen eius in invicem, ut tota ratio gratiarum et miserationum, quas accepimus, ad laudem sui referatur auctoris. Populis autem vestris significate incensam caritatem Nostram gratissimosque animi sensus ob praeclara ipsorum erga Nos filialis pietatis testimonia et officia tamdiu et tam perseveranter edita. Nos enim, quod ad Nos attinet, cum usurpare iure possimus Regii Vatis verba «incolatus meus prolonga tus est,» vestrarum deprecationum ope iam ad hoc indigemus, ut virtutem, fiduciamque assequamur reddendi animam nostram Pastorum Principi, in cuius sinu est refrigerium malorum turbulentae huius et aerumnosae vitae et beatus portus aeternae tranquillitatis ac pacis.

» Ut autem ad maiorem Dei gloriam proficiat quod Pontificatus Nostri beneficiis de Eius largitate accessit, spiritualium gratiarum thesaurum hac occasione reserantes, Vobis, Venerabiles Fratres, potestatem facimus ut in vestra quisque Dioecesi, die decimosexto aut vicesimoprimo huius mensis aut alio ad vestrum arbitrium eligendo Benedictionem Papalem cum applicatione plenariae indulgentiae in forma Ecclesiae consueta auctoritate Nostra Apostolica impertire possitis et valeatis. Spirituali autem Fidelium utilitati consulere cupientes, tenore praesentium in Domino concedimus, ut omnes Christifideles tam saeculares quam regulares utriusque sexus, quocumque in loco cuiusque vestrum Dioecesis existant, qui sacramentali confessione expiati et sacra communione refecti pias ad Deum preces pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione et sanctae Matris Ecclesiae exaltatione effuderint, eo die, quem Vos ad praedictam Benedictionem largiendam ex auctoritate Nostra designaveritis aut

elegeritis, velj in Dioecesibus ubi Sedes Cathedralis vacet, Vicarii Capitulares pro tempore existentes elegerint et designaverint, omnium peccatorum suorum plenariam indulgentiam consequi possint ac valeant. Minime dubitamus quin hac occasione populus christianus efficacius excitetur ad orandum, atque in multiplicatis precibus eam misericordiam suscipere mereamur, quam tot praesentium malorum adspectus Nos segniter implorare non sinit.

» Vobis interim, Venerabiles Fratres, constantiam, caelestem spem, et solamen omne a Deo omnipotenti adprecamur quorum auspicem et praecipuae Nostrae benevolentiae testem esse volumus Apostolicam Benedictionem, quam Vobis Cleroque et populo unicuique Vestrum concredito plena cordis nostri exuberantia impertimus.

» Datum Romae apud S. Petrum die quarto Iunii Sanctissimae Trinitati sacro, Anno MDCCCLXXI,

» Pontificatus Nostri anno vicesimoquinto.»

DE SCHISMATE ARMENIO (*)

Ven Fratribus Antonio Petro IX Patriarchae Ciliciae, atque Catholicis Archiepiscopis Episcopis Armenii ritus gratiam et communionem Apostolicae Sedis habentibus, nec non dilectis filiis sacerdotibus, monachis, et laicis catholicis eiusdem ritus.

PIUS PAPA IX.

Ven. Fratres ac dilecti Filii, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

« Ubi prima novi schismatis, inter Armenios Constantinopolitanae Urbis nuper conflati, indicia eruperunt, non omisimus pro universali Ecclesiarum omnium sollicitudine, omnes admonere sive per Nostras Litteras, sive per Delegatum Nostrum illic residentem, ut fortes atque in fide stabiles permanerent: qui autem

(*) Confer documenta quae exposui in Vol. V pag. 444, 300 et seqq. et p. 572«

a recto tramite aberrassent, eos hortati sumus in Domino, ut ad saniora consilia reverterentur. Hi autem a vocibus Nostris aures avertentes, contumaces in coeptis perstiterunt; immo ab iisdem Apostolicae Sedis divina atque universalis potestas et auctoritas in his potissimum, quae ad disciplinam pertinent, impetita fuit, licet omnium temporum et Ecclesiae filiorum reverentia ac fide tam in Occidentalibus quam in Orientalibus regionibus semper celebrata, novissimeque Oecumenici Concilii Vaticani dogmatico decreto declarata fuerit, rursusque firmata. Hinc eo Nos adactos sensimus, ut ad tuendam pro Apostolico Nostro munere fidei unitatem, formulam seu declarationem fidei certis verbis expressam, pro recepto in Ecclesia more, iisdem subscribendam proponi iuberemus; cui si subscribere récusassent, iam ecclesiasticae perduellionis se reos proderent et a Catholicae Ecclesiae unitate avulsos. Quod cum delrectassent, Ven. Fr. Antonius Iosephus Archiep. Tianaeus, Apostolicus Gonstantinopoli Delegatus, Nostris obsequens mandatis Nostraque usus auctoritate, eosdem schismatis reos, ac proinde maioris excommunicationis vinculo irretitos solemni decreto pronunciavit.

» Profecto post hoc iudicium, nullus iam supererat tergiversandi locus, et novis hisce schismaticis alterutrum incumbebat, ut vel ad bonam frugem reverterentur, vel ementitum catholicorum nomen omnino deponerent. Verum magno cum Nostro dolore eo deventum est, quo eosdem refractarios fore processuros, etsi non levia subessent indicia, animus tamen Noster credere refugiebat. Etenim indictum est conciliabulum, in quo de novo patriarcha constituendo egerunt tum laici tum monachi et Sacerdotes schismaticae factionis; atque adeo quatuor Episcopi, videlicet Iacobus Bahatiarian Diarbechiriensis, Basilius Gasparian Cyprensis, nec non Ignatius Kalybgian Amasenae, et Placidus Kasangian Antiochenae Ecclesiarum titulis consecrati; immemores profecto dignitatis suae, fideique et obedientiae, quam in ipsa sua consecratione Nobis Nostrisque Successoribus iureiurando promiserunt. Deinde quod sibi proposuerant, opere compleverunt, electo scilicet in pseudopatriarcham dicto Iacobo Bahatiarian Archiepiscopo Episcopo Diarbekiriensi, cui Iacobi Petri IX nomen inditum est; et abnegato legitimo Ciliciae Patriarcha Ven. Fr. Antonio Petro IX, licet is unanimi suffragio Episcoporum ante trien-

nium fuisset electus, a Nobis confirmatus sacroque Pallio ipsis Nostris manibus decoratus.

» Quantus exinde dolor animo Nostro et moeror accesserit, satis verbis explicare non possumus. Hoc enim facto, gravissimum vulnus Unitati catholicae illatum est, proculcata ecclesiasticae disciplinae regula, sacrorum canonum et Apostolicarum constitutionum vis et auctoritas omnino spreta atque despecta, firmatum teterrimum schisma; atque Fidelibus incautis vel ignorantibus nova errandi occasio exhibita ab iis, qui licet excommunicati auctoritate Nostra fuerint ab Ecclesiae Catholicae unitate omnino segregati, se tamen Catholicos Nobisque fideles et obedientes audent iactare, populisque illegitimum et schismaticum pastorem, perinde ac si catholicus esset, obtrudere.

» Cum haec ita sint, Nos muneri Nostro omnino deesse videremur, si speculatores a Domino Nostro Iesu Christo universae Ecclesiae constituti, vocem Nostram contra ausus istos attollere moraremur, et ab omni erroris periculo fideles Armenios eripere. Quapropter Apostolica Nostra auctoritate decernimus ac declaramus illegitimum, schismaticum et omnino irritum tum praedictum conciliabulum factiosorum, tum electionem in eo attentatam Iacobi Bahatiarian in patriarcham; et hunc nulla prorsus ecclesiastica et spirituali iurisdictione pollere, omnique exercitio episcopalis Ordinis esse suspensum; insuper tam memoratum Iacobum quam electores poenas a sacris canonibus contra eos, qui talia ausi fueriut, sancitas omnino incurrisse. Eidem porro Iacobo sub interminatione divini iudicii districte praecipimus, ne praetensum patriarchae titulum, a Schismaticis sibi temere nulloque iure delatum, ullo pacto audeat usurpare; neve quidquam eo nomine attentare praesumat. Quod vero ausi sunt Refractara in praedicto conciliábulo contra Ven. Fr. Antonium Petrum IX Hassun, illud pariter nullius momenti ac roboris, quin et schismaticum facinus declaramus; ipsumque Ven. Fr. Antonium Petrum, verum, solum ac legitimum esse Patriarcham Armeniorum Ciliciae edicimus et confirmamus.

» Porro universos Catholicos Armenios cuiusvis ordinis ac dignitatis existant, pro supremi Nostri Apostolatus officio graviter monemus, ut a praedicto Iacobo nec non ab eius electoribus et a reliquis omnibus qui novo huic schismati adhaerent, caveant

diligenter; legitimo autem suo Patriarchae, et imprimis Apostolicae huic Sedi fideles maneant, et obedientes: ***neque enim,*** ut ad rem monuit sanctus Carthaginiensis Episcopus Cyprianus (1), ***aliunde haereses ohortae sunt, aut nata sunt schismata, quam dum sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos, et ad tempus iudex vice Christi cogitatur.***

n Providissimus autem Deus qui laeta tristibus miscere consuevit, dolori Nostro lenimentum ac solamen praebuit in fide et constantia, qua et populus et clerus patriarchatus istius erga legitimum Patriarcham et hanc Apostolicam Sedem usi sunt; ac potissimum in Vobis, Ven. Fratres, qui in officio constanter permanentes, fideles vestrae curae concreditos a commemoratis erroribus et fraudibus incolumes servare studuistis atque studetis.

» Ceterum ipsos Neo-schismaticos, imprimis vero illos Episcopos qui tanto cum Nostro et omnium bonorum luctu ab unitate Catholica defecerunt, hortamur, ut quoniam peccaverunt, non adiiciant iterum. Videant quo demum evaserint, quantamque procellam in Catholica Armenia Ecclesia excitaverint. Haec quidem donec in ***Petrae*** a Christo positae firmitate constiterit, submergi non poterit: ipsi vero et cuncti, qui eis adhaerent, perpendant, quam grave sit a vera Christi Ecclesia defecisse et ab eius unitate fuisse divulsos. Etsi enim adhuc se catholicos appellare velint, factis tamen ipsis suis, quin et proprio conscientiae iudicio erroris convincantur oportet. ***Qui enim Ecclesiae,*** ut ait idem S. Cyprianus (2), ***renititur, qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit ? Nemo fraternitatem mendacio fallai.*** Redeant igitur praevaricantes ad cor, et sciant in Apostolica Sede non solum Iudicem sedere, qui in promptu habet ulcisci omnem inobedientiam, verum etiam Patrem amantissimum, qui errantes filios, culpam suam humiliter confitentes, et sincere detestantes in ulnas suas excipere paratus est.

» Precemur igitur universi auctorem et consummatorem fidei nostrae Iesum Christum, deprecatoribus apud Ipsum humiliter adhibitis, Deipara Immaculata, Beatis Apostolorum Principibus, et Magno illo Armeniae Illuminatore Gregorio Sancto, ut erran-

(1) **S. Cyprian. Epist, ad S. Cornei. Pap.**
(2) **S. Cyprian. lib. de Unit. Eccles.**

tìbus lumen et robur suae gratiae concedat, quo, omni humano respectu posthabito, ad Ecclesiam reverti festinent; et iis qui adhuc steterunt, maiora semper gratiae incrementa largiatur.

» Vobis autem, Ven. Fratres et dilecti Filii, quos tanto maiori charitate complectimur, quo firmiorem Vestram virtutem, Deo sic favente, conspicimus, Apostolicam benedictionem ex intimo corde depromptam et uberioris semper praesidii auspicem singulis universis peramanter impertimus.

» Datum Romae apud S. Petrum die undecima Martii Anno Domini MDCCCLXXI Pontificatus Nostri XXV.»

APPENDIX VI.

DE DIE XVI IUNII MDCCCLXXI, AUGUSTISSIMO CORDI IESU HOC ANNO SACRA, QUA ROMANUS PONTIFEX IN ROMANO PONTIFICATU ANNOS PETRI VIDIT.

Aequum non esset praeterire silentio diem xvi Iunii, qua SSmus Pater, praeter hactenus consuetam divinae Providentiae dispositionem, annos Petri vidit.

Romanus Populus, hisce faustis diebus, quamquam sub placitis eorum vivere cogatur, qui publicam privatamque subvertunt tranquillitatem , ordinem immutabilis iustitiae pessumdantes, faustum eventum, ea ratione qua potuit, celebrare non reliqu» Vidimus enim Romae reviviscere eorum dierum exempla, quae novem ante mensibus videramus.

Non potuit enim omne Romani Populi gaudium intra intima corda manere conquisum, quando, illucescente ea die, Sacratissimo Cordi Iesu dicata, et Pontificem veluti nova vita florentem recogitavit, atque simul novit, totum catholicum orbem eodem gaudio eodemque spiritu commoveri.

Continuit se quidem intra illos Religionis actus, qui aperta vi, ab eis qui nomen auctoritatis praeseferunt, prohiberi non possunt : sed in ipsis Religionis actibus peragendis, modesta quadam laetitia in omnium fronte legisses : *Haec dies quam fecit Dominus exultemus id laetemur in ea.*

Omnia conspexisses templa a minimo ad maximum, statis horis, supplicandum et laudantium Deum repleta, ea fide, quam iterum Apostolus laudasset. Innumeros quoque vidisses Romam convenientes, qui neglectis magnis itinerum incommodis,

neglectisque maximis periculis, quibus Roma in praesentia versatur, in ipsis suis personis integras catholicorum civitates vel dioeceses ve! nationes repraesentantes; quarum argumenta plurima, praeclara dona, et vivissima vota Romano Pontifici in Vaticanis aedibus concluso exhibuerunt.

His diebus itaque Boma intra sua squalida moenia iterum vidit compendium universi propemodum catholici orbis, atque iterum iterumque intellexit idemque ceteris omnibus significavit, se ita esse omnium ut nemo possit super ea dominari, praeter eum propter quem est omnium.

Sed de his rebus copiose loquuntur catholicae ephemerides, praesertim , quae Roma prodeunt, atque multo copiosius loquetur suo tempore historia : totus enim catholicus Orbis est commotus, vita vivens Romani ipsius Pontificis, cui unitate fidei et communionis est intime coniunctus. In hac, ut ita dicam immensa mole, quae una fide, una prece, uno corde agitatur, fundamentum conspice exoptatissimi Ecclesiae triumphi, quem adversus omnes satánicas phalanges ab Auctore et Rectore humanae societatis fidentissime expectamus.

Et ad Angelum quod attinet Vaticani, quisquis animo recolat colloquium illud, quod Christus Dominus cum Petro habuit, praesente Ioanne aliisque discipulis, quod legitur in capite ultimo eius Evan« gelu; nemo non videbit, quam apte ea Salvatoris verba, praesertim quae de Ioanne Apostolo dicta sunt, ad Romanum Pontificem possint in praesentia referri.

Posteaquam enim Christus Dominus tertio post resurrectionem apparuisset discipulis suis atque Petro nudo ceterisque, frustra tota nocte piscantibus, praecepisset, ut ad dexteram navigii rete mitterent, eisdemque tradiderit panem et piscem, officio Petro imposito universos eius agnos et oves pascendi, exquisita confessione praecipui amoris, sic loqui perrexit : « *Amen amen dico tibi: cum esses iunior, cingebas te et ambulabas ubi volebas* (ut nunc fecisti , qui nudus cum esses, praesentia mea audita, succinxisti te tunica et in mare te misisti ut ad me venires): *cum autem senueris extendes manus tuas et alius te cinget, et ducet quo tu non vis. Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum. JE t cum hoc dixisset, dicit ei: sequere me. Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus sequentem (qui recubuit in coena super pectus eius et dixit: Domine quis est qui tradet te?); hunc ergo cum vidisset Petrus, dixit Iesu: Domine* (probe intellexi, quae mihi sint eventura propter te, quem profecto non amplius negabo, confessionemque amoris quam modo a me postulasti, tua virtute confirmatam, facto ipso probabo: sed et de Ioanne, qui, super pectus tuum in coena recumbens, amoris constantiam ex

corde tuo haustam iamdiu probavit, quemque in filium dedisti Matri tuae, eamque illi in matrem, ut nunc mihi tuos agnos et oves pascendos tradidisti : de Ioanne itaque scire cupio, quid ei sit eventurum) *hic autem quid? Dicit ei Iesus:* Sic EUM VOLO MANERE DONEC VENIAM, *quid ad te? tu me sequere. Exiit ergo sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur, et non dixit ei Iesus non moritur, sed sic eum volo manere donec veniam quid ad te? »*

In hoc itaque ultimo colloquio quod Ioannes enarrat, quaedam videmus quae SSmo Patri applicari adamussim possunt. Ipse enim Petri personam realiter repraesentans ideoque officio fungens pascendi Christi Domini agnos et oves in praesentia dictum sustinet, *alius te cinget:* personam autem referens Ioannis, munere functus solemniter asserenai Matrem Iesus ab originis macula immunem , non persentiet verba : *et ducet quo tu non vis:* sed e converso experietur, quod dictum est Ioanni: *sic eum volo manere donec veniam,* quod experiri incepit.

Omnes firmissimam spem animo nutrimus, Eum confligatas visurum omnes phalanges quas Satan in sinu Ecclesiae adversus eandem concitavit.

Argumenta enim huius spei argumentis succedunt, quae si vir profanus publicas res, divina providentia seclusa, recogitans parvipendat, non ita faciet vir fidelis, qui lumine fidei omnia disposita, permissa atque subordinata videt, praesertim publicae Ecclesiae res, ordini divinae providentiae, quae omnia moderatur atque dirigit in gloriam suam et Ecclesiae exaltationem: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum: portae inferi non praevalebunt: ego enim vici mundum.*

Duo postrema facta, quae memini, quaeque oculis conspicimus, sunt nova huius spei argumenta : universalis videlicet supplicandi ardor in bonis omnibus excitatus iuxta exemplum, quod in Actis Apostolorum legimus: *Petrus quidem servabatur in carcere; oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia pro eo.* Qui orandi ardor, quae excitata fides non potest adscribi alicui humanae causae, sed illi tantum, qui *ut petentibus desiderata concedat, facit, quae ei sunt placita postulare.* « Videmus enim (ita SSmus Pater in superiori epist, encycl, pag. 258) firmitatem fidei, ardorem caritatis sese in dies latius explicantem, cerriimus eam sollicitudinem in Christi fidelium animis pro huius Sedis et supremi Pastoris laboribus excitatam, quam Deus solus ingerere potuit.»

Alterum factum est illud, quo eiusmodi Ecclesiae preces et vota in ipsa SSmi Patris persona iam exaudiri videmus, cuius vita, praeter consuetum providentiae ordinem hactenus in Petri successoribus ostensum, incolumis perseverat: quae vita, dum nobis significat exaudiri Ecclesiae >ota, ea simul tamquam arrha videtur Ecclesiae supplicanti data in

confirmationem spei quam ipsa nutrit, cuius exitum supplicationibus praestqlatur. Deus enim loquitur factis quae eioquentiora sunt verbis.

Humanae praesumptionis est in praesentia quaerere, cur Deus, in cuius manu est triumphum Ecclesiae dare, hunc non dederit priusquam Romanus Pontifex annos Petri aequaret. Quis enim consilia Dei perscrutari valet?

Nihilominus haec profane sciscitantibus secura fronte respondere possumus, dicentes: significare ultimum vobis Deus est dignatus, quid sit Ecclesiae catholicae Pontifex, qui solus, quin aliquid studiose agat (ut vos irrequieti iugiter conamini) totum catholicum orbem contra vos ipsos vehementissime commovet: per eiusmodi universalem commotionem, quae vos exasperando terret, quae vos cogit ad hypocritas cautiones dandas, ut ab irruente commotionis potentia, aliqua tergiversatione, liberemini, ultimam conspiceretis admonitionem eamque apertissimam ad conversionem vestram: ut lucu-lentissime noscere tis Ecclesiam catholicam, quam in eius Capite impugnans , potentium vexationibus, ut putabatis, non deiici, sed immo reviviscere; persecutionibus sive apertis sive occultis non deprimi, sed vehementius consurgere, atque eo robore eaque vi, cui nemo resistere valeat. Quod si tandem patientissima charitate non vincat, divina interveniente potentia , conterendo splendidius triumphat.

Et ad rem facit illud Hilarii *dû Trinit. lib. 4:* « Hoc Ecclesiae pro» prium est, ut tunc vincat cum » laeditur, tunc intelligat cum ar» guitur, tunc obtineat cum deseri» tur: dum vexatur, floret; dum » opprimitur, crescit ; dum conte» mnitur, proficit : tunc stat cum » superari videtur.»

Atque Augustinus *super Matth.* ait: « Adhuc habet Ecclesia , quod » crescat, donec illud impleatur: Z)o» *minabitur a mari usque ad mare.* » Et Cassiodorus, *super psal. 30:* « Ec» clesia magis incipiet esse uberrima » cum ad finem saeculi erit perducta. »

EX SECRETARIA BREVIUM.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE ADPROBATIONE BREVIARII ET MISSALIS ORDINIS CISTERCIENSIS CUIUS CAUSAM IAMPRIDEM EXPOSUIMUS IN VOLUMINE IV PAG. 465.

PIUS PP.IX

Ad perpetuam rei memoriam.

« Quae a sanctissimis sapientissimisque viris excogitata atque instituta, et saeculorum auctoritate sancita, Romani Pontifices ma-

gno semper in pretio habuerunt, illaque omni tempore censuerunt inviolate servanda. Hac quidem mente fel. rec. S. Pius V Praedecessor Noster quo tempore omnibus Ecclesiis et Regularium Ordinibus Missalis et Breviarii Romani ab ipsomet editorum usum praescripsit illas excepit Ecclesias et Monasteria, quae a ducentis annis suo Missali ac Breviario uterentur. Iure inde ac merito inclyta Cisterciensis Familia tot nominibus de re sacra et publica praeclare merita, quae a legiferi Patris Sancti Benedicti regula nullatenus declinans proprium ritum eidem regulae prorsus conformem instituit, suos retinuit liturgicos libros, utpote quos eadem Familia Religiosa a quadrigentis annis et ultra adhibebat, idemque Sanctus Pontifex in memorati Ordinis reformatione per suas litteras Apostolicas edixit, ut in toto Ordine Cisterciensi Missae Sacrificium, aliaque omnia diurna et nocturna officia Divina quotidie in choro iuxta ipsius Ordinis ritum sine intermissione celebrarentur. Verum medio circiter saeculo decimo septimo visum est Claudio Vaussin tunc temporis summo Cisterciensis Ordinis Magistro seu Abbati Generali nonnulla in rebus ritus (substantiam haudquaquam attingentia) reformare, idcirco idem Claudius exempla Praepositorum Generalium aliorum Ordinum imitatus aliqua in sui Ordinis Breviario et Missali immutare vel emendare non dubitavit, diligenter curans, ut huiusmodi libri, servato semper typo regulae S. Benedicti ad formam S. Pii V propius, quo possit fieri, accederent. Suo Praeposito omnes fere Congregationes et Provinciae Cisterciensium Monachorum utriusque sexus, tam Communis quam Strictioris Observantiae, dicto audientes Missale ac Breviarium sic emendatum receperunt, atque ad haec usque tempora nostra continuo tenuerunt. At quum nonnulli istius Ordinis Monachi Romae degentes de huiusmodi reformationis legitimitate quaestionem institueront, Consilium Sacris Ritibus tuendis praepositum decrevit ab universo Ordine Cisterciensi servandum esse Breviarium Monasticum a sa. me. Paulo V pro omnibus sub regula S. Benedicti militantibus approbatum. Porro quo reformatio haec sanctior ab suis Monachis haberetur, praefatus Claudius occasione novae sui Ordinis reformationis, supradictae liturgicorum librorum dicti Ordinis emendationis approbationem a recol. mem. Alexandro VII Decessore nostro impetravit, eandemque emendationem feb rec, Cle-

mens IX, et Clemens XIII Romani Pontifices iterum atque iterum approbarunt et confirmarunt. Rursus tamen controversia quod ad legitimitatem reformationis huius inter Alumnos eiusdem Ordinis Monasterii Bohernensis in Belgicis exarsit, et ad Sanctam Sedem Apostolicam delata est. Consilium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium, cui istiusmodi iudicium propositum est, controversiam omnem Congregationi Ecclesiae ritibus tuendis dirimendam remisit. Praepositi Congregationi huic S. R. E. Cardinales, prout rei gravitas postulabat, rationum momentis, ceterisque omnibus diligenter examinatis, tres Consultores, quorum alterum e gremio Congregationis Episcoporum et Regularium exquisierunt, ut hac super controversia suam scripto singuli darent sententiam, eaque typis edita singulis eiusdem Congregationis traderetur. Quibus sententiis consultis duo universae Congregationi proposita sunt diluenda. I nempe: An apud Monachos Cisterciensis Ordinis tam Communis quam Strictioris Observantiae legitimus sit usus Breviarii et Missalis proprii eiusdem Ordinis, quae a Claudio Vaussin Abbate Generali medio circiter saeculo xvii reformata fuere? II Et quatenus affirmative: quid statuendum quoad quamplura Festa, et officia recentiora Ecclesiae Universalis, quae in praefatis libris vel omnino desiderantur, vel inferiori ritu notata reperiuntur? Hisce dubiis Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales Sacris Ritibus asserendis probandis in conventu, quem die v Decemb. An. MDCCCLXVIII in Vaticanis aedibus habuerunt, audita dilecti Filii Nostri Hannibalis S. R. E. Cardinalis Capalti huius causae Ponentis relatione, rebusque omnibus maturo diligentique examine expensis responderunt « quod ad primum: ***Affirmative:*** ad alterum ***Dilata et Kalendarium examinetur ab Emo Cardinali Ponente*** *vam Promotore* ***Fidei, et altero ex Consultoribus ad effectum e ferendi in Sacra Congregatione.»*** Huiusmodi examine per supradictos absoluto, idem Cardinalis Capalti de omnibus ad id in ordinariis eiusdem Congregationis ad Vaticanum habitis Comitiis verba fecit, eodemque die in nempe Iulii Anno MDCCCLXIX Cardinales Sacrorum Rituum tutores rescripserunt: ***«approbandum esse Kalendarium iuxta additiones et Correctiones ab Cardinali Ponente propositas, et supplicandum Nobis ut Decretum Sacrorum Rituum Congregationis per Apostolicas Litteras confirmare dignaremur.))***

Nos autem quibus dilectus Filius Dominicus Bartolini Antistes Urbanus, memoratae Congregationis a secretis actorum causae huiusmodi seriem accurate explicavit, post maturam rerum omnium considerationem, quae supradicta Congregatio de hac Controversia decrevit, rata habemus, eademque decreta Apostolica auctoritate Nostra tenore praesentium Litterarum roboramus, sancimus, confirmamus. Proinde omnibus et singulis e Religiosa Familia Cisterciensi tam communis quam strictioris Observantiae praecipimus et mandamus ut hisce decretis obsequantur, omni tempore pareant, et obediant. In contrarium facientibus quamvis speciali et individua mentione ac derogatione dignis non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die vu Februarii MDCCCLXXI Pontificatus Nostri Anno vicesimo quinto.»

Loco £fc Sigilli

A. Card. PARACCIANI CLARELLI.

EX S. B. U. INQUISITIO!.

DE COSTITÜTIONE *Apostolicae Sedis,* QUA CENSURAE LIMITANTUR, DUBIUM ET DECRETUM PRO CONFESSARIIS SAECULARIBUS ET REGULARIBUS, QUI IN NOSOCOMIIS ROMANIS SPIRITUALIA AUXILIA INFIRMIS CONFERUNT.

SUPPLICES PRECES

Beatissimo Padre

« Essendosi promosso il dubbio da alcuni Sacerdoti se dalla Costituzione Apostolica della Santità Vostra del 12 Ottobre 1869 sieno state tolte le facoltà e i privilegi concessi dai Sommi Pontefici ai Confessori secolari e regolari che prestansi alla cura spirituale degli infermi negli spedali di Roma; i Sacerdoti della Pia Unione di S. Paolo Apostolo, che fra le altre opere pie si dedicano anche al predetto santissimo ufficio di carità, dimandano umilmente una dichiarazione in proposito.»

DECRETUM

Feria IV die 9 *Martii* 1870.

« SSmus D. N. Pius Divina Providentia PP. IX in solita audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, audita relatione suprascripti supplicis libelli una cum Emorum ac Rmorum DD. Cardinalium Generalium Inquisiturum suffragiis, benigne annuit pro gratia, ut Sacerdotes tam saeculares, quam regulares pro confessionibus excipiendis in Nosocomiis infirmorum spirituali curae operam dantes, qui recensentur sub nn. I II, §. 1 in libello seu catalogo typis .edito anno 1856 auctoritate et iussu Emi Dñi Cardinalis Urbis Vicarii, omnibus facultatibus et privilegiis gaudeant, quae in eodem libello notantur. Contrariis quibuscumque minime obstantibus.»

/. Pelami S. R. U. Inquis. Notarius.

Libellus in Decreto indicatus, quique evulgatus fuit anno 1856, iussu Emi Card. Urbis Vicarii, tenoris est qui sequitur; quemque ex ea ratione praesertim referimus, ut Locorum Ordinarii si velint possint a S. Sede postulare harum facultatum extensionem pro nosocomiis, quae in suis extent dioecesibus.

FACOLTÀ E PRIVILEGI

CONCESSI AI SACERDOTI SECOLARI E REGOLARI CHE PRESTANSI ALLA CURA SPIRITUALE DEGLI INFERMI NEGLI SPEDALI DÌ ROMA

I.

Confessori autorizzati ad ascoltare le confessioni negli spedali di Roma.

i.° Tutti i sacerdoti secolari e regolari approvati per le confessioni dall'Ordinario di Roma, possono confessare in qualsivoglia spedale della città (1).

(1) **Pagella della Confessione, ove dicesi :** *ut confessiones sacramentales Christifidelium...in quibuscumque hospitalibus almae urbis, iuxta Breve s. m»*

2.° Quanto ai Regolari, anche quelli approvati solamente in altre diocesi, possono confessare gl'infermi di quegli spedali, ai quali sono mandati dai loro superiori, secondo la prescrizione a questi fattane dai Sommi Pontefici (1).

II.

Facoltà quanto all'assoluzione dalle censure e dai peccati.

La facoltà quanto all'assoluzione dalle censure ***(in foro tantum conscientiae)*** e dai peccati, la quale secondo il Concilio di Trento (Sess. XIV cap. 7) concede la S. Chiesa a qualunque Sacerdote per i fedeli costituiti ***in articulo mortis,*** cioè ***ut nulla sit reservatio. Atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt;*** questa stessa amplissima facoltà si concede dai Sommi Pontefici ai Confessori nel modo predetto approvati, in beneficio dei soli infermi negli spedali di Roma, quantunque non sieno costituiti ***in articulo mortis*** (2)

Riguardo poi ai due casi riservati al Vicario di Roma* cioè della compra e vendita del biglietto della Pasqua, e dell'inadempimento del precetto pasquale (oltre la facoltà d'assolverli nel foro interno), si concede altresì la facoltà d'assolvere nel foro esterno dall'interdetto chi vi fosse incorso per l'inadempimento di detto precetto, e che il nome di lui fosse stato pubblicato alla porta della Chiesa, coli'obbligo al Confessore che, fattone consapevole il penitente, trasmetta subito la notizia per mezzo di autentica fede alla segreteria del Vicariato, usando la seguente formóla.

Clementis XII latum die 28 Apr. 4738 audire etc. valeas.

(1) Editto dell' Emo Card. Guadagni 6 Set* 1 ;»8 rinnovato dall'Eolo Card. Patrizi il dì 22 Luglio 1830.

(2) Breve predetto della s. m. di Clemente XII, col quale approva quello del Pont. Paolo III, « cum omnibus et singulis facultatibus absolvendi ab omnîbus et singulis peccatis, criminibus, excessibus et delictis quantumcumque gravibus et enormibus, etiam Sedi Apostolicae reservatis etc., etiamsi talia essent, propter quae merito Sedes Apostolica esset consulenda.» E quanto alle censure aggiunge: « a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis senlentus, censuris et poenis, quomodolibet latis, ac aliis casibus reservatis.... in foro coscientiae tantum absolvendi.... concedimus et indulgemus.»

Dichiaro io sottoscritto di avere assoluto l'infermo N. N. delia parrocchia N., notoriamente denunziato e interdetto per il non adempimento del precetto pasquale. In fede ecc. Dal venerabile arcispedale N. il dì ecc. **(1).**

III.

Altre Facoltà e Privilegi,

1.° ***Vota quaecumque in alia pietatis opera commutandi, exceptis ecc.*** Cioè di commutare in altre opere pie qualunque voto semplice, eccettuati quello di castità, di religione, e dei tre pellegrinaggi, ai Juoghi di Terra Santa, ***ad limina SS. Apostolorum,*** e a S. Giacomo in Compostela.

2.° ***Iuramenta quaecumque relaxandi.*** Qssia di sciogliere qualunque giuramento promissorio, quando non siavi danno del terzo.

3° ***Ipsisque infirmis ecclesiastica sacramenta ministrandi.*** Con ciò intendesi, oltre l'amministrazione del Sagramento della Penitenza, anche quello della Eucaristia, tanto in forma comune, quanto in forma di Viatico, e il Sagramento della Estrema Unzione. Della qual facoltà, è cosa conveniente, di non farne uso, quando potesse dispiacere al Sacerdote, che per suo speciale ufficio è obbligato di amministrare detti Sagramenti.

4.° ***In articulo mortis plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem impertiendi;*** e ciò non solo ai moribondi dello spedale, ma a quelli ancora della famiglia, usando la formóla prescritta (2).

5.° In suffragio delle anime dei defonti negli spedali, sono privilegiati, l'altare del SS. Crocifisso nel cemeterio di S. Spirito, e qualunque altro esistente nelle sale e cappelle degli spedali dipendenti dalla Commissione **(3).**

*** (1) Decreto dell'Effio Card. Patrizi 23 Februarii ISSI.**

(2) Le facoltà circa i voti, i giuramenti, l'amministrazione dei sagramenti, e la benedizione *in articulo monts* **risultano dal predetto Breve di Clemente XII, dichiarato e confermato dal Pontefice Pio IX. Rescr. dell'Emo Card. Vicario Patrizi** *ex Audientia SSmi* **die 5 Ian. 1856. La facoltà poi di dare la benedizione** *in articulo mortis* **anche ai moribondi della famiglia degli spedali, si ha dal medesimo Pont. Pio IX. Rescritto degli 11 Febbr. 1851.**

(3) **Rescritto del Sommo Pont. Pio IX U Marzo 1851.**

IV.

Luoghi ove possono esercitarsi le predette Facoltà.

In tutti gli arcispedali e spedali di Roma, in quelli cioè, che sono pubblici e generali per ogni ceto di persone, quali sono al presente i qui appresso notati; come anche in quelli, che in avvenire si aprissero, ancorché succursali e temporanei, e nei luoghi ai medesimi annessi **(1).**

Gli spedali sopra indicati sono quegli appunto, che ora dipendono dalla Commissione, cioè

1.° L'arcispedale di S. Spirito, e l'annesso brefotrofio (ossia conservatorio de'fanciulli esposti , e il conservatorio delle femmine (bastarde), all'arcispedale medesimo annesso, colla sua infermeria.

2° L'arcispedale del SS. Salvatore a S. Giovanni in Laterano.

3.° L'arcispedale di S. Giacomo in Augusta.

4.° L'arcispedale di S. Maria della Consolazione.

S.° L'arcispedale di S. Gallicano.

6.° Lo spedale di S. Maria de'pazzi.

7.° L'ospizio di S. Rocco (2).

AVVERTIMENTI

I. I Confessori approvati per ***M*** soli uomini non possono confessare le donne inferme negli spedali.

II. I Confessori ascritti alla Pia Uunione di S. Paolo Apostolo possono ottenere dal Regolatore primario della medesima altre facoltà speciali da usarne negli spedali, ai quali vengano da esso destinati, e in altri luoghi e opere della detta Pia Unione.

III. I Sacerdoti, che confessano gl'infermi negli spedali, non sono obbligati (come lo sono sotto pena di sospensione riguardo agl'infermi nelle case private) di rilasciarne l'attestato scritto. Ma sarà ben fatto, dopo aver udita la confessione di un infermo, che ivi per la prima volta si confessi, farne consapevole chi ha cura dello spedale.

(1) Citato Breve del Pontefice Clemente XII.

(2) Motu-Proprio di Papa Pio IX sulla Commissione degli spedali di Roma 18 Settembre 1850 TU. I.

IV. I Confessori, che recansi a confessare gl'infermi negli spe* dali, possono ivi confessare anche le persone sane, tanto della famiglia (eccettuate le monache spedaliere, per le quali richiedesi speciale approvazione), quanto altre persone estranee. Ma per le persone sane possono i Confessori fare uso solamente delle facoltà ordinarie, e di quelle, che avessero personalmente ottenute anche per altri luoghi.

V, Gli Ecclesiastici secolari e regolari, che prestansi al bene spirituale degl'infermi negli spedali di Roma, predicando, catechizzando, amministrando loro i SS. Sagramenti, ecc., lucrano per ogni volta l'indulgenza di ducento giorni, e la plenaria una volta l'anno se almeno 12 volte vi si prestino (1).

ERRATA CORRIGE

In fasciculo LXIV ***pag.*** 202 praesentis voluminis in referenda parte dispositiva epistolae Emi Cardinalis Patrizi ad sacrorum in Belgio Antistites de quaestionibus iampridem extinctis, respicientibus vim nativam humanae rationis, nonnulla verba historice praemisimus inter quae haec scripsimus: ***Quod quum aliqui Lovanienses Professores tuerentur, res iterum ad S. Sedem delata est:*** hoc videlicet inciso asseruimus tamquam undequaque exploratum factum aliquorum Lovaniensium Professorum; quum e converso in eadem epistola ita legatur: ***Relatum est SSmo Domino Nostro Pio Papae IX, nonnullos ex Lovaniensibus Doctoribus etc.*** Ne itaque videamur plus dicere, quam quod authenticum significet documentum in celebrem illam catholicam Universitatem haec adnotare existimavimus.

(1) Rescritto dell'Efio Card. Patrizi *Ex audientia SSmi* die 5 Ianuarii 1836 (si conserva nell'archivio della Pia Unionedi S. Paolo Apostolo insieme all'altro Rescritto sopra citato).

B S. CONGREGATIONE SS. RITUM.

URBIS ET ORBIS

CONCESSIONIS TITULI DOCTORIS ET EXTENSIONIS EIUSDEM TITUM
AD UNIVERSAM ECCLESIAM
NEQUE NON OFFICII ET MISSAE SUB RITU DUPL. DE COM.
DOCTORUM PONTIFICUM IN HONOREM

S. ALPHONSI MARIAE DB LIGORIO

FUNDATORIS CONGREGATIONIS SS. REDEMPTORIS AC OLIM EPISCOPI
S. AGATHAE GOTHORUM.

De amplissima causa agimus, in qua tot tantaque sunt documenta S. Congregationi exhibita ad ostendendum universale ferme Episcoporum suffragium pro S. Alphonso Ecclesiae Doctore declarando, ut ipso in limine iam causam definitam iudicares.

Quod enim per universale Episcoporum suffragium, Sede Apostolica minime exclusa, uniformiter iudicatur, est iam Ecclesiae iudicium, cui tamquam corona accedit formalis Apostolica confirmalip, quae auctoritate sua rem ipsam solemniter sancit.

Multa quidem fuerunt disputata penes S. C. SS. Rituum, ut moris est, hinc per animadversiones Promotoris Fidei contra petitionem, inde per Patrocinatoris responsiones, quibus accesserunt duo Consultorum vota a S. Congregatione exquisita: haec tamen ad maiorem rei dilucidationem pertinent, quam ad causae fundamentum. Praeclarissimum enim causae fundamentum est universale fere Episcoporum suffragium, in quo Eruditi inquirere possunt eiusdem suffragii causas, easque facile reperient, non quidem in uno alteroque S. Alphonsi opusculo; non in una alteraque sua opinione, non in nonnullis disputabilibus quaestionibus: sed in tota eius practica doctrina, qua perniciosissimos Ianseni-sticae Doctrinae fructus ubique magis minusque diffusos, valuit insectari et subripere: praesertim vero in eius morali doctrina, quae universalis evadens, iam nostra aetate practicum Ianseni-

smum universim fere extinxit. Quae quidem ex iis, quae infra sunt disputata, salis patebunt.

Itaque per summa capita causae texturam referam, quibus Decretum S. Congregationis et Apostolicas litteras adiiciam.

Causae Patrocinator, praemissa vulgata doctrina: « ad consti-» tuendum Ecclesiae Doctorem tria sunt necessaria; ***eminens*** sei-ft licet ***doctrina, insignis vitae sanctitas,*** iuxta illud Augustini in » Psalm. 71 - Excelienti sanctitate eminentes in Ecclesia montes » sunt, qui idonei sunt, et alios docere - et praeterea ***Summi » Pontificis, aut Concilii generalis*** legitime congregati ***Declaratio»*** (Benedict. XIV ***I.*** 4. ***p.*** 2 c. 11 §. 13), de eminentia doctrinae disceptans, bifariam lucubrationem suam dispertivit: primum egit de argumentis intrinsecis, atque initio loquens de operibus S. Alphonsi in genere viam sibi aperuit ad dicendum de operibus eiusdem in specie: postea egit de argumentis extrinsecis.

Ad argumenta intrinseca quod attinet, in genere loquens, commemoravit varia edita Decreta in causa Canonizationis; idest illud sub Pio VIII in quo legitur, eum laborasse ***plurimum ad plebem christianam verbo scriptoque erudiendum,*** Decret. XVII Kal. Iunii 1830. Atque in Decreto III Non. Decembr. 1829, ***a floridis annis usque ad extremam senectam... studuit... saluberrimis elucubratis libris, fidelium animos ad fallacis saeculi contemptum atque aeternae gloriae amorem accendere.*** Pius VII in litteris Apóstol, de Beatificatione eiusdem inquit: ***Quamvis senio, laboribus, diuturna arthritide, aliisque gravissimis morbis fractus corpore, spiritu tamen alacrior ac ferventior, de coelestibus rebus disserendi aut scribendi finem adhibuit nunquam, donec nonagenarius placidissime sanctissimeque expiravit.*** Ac denique Gregorius XVI in Bulla Canonizationis haec pronuntiavit: ***Plurimos sane conscripsit libros sive ad morum doctrinam tuendam, sive ad plenam sacri ordinis institutionem, sive ad confirmandam catholicae religionis veritatem, sive ad asserenda huius*** S. ***Sedis Apostolicae iura, sive ad pietatis sensum in Christianorum animis excitandum. In iis porro inusitatam vim, copiam varietatemque doctrinae, singularia ecclesiasticae sollicitudinis documenta, exquisitum religionis studium demirari licet. Illud vero imprimis notatu dignum est, quod licet copiosissime scripserit, eiusdem tamen opera inoffenso prorsus pede percurri a fidelibus posse, post diligens institutum examen perspectum fuerit.***

Cum hisce iungenda sunt ea, quae SSmus Dominus Noster litteris mandavit (in Brevi diei 25 Novembris 1846 ad P. Hugues C. SS. R. super versione germanica operum S, Alphonsi): ***Eorum*** (S. Alphonsi operum) ***lectionem non solum christianae plebi, verum eliam ecclesiasticis viris, animarum praesertim curae et regimini addictis, maxime prodesse. Siquidem illius sanctissimi ac doctissimi viri libri, miro quodam tenerae pietatis affectu exarati, singularem Christi Iesu amorem eiusque misericordiae et meritorum fiduciam undique spirant, summum in Deiparam Virginem sanctosque coelites cultum excitant, ad sanctissima sacramenta frequenter obeunda inflammant, ac optima quaeque monita, consilia, praecepta copiose suppeditant, quae ad animarum salutem tuendam, procurandam vel maxime conducunt.***

Post haec, omnes Alphonsianos libros in triplicem classem distinguons, idest, in opera dogmatica, moralia et ascetica, de singulis ampla oratione disceptavit, ut ostenderet per eum ***errorum tenebras fuisse profugatas, obscura dilucidata, dubia declarata, scripturarum aenigmata reserata,*** iuxta ea quae Bonifacius VID in Ecclesiae Doctoribus laudat ***cap. un. De Reliquiis et ven. Sanet, in Q.***

Ad argumenta extrinseca gradum faciens, praemisit Orator S. Alphonsi doctrinam, ***Dissert, pro usu moderato opin. prob.*** 1755 c. ***in.*** 115 inquientis: « Fatemur quidem, quod nulla opinio pot-
» est esse extrinsece probabilis, nisi ex intrinseco, nempe ex ra-
» tione sit etiam vere probabilis; sola enim ratio probabilitatem
» opinionum constituit. ***Sed probabilitas extrinseca ex auctoritate***
» Doctorum tanti roboris est, ut aequiparetur aliquando probabili-
» tati intrinsecae rationis, praesumptionem certam faciens, quod
» Doctores illi, qui opinionem aliquam docuerint, rationibus innixi
» veritatem perpenderint. Hocque expresse docuit S. Thomas 1 p.
» q. 1 a. 8 ad 2, ibi : ***tamen sacra doctrina utitur..... auctoritati-***
» bus aliorum Doctorum Ecclesiae quasi arguendo ex propriis, sed
» probabiliter. Quo clare docet S. Doctor, quod auctoritas Docto-
» rum fundat veram probabilitatem intrinsecam. Et hinc bene
» notavit Croix 1. 1 n. 365: ***Prudenter*** praesumi potest, quod
» adsit probabilitas intrinseca, ubi multi auctores satis noti ali-
» quam opinionem tuentur; minime enim censendum est, eos
» temere et sine gravi fundamento loqui.»

Hinc perbelle subsumebat Orator: Si multorum auctorum opi-

nio intrinsecae rationis argumentum parit, quid de consentientibus ubique terrarum fidelibus dicendum est? Atqui Alphonsus testem et admiratorem eminentis doctrinae suae orbem habuit universum. Atque propterea iam in Decreto in causa Canoniz. III Non. Decembr. 1829 testatum legitur: « Huius Beati Viri no- » men, tum praeclaris gestis, tum voluminibus ipsius pietate et » doctrina refertis, ubique gentium diffusum.»

Egregiae doctrinae S. Antistitis illustris fama viguit adhuc ipso superstite et post eius mortem mirifice est aucta. Quatuor Pontifices, vivo Alphonso, supremam Petri cathedram tenuerunt: omnes in laudibus eius doctrinae tribuendis certasse videntur. Benedictus Xiy illius sententias, quasi prudentis Auctoris in suis operibus laudabat; illi delegabat viros gravissimus, circa quaestiones arduas ancipites; illius volumina omnibus acceptissima fore et perutilia praecinebat.

Clemens XIII in haec verba S- Alphonso rescripsit, qui ei dicavit opus ***Verità della fede:*** «Librum tuum adversus errores, » qui nunc temporis omnem propemodum iniecerunt Europam, » libentissime accepimus, tum quod tuus est, cuius ***probe novi- » mus ex pluribus aliis scriptis tuis ingenium et doctrinam,*** et » Dei zelum magnopere flagrantem, tum quod ***confidimus utilis- » simum futurum maximeque frugiferum...*** Ceterum, Venerabilis » Frater, te summopere amamus, quod minime contentus uni » ecclesiae tuae prodesse, quidquid temporis tibi superest ex epi- » scopali tua procuratione, id perire non pateris, sed omne con- » sumis in eiusmodi laboribus, ***quorum utilitas non circumScribi- » tur finibus tuae dioecesis, sed ad Ecclesiam porrigitur univer- » sam.*** » De eo pariter quid senserint de eius zelo et doctrina Clemens XIV et Pius V, legi possunt quae tradit Tannoia, ***Vita ed Istituto di S. Alfonso L*** 3 c. 43, ***Lac.*** 1, 3 ei 43.

Sed maiores quoque laudes S. Alphonso Romani Pontifices tribuere post eius mortem. Inter ceteras haec commemorare sufficiat: Pius VII, quum tres digitos dexterae Alphonsi ad se mitti postulasset; ***Veniant,*** inquit, ***Romam hi sancti digiti, qui tam bene pro gloria Dei, Mariae Virginis et Religionis scripserunt,*** Villecourt, ***La miséricorde et la joie - Étude sur la vie de S. Alph. t.*** 4 ***pag.*** 250. De Pio VIII memorabile est illud quod ante Pontificatum, cum Card. Poenitentiarii munere fungeretur, Episcopo

Massiliensi conscripsit. En verba: « Est sane cur tuae Domina-
» tioni vehementer gratuler de pientissimo consilio, quo penes
)) gregem tuum, venerationem in B. Alphonsum fovere connite-
i> ris; quem nedum virtutum splendore, illustre episcopali ordini
» decus nostra aetate intuì isse, sed et ***sana et secundum Deum***
» doctrina praefulsisse suspicimus tot editis voluminibus, in quibus
» nihil dignum censura reperiri venerando iudicio admonemur »
Villecourt, ***op. cit. t.*** 4 ***p.*** 250,

Quibus fastigium veluti imposuit Gregorius XVI per ea quae ex Bulla Canonizationis hausta superius recitavi. Nec praetereunda quae leguntur in Decreto diei 10 Ianuarii 1840, quo idem Pontifex indulgentiam iis concessit, qui die 2 Augusti ecclesiam aliquam Congregationis SSmi Redemptoris pie visitarent: « ***Ma-***
» xima inter catholicae Ecclesiae lumina atque ornamenta San-
» ctus Alphonsus Maria de Ligorio refulget, qui ***doctrina et san-***
» ditale insignis, summaque charitate incensus, miris omnium
» virtutum exemplis, ac ***plurimis doctissimis et pientissimis Ope-***
» ribus, Dei gloriae ac spirituali hominum saluti unice serviens,
» post vitam sanctissime exactam, iam coronatus possidet pal-
» mam et cum Deo triumphat.»

De Summo Pontifice, quo nunc feliciter regimur, inter cetera commemoravit Orator, quod dum ipse in Foro Cornelii Episcopatu fungebatur, venerandum nomen suum apposuerit libello supplici, quo plures Antistites petebant, ut Ecclesiae Doctor Alphonsus declararetur.

Hisce aliisque laudibus et praeconiis doctrinae Alphonsi a Romanis Pontificibus tributis, concinit et Emorum Cardinalium series et maxima Episcoporum pars, quae simul postulavit, ut Ecclesiae Doctor Alphonsus declararetur.

Sane ex amplo causae summario constat, id postulasse triginta novem Cardinales, decem Patriarchas, centum triginta quinque Archiepiscopos, quingentos quadraginta quatuor Episcopos: quibus si adiungas et alios septuaginta quinque, qui idem a Gregorio XVI postulaverant, habes integram summam sacrorum Ecclesiae Antistitum eandem declarationem postulantium pertingere ad tres supra octingentos ex omnibus propemodum Orbis catholici partibus.

Atque insuper tres Abbates nullius dioeceseos, viginti quinque

superiores Generales Religiosorum Ordinum, Facultates et Collegia theologica quatuor, Capitula Regni utriusque Siciliae quindecim, praeter alia sodalitia et collegia.

His itaque indicatis, Orator testimonia praeclarissima retulit^ quae **iamdiu** dederunt de excellentia Alphonsianae doctrinae viri eloquentia, eruditione et pietate praestantes.

Disceptatio synoptica.

ANIMADVERSIONES IN CONTRARIUM FACTAS A REVERENDISSIMO FIDEI PROMOTORE. — Plurimas animadversiones in contrarium concinnavit Fidei Promotor: unam vel alteram tantum seligam generalem, quae maioris momenti videantur.

inter cetera itaque animadvertit praesentem causam citius quam par sit proponi: sanctum enim Virum decessisse anno 1787 et anno 1839 albo Sanctorum fuisse inscriptum a Gregorio XVI: nec elapso saeculo iam causam de eo Ecclesiae Doctore declarando proponi. Extrema autem esse vitanda: namque ut Benedictus XIV, ***de Canoniz.*** Z. 4 p. 2 c. 12, de S. Bernardo Claravallensi aiebat: « quod usque adhuc cogitatum non fuerit de Sancto » tot meritis eximio, caelestique doctrina referto, colendo titulo » Doctoris in universa ecclesia » (haec scribebat labente saeculo sexto a S. Bernardi obitu): ita vitandum alterum extremum de nimia temporis sollicitudine.

Silentio praeteriens Fidei Promotor aliorum Doctorum exempla, quorum doctrina, diuturna tantum interposita mora, aestimata et publico suffragio recepta et approbata est, his verbis est prosequutus: « Nullus autem profecto autumabit, Ligorii doctrinam » adeo fuisse eximiam, ut ceteris, qui ante illum floruere, ante- » ferenda sit.

» Sed frustra inquirimus, an haec doctrina eximia nec ne sit «atque eminens. Nam Vir sanctus, licet religione interposita, » nullam temporis iacturam fecerit, atque idcirco plurima con- » scripserit, quae collecta non parvae molis volumina conficiunt; » tamen eius singula fere opera ad rudiorum dumtaxat utilità- » tem sive ecclesiasticorum sive laicorum, et etiam sequioris » sexus, qui gravioribus disciplinis vacari nequeunt, exarata fue- » runt; ideoque ipse vernacula lingua et dimisso stylo usus est.

» Desunt proinde opera, qualia requiruntur in Ecclesiae Doctore, » eminenti doctrina referta, quae Ecclesiae universae erudiendae » sint paria.

» Hinc Auctor noster, animi potissimum demissione motus, » quae christianae religionis est tessera, ne cogitavit quidem de » aliquo depromendo opere e suo penu; sed quae ab aliis edita » iam fuerant, multo labore collecta in epitomen redegit, ac fa- » cibori quadam forma tradidit, ut omnibus compendio essent et » cuiusque captui accommodata.» Ita plane sese gessit in suis operibus dogmaticis etc.

Multa praeterea animadvertit Fidei Promotor in amplissimum verum moralium opus. Atque in genere haec adnotavit: « Moralis » utique Theologia ampliorem exhibet documentorum segetem, » ingenti labore ex aliis libris et auctoribus compara tam.» Atque innuens, hoc opus laudari tamquam Auctorum Bibliothecam, sic est prosequutus:

« Si itaque de Bibliotheca ferme res est, profecto eiusdem » coactorem diligentia, solertia, et ingenio haud levi celebrem; » sed ipsius doctrinam nullo modo eminentem dicas, neque talem » quae Ecclesiae Doctorem deceat. Eximia porro sint opera quó- » rum documenta excerpseris; non carebis laude; sed primas, J> qui ea invexit, assequetur. . . . De re autem loquimur, quae » omnium patet oculis, et quam idem Ligorius ingenue fassus » est. Sic enim loquitur in nuncupatione operis Benedicti XIV » oblati: ***fuit praeterea mihi consilium plurimas in medium doctri" » nas proferre, quas ex aureis tuis operibus sum edoctus, quibusque » Sanctitas tua non pauca immortali recordatione digna, atque » addiscenda universae reipublicae litterariae tradidit.»***

« De utilitate operis a Sancto Viro initi dubitari nequit, quum » ea aetate Sacramenti Poenitentiae administri inter opposita ex- » trema, nimii scilicet rigoris et lenitatis nimiae, medium iter » exquirerent. ***Propterea*** (ait ipse S. Vir in prooemio ad lectorem) ***» in lucem edere deliberavi hoc novum opus, quod inter opiniones » nimis benignas et nimis severos medium locum teneret.*** At, licet » eximiis doctoribus sibi facem praebentibus, viam complanave- » rit, inceptum tamen opus perfecisse dici nequit. Multa enim » adhuc indigesta ac prorsus emendanda veniunt in eius Theo- » logia, ut iis praesertim accidit, qui prolixis collectionibus con-

» ficiendis navant operam: ceu demonstrat clarissimus P. Anto-
» nius Ballerini S. I. in Collegio Romano moralis theologiae pro-
» fessor, in suis adnotationibus ad ***Compendium Theologiae mo-
» raítí*** P. ***Ioannis Petri Gury.*** In nova siquidem editione, S. Al-
» phonsus in praefatione inquiebat: ***Opus absolvi, sed quia nimis
» festinanter fuit illud typis demandatum, ut aliis satisfacerem,
» mihi non satisfeci; plura enim in eo vel non bene excusa exci-
» derunt, vel confuso ordine fuerunt exposita.*** Ac sane quaestiones
» quas dum vixit reformavit, explicavit, immutavit, re melius
» perpensa, in primo elencho sunt numero nonaginta novem. Qui-
» bus accedit alter, seu ***adduntur aliae recentes retractationes opi-
» nionum,*** viginti sex. Porro emendationes aliae procul dubio
» accessissent, si aliae, adhuc eo superstite, prodiissent editiones,
» aut diutius ipse in vivis degisset. Hinc nihil mirum si multa
» reperiantur hodie in eodem Opere, quae ***non bene excusa Au~
» ctori exciderunt,*** quaeque doctis prudentibusque viris ***satisfacere
» nequeunt.»***

Post haec ad particularia descendebat Fidei Promotor, ac primo loco egit de ***Probabilismo,*** quem non exacte determinatum reperiri contendebat in operibus S. Alphonsi, atque de aliquibus opinionibus prudentiae moralis, de quibus egit cl. P. Ballerini in ***opere citato.***

Sed haec peculiaria ultro omittknus, tum quod haec brevis causae synopsis in volumen excresceret; tum praesertim, quod ab eiusmodi peculiaribus quaestionibus prosper causae exitus nullatenus pendeat.

RESPONSIONES PATROCINATORIS. Causae Patrocinalor amplissima oratione respondit ad obiectas animadversiones, ex qua haec tantum delibamus.

Praemisso Articulo, in quo copiosissime Orator ostendit, Doctrinam Alphonsi áb eius zelo profectam, publico Ecclesiae suffragio approbatam esse, ad ea quae superius exposui haec inter cetera respondit. Nullam extare legem, quae aliquod temporis lapsum hac in re praefiniat.

Neque oggeri posse, in more positum esse, ut in eiusmodi causis multum tempori et antiquitati deferatur. Nam initio animadvertit, non esse confundendas compellationes ***Patrum*** et ***Doctorum:*** seriem **SS. *Patrum*** certo saeculorum spatio contineri,

certisque Viris concludi : at de Doctoribus id affirmandum non esse, quorum nec aetas neque numerus est definitus: Doctores enim semper in Ecclesia futuros.

Animadvertit itaque, ante Bonifacium VIII sine ***formali Decreto*** insignes sanctitate et doctrina Viros Doctores fuisse compellatos, per ***aequipollentem*** scilicet Ecclesiae declarationem, iuxta ea quae scripsit Benedictus XIV ***De canoni*. I.*** 4 ***p.*** 2 ***c.*** 12 ***n.*** 9 his verbis: « ***Statuendum esse videtur, primo individuam praeces-***
» sisse concessionem tituli Doctoris concessioni Officii et Missae sub
» eodem titulo in universa Ecclesia, quoad Sanctos tantum Gregorium Papam, Ambrosium, Augustinum, Hieronymum (qui hu-
» iusmodi titulo a Bonifacio VIII decorati fuere), ***Thomam de Aqui-***
» no (qui a Pio V), ***Bonaventuram*** (qui a Xisto V). ***Secundo, alios***
» in universa Ecclesia eundem cultum habere, quamvis nulla prae-
» cesserit formalis declaratio admissionis ipsorum inter Ecclesiae
» Doctores, qui sunt sancti Ioannes Chrysostomus, Gregorius Na-
» zianzenus, Anselmus) Isidorus et Petrus Chrysologus.» In ***aequipollenti*** autem declaratione Doctoris nullam temporis rationem esse habitam.

« Quod si in sola ***formali*** declaratione velit aliquis insistere (sunt Oratoris verba), quantam temporis varietatem in variis Doctoribus deprehendet ! S. Gregorius multo recentior Ambrosio, Augustino et Hieronymo, uno Decreto anni 1298 a Bonifacio VIII coniungitur. Dein Thomas Aquinas, Doctor renuntiatur an. 1567, nempe post biscentos quadraginta quatuor annos ab eius Canonizatione. Postmodum S. Bonaventuras, vix elapso saeculo a Canonizatione, Doctoris honoribus decoratur. Anselmus et Isidorus longe vetustiores duobus nuper laudatis, nonnisi saeculo XVIII a Clemente Xl et Innocentio XIII formali declaratione Doctores compellantur. Alii deinde succedunt, non pro temporis ratione quo vixerant, sed pro varia postulantium diligentia et festinatione. Quid? Leo ille primus, Marciani coaevus, qui non modo propter vitae sanctimoniam, sed et propter doctrinae praestantiam Magni cognomentum iamáú¡ habuerat; nonnisi post medietatem saeculi elapsi, a Benedicto X l ᵛ peculiari Decreto inter ecclesiae Doctores recensetur. Quid? Leone antiquior Hilarius, malleus Arianorum, catholicae veritatis vindex, qui de Summae Trinitatis mysterio mirifice scripserat, ecquando excelso Doctorum

agmini connumeratus est? Aetate nostra, Decreto immortalis Pontificis, quem Deus diutissime sospitet.

» In ea igitur concessione, quam petimus, nulla ratio temporis a Sede Apostolica habetur, nec habita fuit unquam. Unum inspicitur, num ille pro quo nomen petitur Doctoris, hoc reapse* mereatur.» Sic Orator ad animadversionem ex brevitate temporis petitam.

Ad alteram quod attinet animadversionem, quod Ligorii doctrina non adeo esset eximia, ut ceteris, qui ante illum floruere, anteferenda sit, inter cetera respondit: nunquam auditum, tanto praestantiorem aliis quempiam esse oportere, quanto recentius post obitum formali Decreto Doctor compelletur: dicendum itaque Bonaventuram doctiorem esse debere Hieronymo, Gregorium, Leone, Bernardum, Hilario, Petrum Damianum, Ambrosio et Augustino: ***Doctores*** nuncupari ***non propter ipsos,*** qui hoc titulo decorantur, sed ***propter Ecclesiam;*** dum pro varia ratione temporum et qualitate errorum grassantium, expedit modo unius, modo alterius Scriptoris libros fidelibus commendare, ut sanam doctrinam sedulo retineant. Atque ostendit Orator S. Álphonsum in suis operibus iam confutasse praecipuos nostrae aetatis errores, quos in percelebri Syllabo SSmus Pater reprobavit.

Ad tertiam animadversionem quam superius exposui, initio respondit: « Quaeram hic primo, quid nomine ***Ecclesiae universae*** Censura intelligat. Si multitudini Christianae plebis, quae a Doctoribus erudienda est, potissimam partem (uti par est) tribuit, obiectio in ipsum obiicientem retorquetur. Imo Alphonso nostro Doctoris titulus denegandus esset, si a solis doctis et sapientibus scripta illius possent intelligi; tunc enim paria non essent ***erudiendae universae Ecclesiae.*** Sin autem hac locutione Censor significat viros quosdam doctos et lectissimos, quales nimirum residui sunt in catholica Ecclesia, demptis mulieribus et pueris, ac illis ***sive ecclesiasticis sive laicis, qui gravioribus disciplinis vacare nequeunt,*** videat, quaeso, ne vocabulorum vim et significationem intervertat.

* Satis essent haec pauca, ut mole sua collapsa rueret oggesta difficultas; at vero singulas illius propositiones expedit paulisper perpendere. Supponit animadversio nulli usui et compendio esse doctis viris S. Auctoris opera; sed hoc impingit in Litteras Apo-

stolicas Pii VII super eiusdem Beatificatione, quas mendaces dicere nequit Censura: ***Intelligent profecto*** (aiebat Pontifex immortalis)... VIRI DOCTI QUOQUE, ***quantum praesidium in Alphonso Maria ipsis constitutum sit.*** Adstipulatur praedecessor! suo Gregorius **XVI**, dum in Bulla Canonizationis testatur: ***In iis*** (S. Alphonsi libris) ***porro inusitatam vim, copiam, varietatemque doctrinae.... demirari licet.***

» Sed pone, si Iubet, nullam sapientis lectoris sollicitudinem S. Scriptorem gessisse, et hoc unum intendisse, ut pervia et intelligibilia imperitis scripta exararet: numquid minus ***eminens*** eius scientia appareret? Quid sublimius vel eminentius documentis quae summus Doctorum magister, Dominus noster tradidit? Atqui ille venit evangelizare pauperes, et ita se rudiorum ingeniis et captui accommodavit, ut per parabolas, caelestes doctrinas suas imperitis explicaret. Nonne ipsa christiana doctrina, in sua puritate cum dignitate simplici exposita, eminentem doctrinam Constituit? Si mancam illam et mutuam tradidisset S. Episcopus, ut quae magis ardua et gravia sunt effugeret, aliquid valeret obiectio; ast aliter se res habuit.

» S. Alphonsus catholicam doctrinam minime proscidit vel ex>tenuavit, ut particulas quasdam exponeret, quas rudi vulgo suppeditaret; sed integram complexus est, et quasi coagmentavit, ut integra percipi ac teneri posset minori tempore et labore. Doctrina haec plena quidem, licet contracta, cur eminens dici nequiverit? Imo cum alii scriptores praecesserint, qui fusius christianam theologiam enarraverunt, haec ipsa partium diffusam m in unum coniectio maximum Auctoris ingenium et peritiam arguit. Nec ille minori sapientia dici debet, quia omnia brevius collegit; nec minori iure Doctoris nomen sibi vindicat, quia illius scripta ab omnibus legi possunt.»

Atque hanc ipsam rem Orator illustravit exemplis desumptis ex aliis Ecclesiae Doctoribus, doctissimisque viris: et ad dimissum stylum quod attinet ex adverso oppositum, allegavit, quae scripsit Baronius ***Annal, t.*** 2 ***paz.*** 269; lac. Bonfrerius, ***Praeloquia in totam scripturam c.*** 10 ***sect.*** 1 (Cf. Migne ***Script. S. Cursus*** vol. 1 p. 159) in quo loco Bonfrerius, sic concludit: « Itaque is » eloquens universim dicendus, qui in omnibus illud ***ro npittov*** seu » decorum servat; qui novit diiudicare quid et quomodo pro loco,

» tempore, personis, fine dicentis eloquendum sit. Ad hunc mo-
» dum, dico in praesenti materia, Deum, utpote omni ex parte
» sapientissimum et eloquentissimum, assumpsisse in S. Scriptura
» eam loquendi formam et characterem, qui maxime ipsius fini
» congrueret, qui fuit hominum animos permovere ad ea, quae
» ad ipsius gloriam et aeternam beatitudinem assequendam cer
» tius ducerent; cui fini, cum minus commodus esset fucatus ille
» et politus sermo, in quo ut plurimum magis verba curiosas et
» delicatas aures, quam res et ea quae dicuntur, animos movent,
» hunc ablegavit, alterum simpliciorem assumpsit, qui fini illi
» suo rectius congruebat.»

Ab hoc eloquentiae genere (notavit Orator) nec abhorruit Gregorius Magnus, ceu ipse scripsit in epistola ad Leandrum quae Moralium libris praemissa est.

At vero negavit Orator stylum, quo S. Alphonsus libros conscripsit, ita esse demissum, ut dedeceret Ecclesiae Doctorem: ostendit immo, Alphonsum eo stylo usum esse, qui Ecclesiae Doctoris sit proprius, adducens praeclarissimum S. Isidori Hispalensis, Ecclesiae Doctoris, testimonium, /. 2 ***Offic, ad S. Fulgent. c.*** 5 ***sup. cap. V Matth. v.*** 13, quod ita se habet: «c ***Qui in erudiendis atque instituendis ad virtutem populis praeerit, necesse est, ut in omnibus sanctus sit, et in nullo reprehensibilis habeatur. . . cunctosque ad bonum opus et doctrina et opere provocet. Cui etiam scientia Scripturarum necessaria est. . . . Porro si et doctrina et sermone fuerit eruditus, potest ceteros quoque instruere et docere suos, et adversarios percutere, qui nisi refutati fuerint atque convicii, facile possunt simplicium corda pervertere. Huius sermo debet esse purus, simplex, apertus, plenus gravitatis et honestatis, plenus suavitatis et gratiae, tractans de mysterio legis, de doctrina fidei, de virtute continentiae, de disciplina iustitiae, unumquemque admonens diversa exhortatione, iuxta professionem morumque qualitatem; scilicet ut praenoscat quid, cui, quando vel quomodo proferat.»***

« Servavit haec omnia sedulo (ita Orator) et egregie praestitit S. Auctor noster, qui in variis Operibus, pro varia argumenti et personarum ratione, modo simplici, modo pleniori, quandoque etiam sublimiori stylo usus est. Ipse profecto iuxta Tullii ipsius et Quintiliani monita, ***perspicuitatem*** ante omnia quaesivit, veluti

professus est în praefatione Theologiae moralis, ubi ait: - ***in hoc enim maxime incubui, ut potius in claritate, quam in sermonis elegantia abundarem.*** -Verum hoc perspicuitatis studium nunquam effecit, ut aliquid incomptum, impolitum, rude, barbarum ex eius calamo excideret. Si maxima eloquentiae laus et victoria est, prout scite Tullius notavit, ut cordibus auditorum potiatur, eaque quo vult flectat atque permoveat, ***nihil magis disertum Alphonsi scriptis,*** ubi latet occulta quaedam ac divina virtus, quae in animos legentium sensim illabitur; eos lenit suaviter, flectit, immutat, illustrat, et eo quo constituit, impellit. Hanc librorum illorum efficaciam cum suavitate coniunctam merito laudant Austriae et Hispaniae Antistites, his verbis: « ***Omnem excedit fidem... quod quantumque fidei, religioni et pietati incrementum accesserit ex istius Sancti Viri scriptis, ad omnes nationes feliciter sane perlatis. In stylo scribendi dulcedo mellis; unctio S. Spiritus in ipsius verbis; caelestis quaedam puritas cum perspicuitate coniuncta in doctrinis.»***

Ad alteram propositionem, quam Censor edixit, quod Sanctus Dei Vir ***vernacula*** lingua scripserit, sermonem convertens Orator, sic respondit: « Etiam Patres Ecclesiae et Hagiographos, nedum Doctores, vernáculo idiomate libros suos conscripsisse. Moyses ceterique Scriptores, fere omnes, voluminum veteris Testamenti, dum hebraice scribebant, vernáculo utebantur idiomate. Chaldaice prophetiam suam exaravit Daniel; at in ea regione eaque aetate qua scripsit, vulgaris ea scriptura fuit. Mistum illud idioma ex hebraico et syro, quo Matthaeus usus fuisse fertur, ideo ab eo fuit adhibitum, quia Hebraeis per illud temporis vernaculum habebatur. Latine Evangelium, Petro docente, Marcus edidit, quippe tunc in Urbe nostra, cuius erat Petrus Episcopus primus, latine proavi nostri loquebantur. Maxima vero pars Scripturarum novi foederis ideo graece scripta fuit, quia innumeri erant in Orbis tum noti regionibus, graeca lingua loquentes.

» Ecclesiae Patres et Doctores eadem ratione sese gesserunt: quum ea lingua quisque uteretur, quam populus vulgo usurpabat, penes quem conciones haberet aut scripta exararet. Docta a nobis et literalis ea lingua dicitur, qua scripti sunt libri Athanasia Basilii, Gregorii Nazianzeni, Ioannis Chrysostomi; sed si temporis et gentis rationem habeas, vulgaris erat ille sermo,

quem imperitissimus quisque lector et auditor facile intelligeret. Quid nunc magis dignum viro docto atque erudito, quam syriacus ille verborum sonus, qui in S. Ephraemi libris peragendis auditur? Atqui illud loquendi genus ideo a S. Scriptore fuit receptum, quia vernaculum apud suos esset et haberetur. Idem dices de latina lingua, quam Ambrosius, Augustinus, Hilarius,, Leo et Gregorius Magni adhibuerunt. Immo Hieronymus Doctor Maximus etiam Paulae et Eustochio aliisque feminis egregiis latine scribebat, quippe discipulis illis sequioris sexus hoc proprium erat idioma et familiare; eademque de causa, Ambrosius de Virginibus et Viduis libros latine exaravit.

» Merito igitur sapientes Theologi ex Neapolitano Collegio laudi maximae S. Antistiti verterunt, quod licet plura latine exarasset opera, non pauca tamen italice conscripserit: ***Nemo*** (inquiunt) ***illi verterit culpae, quod maximam eius laudem constituit. Si enim latina tantummodo lingua tot scripta exarasset, numquam tam late Christianae doctrinae documenta diffundere potuisset. »***

Ad alteram animadversionis partem deveniens Orator, in qua Censor Alphonso notam inussit, quasi nihil ex suo penu scripserit, sed aliena collegerit atque cuiusque captui accommodaverit; multa respondit, ac pluribus laciniis ex Alphonsianis Operibus in medium adductis ut ostenderet, non fuisse alienae doctrinae servilem sequacem, sed praecedentia opera consuluisse, quae in aliquo scribendi genere prodierunt, proindeque se ostendisse summa eruditione pollentem, sic orationem concludebat:

« Quisquis haec omnia in S. Auctoris libris penitus pervestigant, hominem deprehendet non alienae mercis compilatorem, et collectorem humi repentem, sed ingenium lectissimum creatrici quadam vi praeditum, quod multa per se detegit, atque abdita in lucem profert; mira quadam synthesi in unum colligit quod sparsum iacebat; et diligenti analysi quod confusum erat secernit apteque distinguit. Si quando vero alienis laboribus utatur, ad instar apis est, quae opere industrio ex herbis floribusque variis, quidquid est suavissimum exprimit, ac mel suum conflat quod novum ac proprium odorem et gustum habet, nec indigesta florum graminumque commistio iure possit nuncupari... Ad summum inferri posset, S. Alphonsum in ***nonnullis*** Operibus collegisse, quae ab aliis edita fuerant, quo facilius cognosci pos-

sent a plerisque et cuiusque captui essent accommodata. At vero licet hoc concedere velimus, num obstaret quominus Doctor Ecclesiae Alphonsus declararetur? Nonne hoc idem egerunt plures e Patribus et Doctoribus perinsignibus?

» Doctor Maximus de Hilario Pictaviensi ac de seipso fatetur in epist. 2 ad Theophilum: ***Hilarius in Origene noxia detruncans, utilia transtulit: hoc et ego feci.))*** Neque ex Origene tantum plura in libros suos transtulit Hieronymus, sed etiam ex aliis Scriptoribus ecclesiasticis qui ante ipsum floruerunt. Testes sunt, inter alios, Commentarii in Matthaeum, ubi et Ignatii et aliorum verba ac sententias refert. Quid plura? Virum tantum haud puduit quae alii graece conscripserant, in latinum sermonem convertere (quod multo levius est, quam in compendium contrahere), eoque nomine in Breviario Romano laudatur. S. Augustinus in ***lib.*** 2 ***contra Iulianum n.*** 28 declarat, se nihil ferme adiiciendum habere verbis et argumentis S. Hilarii, in confutatione Pelagianorum; multos proinde laudat ac describit locos sat amplos e libris S. Episcopi Pictaviensis. Quin et in ipso ingenti et classico opere de Civitate Dei, quot collegit retulitque locos nedum ex ecclesiasticis, sed etiam ex profanis auctoribus depromptos! Sciunt eruditi ipsi acatholici, qui fragmenta ceteroquin deperdita Varronis, Tullii, Sallustii aliorumque expiscantur.

» Liceat prope Augustinum Ambrosium memorare, qui in opere inscripto: Libri tres de Spiritu Sancto: ***non solum Didymum excerpsit, sed et Basilium et Athanasium, ita ut in eo colligat quidquid dici umquam potuit, ad probandam Spiritus Sancti divinitatem*** (Rmus Fessier, ***instit. Patrologiae t.*** 1 ***p.*** 686).,. Num dedecori fuit Ioanni Damasceno, quod librum, qui ***Parallela*** inscribitur e locis SS. Scripturarum, SS. Patrum et profanorum etiam auctorum sententiis composuerit?... Num quidpiam detrahitur laudi S. Thomae, quod in ***Catena aurea in quatuor Evangelia*** ex diversis Doctorum libris expositionem suam concinnant? ***Epist, dedicatoria ad Urbanum IV.***

» Immo in tribus illis opusculis dogmaticis (Disputatio de fide catholica; Antilogus contra Iudaeos; et Dialogus inter Iudaeum et Christianum) quae S. Petrus Damianus praeter epistolas et sermones nobis reliquit, nihil reperitur quod non antea multi SS. Patres effuse et egregie explanaverint, et etiam hae-

reses nonnisi paucis verbis attinguntur; quantumvis ceteroquin, praesertim in extirpanda labe simoniaca, praeclara et eminentia sint huius Sancti merita.

» Si igitur antiquis Patribus ac Doctoribus nedum ignoscimus, sed laudes plurimas tribuimus: cur Alphonsi gloria imminuetur, si in quibusdam operibus idem praestiterit, quod illi peregerant?» Haec Orator; qui deinde ad singulos obiectos libros sermonem suum convertit.

Sed amplissima dicendi segetes parata est Oratori per anir madversiones ex adverso factas in opus rerum moralium: namque in comperto est omnibus, S. Alphonsum singularem prorsus semet exhibuisse in difficillima rerum moralium prudentia, ita ut a Deo excitatus putandus sit ad illud conficiendum opus, quod norma esse deberet in tanta opinionum varietate; praesertim vero adversus invalescentes sententias, motas vel ortas ex Ianseniana doctrina, quae aequas christianas morum regulas ubique sensim sine sensu in gravissimum convertebant iugum.

Ad superiorem itaque Censoris animadversionem, praetermitto bibliothecae titulum, qui inter eiusdem Operis merita scite recensetur. Neyraguet ***Compend. Theol. mor. de consc.*** hoc summo honori (ut notavit Orator) duxit S. Auctori, quod « ***omnium in-*** ***» signium Doctorum,*** qui de re morali dissertaverunt, opiniones)) in medium profert, ita ut ***illius Theologia ceteros Auctores sup-*** ***» -plere possit.»*** Item Scavini ***Theolog. mor. tract, de Consc.*** scripsit: « ***Eruditione inter fusiores et recentiores Moralistas praestan-*** ***» tissimus,*** qui declarat, se per annos multos quamplurima Au- » ctorum classicorum volumina evolvisse, ac solertissime eorum » doctrinas ponderasse: qua in re, hoc maxime allicere debet: » quod nempe Auctor, ***in quacumque controversia,*** solet exhibere » clare et simpliciter ***omnes hinc inde Doctorum sententias et ra-*** ***» tionum momenta, quibus singulae innituntur,*** in medium sincere »proferens ***catalogum Scriptorum*** melioris notae... (ita ut) ***studio-*** ***» si habeant quasi sub oculo Theologos et Canonistas sine numero.))***

Animadvertens itaque Orator, theologiam moralem ita esse pertractandam quod iam a medio saeculo XVI invaluit, ut praetermittendi non sint sacri canones, definitiones Ecclesiae ad mores spectantes, constitutiones Apostolicae et propositiones a S. Sede damnatae, quibus et fundamentum positivum disciplinae mo-

ralis et auctoritas continetur, quam excedere nefas esset; nec praetermittenda auctoritas, quamquam ea privata sit, Theologorum probatorum, praesertim Sanctorum eorumque qui classici audiunt: nemo inquit reprehendet S. Auctorem si haec omnia peregerit, dummodo ad rem factum sit.

e Atqui (pergit Orator) S. Auctor non modo Doctorum auctorumque sententias allegat, sed etiam rationes allatas, ac obiectiones seu difficultates ipsis obstantes sedulo examinat atque pondérât, et demum iudicium suum pronunciat: haud raro rationem in lancem imponens, qua nemo antea usus erat. In praefatione ad Theologiam moralem ait: ***Ceterum sategi, ut plurimum, meam exponere sententiam, iustum pondus tribuendo maioris, vel aequalis, vel minoris probabilitatis cuique sententiae, prout meae imbecillitati visum fuit, ne ancipitem relinquerem lectorem, more aliquorum, qui sententias aliorum tantum referentes non parum exosos legentibus se praebent.***

» Maximam porro laudem (scitissime prosequitur Orator cuius verba refero) ingenii praestantissimi ille dicendus est meruisse, qui in scientia multis tenebris offusa, multis obsita dumis, multis quaestionibus perplexa, tutam planamque viam comperiat, quae ad veritatem perducat, nec dextrorsum nec sinistrórsum deflectens; repertum vero tramitem aliis ostendat dilucide, et ita probet, ut iis quibus iudicium pertinet, placeat, ac suffragia sapientium sibi conciliet. Haec sedulo retine, et quid S. Antistes peregerit, inspice. Vertente medio saeculo XVIII discordia inter Auctores, Theologiam moralem pertractantes, adeo increverat, ut vix ulla capita remanerent, de quibus non disputantur. ***Tutioristae rigidiores, Tutioristae mitiores, Probabilistae strictiores, Probabilistae laxiores*** acriter suas defendebant opiniones. In primis ***Rigoristae*** dogmata sua intolerabilia, tamquam Evangelio et SS. Patrum placitis Unice conformia haberi volebant, quibus obloqui sine aperto aeternae damnationis periculo nemini liceret. In tanta opinionum varietate, Confessariis optio nulla praesto erat, praeterquam aut in alicuius scholae vel magistri verba iurare, aut laborem suscipere gravissimum et difficillimum, cui pauci sane pares erant; nempe ut omnes opiniones controversas examinarent, ac eas seligerent, quae ipsis a rigorismo aeque ac laxismo distare viderentur. ***Opus ergo erat Viro acuto ingenio,***

profunda eruditione et longa experientia praedito, qui omnium partium studio alienus, soloque maioris Dei gloriae et salutis animarum zelo ductus, omnes sententias controversas inquireret, rationes pro et contra militantes diligenter ac religiose perpenderet, ac demum iudicium suum pronuntiando, ***Confessariis viam planam panderet,*** qua in sacro exercendo ministerio, unde salus aeterna fidelium magna ex parte dependet, tuto incedere possent.

» Atqui S. Alphonsum, divina providentia disponente, Theologia sua morali ***id reapse praestitisse,*** nostra saltem aetate ***uno ore praedicatur...***

» Quas ob res, ii ad quos iudicium pertinet, ***eminentis doctrinae*** laudibus-amplissimis Opus Alphonsi cumularunt. Romani Pontifices, licet in eiusmodi encomiis tribuendis parcissimi, in Alphonso tamen exornando laudibus non pepercerunt. . . . Nihil dicam de S. R. E. Cardinalibus, de Archiepiscopis, Episcopis, Religiosorum Ordinum Praesulibus, aliisque, quorum suffragia ac testimonia in ipsis Literis diserte sunt exposita.»

Inde Orator multa adduxit testimonia ad ostendendum, quale ac quantum sit iudicium, quod de morali S. Alphonsi Opere dederunt docti publicique Scriptores.

Horum testimoniorum aliqua exponam. « Quantam S. Alphonsi
» de re morali Opera (inquiunt Professores facultatis Theol, in Uni-
» versitate Lovaniensi) pro animarum conversione ***in universo Orbe***
» ***catholico lucem fuderint,*** et quam stupendos in ***universa Ecclc-***
» ***sia*** poenitentiae fructus attulerint, ac porro afferant, tam diu
» tamque constanter omnium regionum Antistitum et Sacerdo-
» tum eloquia testantur, ut S. Alphonsi doctrina non uni tantum
» alterive regioni luxisse, sed ***Ecclesiam universam docuisse et***
» ***fecundasse,*** iure merito praedicetur. Divinae porro Providentiae
» consilio factum est, uberrimum illum et saluberrimum fontem
» ab eo inde tempore scaturire, quo in genus humanum irruit
» teterrima pravitatis colluvies...»

Doctores collegii theologici Bononiensis inter cetera scribunt:
In ea Theologia morali « ex duabus utra, num sanctitas, num
» sapientia magis excellât, valde implicatum est declarare. ***Tanta***
» enim ***in ea vis ingenii, tam mirabilis ad sanae doctrinae defen-***
dit sionem prudentia, tam temperans in violentissimos adversarios
» continentia elucet, ut exinde Dei miles ***quovis nomine perfectus***

» arguatur.. ***Maximi loco beneficii habendum. Alphonsi sententias*** » (summo iam in pretio apud omnes, antequam Sanctis adscri- » beretur) hunc post honorem ***ita ubique gentium invaluisse, ut*** ***» sacrorum Antistitum nemo non faveat, ministrorum Ecclesiae*** ***» nemo non evolvat, sedentium pro tribunali nemo non amplecta-*** ***» tur.*** Idque reipsa ab adversariis quoque compertum et compro- » batum: nam extremarum partium duces modo qui sequi velint, » omnino non habent; quandoquidem ***doctissimi huius temporis*** ***» omnes in eo toti videntur esse, ut Alphonsi libros interpretentur,*** ***« commentariis illustrent... Hodie Alphonsi praecepta non apud*** ***» Italos tantum et Gallos et Beigas et Germanos obtinent, sed in*** ***» Europa universa, immo quam ipsa late patet Ecclesia catholica. »***

Rationem autem, qua tot laudibus extollendum est Opus morale S. Antistitis, scitissime attingunt Professores Facultatis Theologicae in Universitate Vindobonensi ubi aiunt: « ***Id quidem ma-*** ***» ximum, quo*** S. ***Alphonsus inclaruit, meritum esse putamus, quod*** ***» morum doctrinam,*** tum ab immoderato rigore, tum a nimia le- » nitate aeque distanlem doctrinam ***genuino Ecclesiae spiritu un-*** ***» dique plenam, mira eruditione exposuit, perspicacissime probavit,*** ***» acutissime explanavit, fortissime contra adversarios armis victri-*** ***» cibus propugnavit. »***

Card. De Rohan-Chabot, Archiep. Vesontionensis, qui in epistola circulari ad clerum suum data (Romae die 5 Iulii 1831) post acceptum a S. Poenitentiaria notissimum Responsum, haec habet: « Nihil nobis, Dilectissimi, optatius... nihil... vobis ipsis utilius » poterat contingere, quam quod ***certam aliquam normam*** vobis » proponere possemus pro animarum gubernatione in Sacramento » praesertim Poenitentiae administrando, quam quisque vestrum » tuto sequi potest... Quapropter, dum illam Responsionem di- » lecto Clero nostro participamus, magnopere vobiscum gratula- » mur, quod occasio nobis exhibeatur, imo et ***efficax remedium*** ***» ad dissidentium animorum motus componendos et conscientiarum*** ***» tranquillitatem procurandam.*** Cum itaque Romae Iudicium eius- » modi sit, ut illi plane adhaerendum esse velimus... ***omnes pa-*** ***» terno hortamur affectu, ut eam ad praxim deducant...*** ut illud » Apostoli (1 Cor. 1, 10) teneatur, quod tantopere commendat; ***» Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Chri-*** ***» sti, ut idipsum dicatis omnes et non sint in vobis schismata; sitis***

» autem perfecti in eodem sensu et in eadem sententia.» Cf. Gousset, ***Justification de la Théolog. mor. du B. Alphonse, Besançon*** 1832 ***pag.*** 251, ibique alia opportunissima reperies: nec non ***p.*** 15, 27, in quo habes quoque praeclarum testimonium Emi Gousset.

Duobus hisce Romanae et Gallicanae ecclesiae ornamentis, fas est adiicere tres Antistites itálicos S. Auctori coaevos, quorum alter Rmus Basti olim Episc. Melphiensis aiebat: « 11 P. D. Al-
» fonso, con questa sua Morale ***ha sconfitto il giansenismo*** (latine:
» cum hac sua morali Alphonsus profligavit Iansenismum), avendo
» poste le dottrine morali nel giusto loro stato, ***ed ha agevolato a***
» noi Vescovi il governo delle anime.» Cf. Tannoia 1. 4 c. 16 p. 647. Alter vero, Rmus Lupoli olim Episc. Cerretanus, subdit: « ***Io non***
» mi fiderei di fare il Vescovo, se non avessi sul tavolino la Mo-
rt rale di Monsignor Liguori. » Tertius demum Rmus Minutoli, olim Episc. Miletensis, haec de se fatebatur; « In tanti anni che
» sono stato Confessore in Napoli non ho saputo altra Morale che
» questa di Monsignor Liguori. Questa ho sostenuta in Napoli;
» questa voglio si seguiti da* miei Confessori diocesani, e con questa
» regolo la mia diocesi. Non può fallire chi con questa si regola;
» perchè essa è opera di un Vescovo santo, pieno di Dio, e tutto zelo
» per la salvezza delle anime.» Cf. Tannoia ***loc. cit.***

Item, Rmus Kenrick, olim Archiep. Baltimorensis, qui opus suum morale aggrediens, ait: « Omnem in eo posuimus operam,
» ut S. Thomae e schola veteri, et S. Alphonsi ex recentiori u te-
» remur documentis, et ex iis quid de singulis casibus sentien-
» dum sit, colligeremus.» ***Theol. mor. vol. I Philadelphiae*** 1841. Atque in eius operis prooemio: « Prae recentioribus Ethices au-
» ctoribus ***eminet S. Alphonsus de Ligorio...*** (qui) scientiae et
» exercitii fructus in Theologia morali, quam scripsit, nobis re-
» liquit. ***Hanc semper prae manibus habuimus,*** dum opus hoc no-
» strum qualecumque pararemus, ***eiusque exscripsimus saepe sae-***
» pius verba et secuti sumus libenter auctoritatem.»

Alter Americanae Ecclesiae Episcopus Mullock scripsit: « The
» great and principal work (S. Alphonsi) is his ***Moral Theology,***
» one of the most learncd works on the subject ever published...
» It has since gone through ***numberless éditions,*** and ***has been***
» always looked on as standard authority.» The life of S. Alph. Dublini 1862 p. 130, 132.

Omitto praeclarissima testimonia de morali S. Alphonsi quae dederunt duo itali Scriptores in theologia morali satis celebres tum Scavini in ***Praef, ad suam theol. mor.*** et in ***tract, de conscient,*** tum D. Frassinetti, ***Compendio delia Teol. mor.*** Commemorano D. Martinet, qui haec scripsit: « Huius eximii Operis... » supervacua iam esset defensio, cum haec duo constent: I° Theo- » logiam Ligorianam probatiorave eius compendia diu noctuque » versari ab omnibus ferme Pastoribus et Confessariis... 2° Inter » Theologias morales, recentiore aevo editas, ab impraeiudicatis » animis ***principem locum Ligorianae facile decerni, ob immensam,*** » nec tamen confusam, ***eruditionis copiam, ob singularem prudenti Ham experimentalemque scientiam sanctissimi Auctoris, maxime » vero ob iteratam comprobationem S. Sedis Apostolicae.*** » Theol, Moral. Parisiis 1867 t. 1 p. 277.

D. Mulier pariter scripsit: « Divum Thomam ***et S. Alphonsum » omnibus praetuli.*** . . Quanta sancti huius Episcopi in materiis » moralibus ***auctoritas*** sit ex Ecclesiae iudiciis et encomiis per- » spicitur... ***Nunc temporis, vix ulla in orbe catholico provincia » invenitur, in qua laudatum Opus cum ceteris, ipsius scriptis non » magna divulgatione et existimatione gauderet.*** » Theol, moral. Vindobonae 1868 1. 1 Praef, et pag. 17, 43.

Item D. Bernardus Sala, qui in compendium contrahens Alphonsianum Opus graviter disserit de auctoritate S. Auctoris, concludit: « es fácil deducir que ***entre los muchísimos escritores » de Moral*** cuyas opiniones pueden lícitamente seguirse por no » ser reprobadas por la Iglesia, ***debe sin duda darse la preferen- » cia á las de S. Alfonso de Ligorio.»*** La Teol. mor. en noventa conferencias... Vich 1868, conferen. 1.

D. Raymundus Miguel, traductor hispanus Operis ***Homo Apost.*** inter cetera scripsit: « ***Inútil es decir que á esta clase (***eorum » videlicet qui doctrinae fulgore mundum illuminant) ***pertenece la » Teología moral de S. Alfonso M. de Ligorio.*** Nadie sin incurrir » en la nota de temerario podrá tachar los escritos de este in- » signe Autor. . . ; ***qué peso tan estraordinario no se añade á su » doctrina !***. . . Un Doctor que enseña con la palabra y con el » ejemplo es ***dos veces Doctor:*** y un Doctor que se hace Santo » practicando aquello mismo que enseña, ***puede hacer muchos San-***

» tos. He aquí porque se ***aprecian tanto entre los sabios las Obras » de S. Ligorio.*** » El Hombre Apost, instruid. Barcelona 1846.

P. Ioseph Mach S. I. probans quam difficile sit bene caliere universam Theologiam moralem, inter cetera haec habet: « Una » dificuldad quedaba todavía, y era la de encontrar un guia fiel, » que con perfecta seguridad condujese al Sacerdote inexperto » por las ásperas é intrincadas sendas de la Teología moral. Pero » la divina Providencia nos ha deparado este buen Angel y guia » segurísimo en la Teología y persona de san Alfonso Ligorio... » Entre las apreciabilísimas obras que corren de Teología mo- » ral, ***una ciertamente de las mas autorizadas y mas dignas de » ser estudiada,"comentada, é ilustrada... es la Teología moral de)) san Alfonso Ligorio.*** Todo la recomienda sobramanera.» ***Tesoro del Sacer d.*** 4 ***Edic. Barcelona*** 1866 ***par.*** 1 ***tr.*** 2 ***p.*** 50.

D. Neyraguet, in Praefatione sui operis haec scripsit: « ***Quid)) utilius Morali S. Alphonsi*** Theologia ? Attendendum ad se- » quentia: **I**° S. Auctor. . . ceterorum Doctorum praeclara dicta » et excogitata prae manibus habens, horum opiniones ***diu inve- ii stigalas ponderavit,*** precibusque et virtutum exercitio, qui lu- « mine caelesti prae ceteris adiuvaretur meruit... 5° Nulla cupi- » ditate ductus, et ab omni singulari doctrina alienus ***Ecclesiae » Romanae soli doctrinae toto corde adhaerens,*** Decisiones S. Sedis «accurate profert, quod saepe praetermittunt alii Doctores: ***hoc » praecipuum in animo habens, ut Iansenislas, sanae doctrinae » hostes infensissimos, deb eilet, eorum errores patefaciat, illosque » ad antiquas Ecclesiae Catholicae regulas reducat. -*** 6° Eius do- » ctrinam sectantes ***innumeri Clerici*** scientia et pietate conspicui » in eiusque studio maxime versati, ***cum magno successu sanctum » ministerium exercent. -*** 7° Vix ac ne vix quidem alius Doctor » reperitur, qui de re morali ***tam multa tamque particulatim*** seri- » pserit... ***Non mirum ergo, quod hisce temporibus, haec Theolo- » gia ubique exoptetur et exquiratur, quod ab Ecclesiarum Prae- » sulibus commendetur, ab eximiisque Doctoribus... summis laudi- » bus extollatur; quod in universum Orbem diffusa, in omnium » fere Clericorum manibus versetur.»***

Ne longius progrediar ceteros omitto, ut P. Ioannem Gury, P. Montrouzier, ***Revue des sciences eccles, n.*** 94 ***Octobre*** 1867p. 302, P. Zecchirtelli tres ex S. L Pariter scriptorem in Theologiae cursu

compi. *Migne t. Up.* 332: *nee* non praeclara ellogia per doctas ephemerides tributa, ut videre est: *Unità Cattolica,* 16 *Luglio* 1864, 1 *Ottobre* 1868, 23 *Feb.* 1867. Revue des Sciences ecclésiastiques *n.* 56 *août* 1864 *p.* 159.

His autem praeclarissimis Auctorum encomiis in medium deductis, descripto quoque plausu, quo plurimae editiones in universum Orbem fuerunt diffusae, eo ipso perquam longissime abit animadversio illa a Censore proposita, quasi vero Morale Opus Alphonsi reduceretur ad merum sententiarum compendium, in quo non aliud Auctoris meritum reperiretur, quam laboriosi coactoris.

Ad eas animadversionis partes, quibus opponitur: *inceptum opus perfecisse dici nequit:* quod *emendationes aliae procul dubio accessissent, si aliae, adhuc eo superstite, prodiissent editiones, aut diutius in vivis degisset:* inter cetera sic respondit Orator: « Non esse commiscendas *primas Operis editiones,* cum Opere, quod S. Auctor moriens reliquit. Hoc inspiciendum est, non prima tentamina, quae semper aliquid emendandum, temperandum, perficiendum desiderant; quod S. Auctor praestitit. . .

» Nolim equidem Censorem optimum importune a moralibus disciplinis ad mathesin revocare; sed commemorare fas sit, emendationes operum, quae recte et religiose fiunt, procedere *per seriem decrescentem;* adeoque quo magis lima ab auctore adhibetur, eo *minor* fit numerus errorum, vel defectuum qui correctione indigeant. Sane Vir sanctus in secunda editione elenchum *nonaginta novem* quaestionum reformatarum adiecit. In se#fa, quae prodiit anno 1767, alias *viginti tres* addidit. Postmodum in *octava,* quam anno 1779, octo nimirum annis ante eius obitum, evulgavit, nonnisi tres correctiones illius stylus exaravit.

» Ex quo factum est, ut eo mortuo, Opus undequaque perfectum haberetur, et *Sedes Apostolica* Alphonsum potuerit proponere quasi Ducem certissimum, quem in omnibus moralibus quaestionibus conscientiarum moderatores sequerentur. Immo non semel S. Congregationes Romanae, potius quam directe propositas dubietates dissolverent, ad Alphonsum quasi oraculum venerandum, consulentes delegarunt. Ita cum anno 1842 quaestio salebrosissima proponeretur S. Poenitentiariae ab Episcopo Cenomanensi, circa interrogationes a Confessario faciendas super

implemento coniugalium officiorum, die 8 Iunii respondit: « ***Verba* » *perpendat S. Alphonsi de Ligorio viri docti, et harum rerum peti ritissimi,*** qui in ***Praxi Confessariorum §.*** 4 ***n.*** 41 inquit: Circa » autem peccata coniugum respectu ad debitum coniugale, ordi- » narie loquendo, Confessarius non tenetur, nec decet interrogare » nisi uxores, an illud reddiderint, modestiori modo quo possit. ***a*** De aliis taceat nisi interrogatus fuerit. » Item S. Congregatio R. et U. Inquisitionis, ad quaesitum: « An impediti adire Romam » in persona, teneantur adire saltem per epistolam, aut procu- » ratorem, ad absolutionem a casibus Sedi Apostolicae reservatis » impetrandam? die 18 Iulii 1860 respondit: ***Consulat*** (Episco- » pus N. Orator) ***probatos auctores, inter quos S. Alphonsum Ma- » riam de Ligorio.*** » Et cum eidem S. Congregationi plura proponerentur dubia circa absolutionem complicis in vitio turpi, praefata die sequens etiam prodiit responsum: ***Consulat*** (Episcopus N. Orator) Decretales Clementis III ***et probatos auctores inter quos S. Alphonsum de Ligorio Theol, moral. I. 7 c.*** 1 ***dub.*** 5 ***de Censuris n.*** 84 ***ad*** 92. Atque nonnulla alia similia responsa adducens Orator sic est prosequutus.

« Si quis vero gravate ferat, quod Alphonsus dum in vivis ageret, studiose elaboraverit in naevis emendandis et plura deprehenderit quae in prima vel altera editione exciderant, posteaque in melius reformari potuerunt; dicam mirum non esse, illum ***inter tot millia quaestionum,*** aliquas opiniones reperisse, quas primitus ut satis probabiles admiserat, postmodum vero iterato examine, ut ***certo et notabiliter minus probabiles*** cognovit. Etenim rationes pro singulis opinionibus ex utraque parte militantes, accuratissime imo scrupulose et non semel tantum, examinare ac ponderare religioni sibi duxit; ut patet ex textu Theol, mor. lib. 3 n. 547... ***semper timor mihi fuit, ne Deus aeque rationem a me exigeret si opiniones laxas ut probabiles approbassem, quam si probabiles ut laxas reprobassem.*** De his emendationibus memoratu digna sunt quae refert P. Tannoia, S. Auctoris biographus ***loc. cit. I.*** 2 ***c.*** 28 ***pag.*** 183. - Neapoli (italica verba latine verto) gratae non acciderunt illis venerandis Congregationibus, eiusmodi emendationes; quum universim satis firmae, ac classicis auctoritatibus innixae, emendatae opiniones iudicarentur. Nonnulli eo devenerunt, ut dicerent, id Auctori honori non esse. ***Di-***

eant ae me, inquit Alphonsus, ***quidquid velint, non quaero gloriam meam, sed animarum bonum gloriamque Christi Iesu.*** - Tanta fuit in S. Auctore religio, tam sincerum studium quo veritatem- inquirebat!... Utinam omnes Theologi, tam rigidiores, quam benigniores , eandem semper in veritate inquirenda sollicitudinem adhibuissent ! »

Adnotatione praeterea facta, emendationes quoque fecisse in suis Operibus alios Ecclesiae Doctores, quod ipsorum laudi vertitur, inter quos ipse Thomas et Augustinus, sic defensionem suam quoad animadversionem de qua agimus Orator conclusit.

« His generatim propositis, propius ad quaestionem accedere fas est; nam revera multa hodie reperiri monet Censor, quae in Theologia morali ***non bene excusa Auctori exciderunt, quaeque doctis prudentibusque viris satisfacere nequeunt.*** Instare fas est et rogitare: qualia haec sint?.. . Hic censura se tuetur nomine honorabili P. Antonii Ballerini moralis theologiae antecessoris.

» Attamen ab eo viro qui certe S. Alphonsi auctoritati nunquam serviliter adhaesit, vix tantum Censor decerpere potuit, ut pauciores quam triginta locos adduceret, quibus in rem suam uteretur; dum quaestiones, quae in morali Theologia pertractantur, innumerabiles sunt. Cetera sane nullius momenti ad disputationem nostram Censor esse putavit. Nam siquid grave et solidum, praeter ea quae adduxit, deprehendisset, pro officio suo nominatim désignasses Nec grave et solidum quidquam esse poterat; nam si opiniones aliquae adhuc disceptabiles in S. Alphonso reperiuntur, nulla tamen falsa vel temere prolata dici potest (1).

(1) Haec et similia Oratoris verba in aestu defensionis prolata, si ad accuratam veritatis normam expenderentur, non undequaque vera reperirentur. Namque, si disceptabiles in S. Alphonso reperiuntur opiniones, eo ipso aliqua falsa dici poterit si falsa demonstretur: secus enim non essent realiter disceptabiles.

Nulla quidem dici potest temere prolata, quatenus culpabilis temeritatis nota inurenda S. Viro esset : cui nemo contradicit.

Celebre Decretum S. Poenitentiariae omnes quidem et singulas S. Auctoris opiniones tuetur seu comprehendit, quin tamen reprobet aliorum probatorum Auctorum sententias: quae possunt esse quoque contrariae. Decretum enim seu Responsum S. Poenitentiariae latum est non super *veritate* cuiusque S. Auctoris opinionis: sed latum est ex principio moralis prudentiae, secundum quod quisque tuto agit, qui sequatur sententias eorum, qui et sana doctrina praestiterint et integritate morum refulserinl: quae dotes in S. Alphonso praeclanssimae recognitae sunt ipso S. Sedis iudicio,

Decretum siquidem S. Poenitentiariae ita ***omnes et singulas S. Auctoris sententias*** tuetur, ut animarum moderatores eas ***tuto sequi valeant,*** quin perpendant momenta rationesve, quibus variae eiusdem nituntur opiniones; immo quin obstare possit iuramentum praestitum Probabilioristarum sententias tuendi ac docendi. Quae laus splendidissima S. Alphonsi, nulli Ecclesiae Doctori (ni mea me fallit memoria) tributa fuit. Ita, sine ulla cunctatione, Pontifex Romanus solemniter in Bulla Canonizationis de S. Viro proferre potuit gravissima verba, quae de S. Hilario protulerat Hieronymus, nimirum: ***omnia eius opera inoffenso prorsus pede per curri posse.***

» At vero, quomodocumque se res habeat, undecumque obiecta sint hausta, omnibus singillatim expositis inferius respondere parati sumus; nec solida argumenta deerunt, quibus ictus contra doctrinam S. Antistitis illati validissime refellantur.» Hactenus Orator, qui deinde ad tuenda nonnulla peculiaria doctrinae capita et ipse descendit.

Praeterea vir alter in rebus moralibus apprime versatus (ex familia Ligoriana ut puto) partem sibi assumpsit defendendi S. Auctorem ab eiusmodi ictibus, quos dixit Orator. Id peregit, Opere propemodum conscripto, quod constat quingentis et amplius paginis in folio minutis typis exarato.

Placet nonnulla generalia ex Prooemio excerpere, quae ad generalem causae disceptationem propius faciunt.

« Supponit (inquit laudatus vir) plerumque cl. Professor, S. Alphonsum ***sola Doctorum auctoritate*** ad varias, sive approbandas sive reiiciendas sententias inductum fuisse. Verum sii odi as' sertis solemniter contradicit ipse Sanctus. Scribit enim ?i Theologia morali ***lib.*** 3 ***n.*** 547: « Facile continget, in hoc r)ro...
» omnium sensui me non fore satisfacturum: ab illis enim qui

erumpentes quoque ex eius expensis scriptis in Causa Canonizationis. Haec patent ex ipso S. Poenitentiariae Re-sponso, **de quo hoc sensu fusius scripsi in** *Vol. I pag. ¿97 et seqq.* **et qui secus de** eodem **Responso contenderent, evidenter errarent, quin S. Alphonsi cau sam sive** *no\s^.iY.ù<;* **sive** SsTtx«? **iuvarent. Quod ex eo Responso causam iuvat, illud est, quod nullus auctor, de rebus moralibus scribens, peculiarem illam declarationem sibi vindicare possit: qua factum est, ut conscientiarum moderatores de uno probato auctore per ipsam S. Sedem certi essent. Quod, inspecta ratione agendi S. Sedis, res est magni momenti.**

» rigidae vel benignae sententiae plus forte, quam par est, aman-
» tiores sunt, aut nimis austerus habebor, ***quia a multorum gra-
to viumque Auctorum sententiis recessi;*** aut nimis indulgens, quia
» plures opiniones libertati faventes, tamquam probabiles appro-
» bavi. ***Testor Deum,*** cuius honorem et animarum salutem mihi
» proposui, quod ***quidquid scripserim,*** non aliqua passione impul-
it sus, ***aut verbis aliquorum Auctorum addictus,*** vel austeritati aut
» benignitati nimis adhaerens, ad haec scribenda me induxi, ***in
» qualibet quaestione, praevio diuturno studio, curavi quidem veri-
» talem investigare praecipue in iis quae ad praxim magis faciunt;***
» et propterea non solum ***diligenti trutina perpendere elaboravi
» rationes,*** quas Doctores classici tradunt, sed etiam plures do-
» c tos recentiores consulere non neglexi: ***adeo ut aliquando, in
» recto iudicio de aliqua quaestione faciendo, multos dies consum-
» pserim.*** Siquidem ***non tamquam ovis*** (ut verbis utar rigorista-
» rum) ***semitas Scriptorum caeco ductu sectatus sum;*** sed operam
» dedi, ut veritatem assequerer, aut sententias, quae magis veri-
» tati accedunt, amplexarer. ***Pro viribus sum conatus, semper ra-
» tionem auctoritati praeponere; et ubi ratio me convicii, non renui
» auctoribus pluribus contraire,*** etiam iis, quibus magis forsan ad-
» haerere potuissem, utpote quia, cum hanc scientiam addisee-
» rem, ad manus meas ante alios illi pervenerunt...»

« Insuper (prosequitur idem Ligorianus defensor) cl. Ballerinius passim S. Alphonso ***falsas Auctorum allegationes*** obiicit. Libenter concedimus, quosdam perpaucos Auctores ***interdtim*** a Sancto nostro, pro aliqua sententia minus recte allegari. Ast, cuinam Theologo, de disciplina morali diffuse tractanti, non idem exprobrandum esset? . .. Humano quippe modo loquendo, non potest non fieri, quin in ampliori Opere, quemadmodum in Theologia morali S. Alphonsi inter plura millia citatorum (1) aliqua exci-

it) In *quatuor* fere *millibus Quaestionibus,* quas complectitur sola Theologia moralis, et in quibus solvendis **S.** Alphonsus octingentorum circiter Auctorum sententias allegat et perpendit, huiusmodi *Citata* sunt saltem numero *triginta quatuor millia.* Iure igitur **affirmare** potuit ipse **S.** Auctor in praefatione Operis: « *Concinnatas in hoc reperies omnes quaestiones et res morales, quae magis ad praxim deserviunt.* ***Ut*** *vero sententias veritati conformior es seligerem, in quacumque quaestione non parum laboris impendi; per plures* (alibi dicit *quindecim) enim annos, quamplurima Auctorum classicorum volumina*

dant errata; praesertim si de quaestionibus et sententiis, varias distinctiones et restrictiones comprehendentibus, agitur. Diximus ***interdum;*** nam ex infra exponendis clare liquebit, non S. Alphonsum, sed potius ipsum cl. Ballerinium, maxima saltem ex parte errare, Auctorum textus minus recte citando...»

Animadvertit denique idem Ligorianus Defensor, non adesse quidem obligationem sequendi sententias Scriptorum, etsi inter Beatos aut Sanctos relati sunt; immo posse quoque horum sententias impugnari; ita tamen, ut impugnatio fiat ***cum debita reverentia,*** ut sit ***modesta et bonis rationibus innixa;*** Benedictus XIV ***de Ganoniz. I.*** 2 ***c.*** 34 ***n.*** 12. Praesertim vero in Constitutione ***Sollicita ac provida*** §. 24, ubi de S. Thoma Aquinate Pontifex loquitur, eiusque laudat scribendi moderationem, honestissimamque cum adversariis agendi disputandique rationem, reprobans contrarium agendi modum, quamquam diversa sentire liceat (1).

evolvi, tam rigidae, quam benignae sententiae...» Unde scitissime advertit Efiáus Card. Villecourt, it Vita S. Alphonsi tom. 4 p. 421 : « *D'où l'on peut se faire une idée, non-seulement de peines et des fatigues qui accompagnèrent ce prodigieux travail, mais aussi du mérite et de l'excellence de cet Ouvrage.»* Et Rffius D. Manning, Archiep. Westmonasteriensis, de Operibus moralibus S. Auctoris loquens, scribit: « *Les Œuvres de Saint Alphonse sont, je puis le dire, la Somme de la Théologie morale, comme les œuvres de rimmortel Saint Thomas sont la Somme de la Théologie dogmatique. Pour les composer, Alphonse consulta fidèlement et laborieusement les Théologiens qui l'avaient précédé. Environ huit cents été lus et analysés par lui. Le travati consciencieux, assidu et minutieux, exigé pour une pareille tâche, n'est pas surpassé dans l'histoire de VEglise...»* Cfr. opuse, cui tit. *La confiance en Dieu et la mission de S. Alphonse,* Paris 1868 p. 130. (Nota laudati defensoris).

(1) Quam varium est iudicium, quod sponte erumpat ex publicis alicuius scripti», ab eo quod alii sibi faciunt ex ipsa persona quae scripserit. Qui cl. P. Antonium Ballerinium noscant, eiusque praelectiones audierint (ego enim per annum in re morali docentem eum audivi) ne vix quidem commoventur ob quasdam eius dicendi rationes, quae per se acerbae videntur. Est enim venerandus senex acri ingenio praeditus, vivacique phantasia pollens, qui innato quodam horrore Iansenismi vestigia est semper insectatus : unde nec mirum si in oppositam partem forte aliquando feratur, acrisque identidem appareat eius dicendi ratio; qui si facundia gauderet celebris Melchioris Cani, non multum illius dicendi rationes ab huius scriptis fortasse discreparent. Est porro in docendo amoenissimus, cuius sententiam si minus probabilem ei demonstrares, et loco dicendi minus probabilem minusque veram, ei diceres esse absurdam, illogicam, nulli fundamento innixam, aliaque id genus, eius animum nullatenus perturbares.

Ceterum auatoritati S. Alphonsi universim defert, quod non solum passim colligitur ex pluribus eius adnotationibus;

His accesserunt duo Consultorum vota a S. C. exquisita: horum Consultorum unus rationibus fere innixus, quas ex Causae Oratore hactenus concinnavi, pro S. Alphonso, titulo Ecclesiae Doctoris augendo, opinatus est: alter vero, in principiis, quae eiusmodi causas dirigunt, eorundemque applicatione aliquatenus nutans, in oppositam ferebatur sententiam.

Proposita itaque causa disceptanda in S. Congregatione SS. Rituum die *ii* Martii 1871, referente Emo Cardinali Constantino Patrizi, causaque cognita, Responsum prodiit: « ***Consulendum SSmo pro concessione seu declaratione et extensione ad universam Ecclesiam tituli Doctoris in honorem S. Alphonsi Mariae de Ligorio cum Officio et Missa iam concessis addito*** Credo, ***Antiphona ad Magnificat in utrisque vesperis*** O Doctor, ***ac Lectionibus I Nocturni*** Sapientiam, ***et VIII Responsorio*** In medio Ecclesiae.»

Re autem per Rmum D. Secretarium die 23 Martii 1871 ad SSmum Patrem relata, SSmus S. Congregationis Responsum adprobavit et confirmavit, ac generale Decretum expediri mandavit, quod infra referam.

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. Doctoris Ecclesiae titulum illis luminariis, ex universali veluti Ecclesiae consensu, ab antiquis temporibus fuisse tributum, qui sanctimonia vitae refulgentes, suis scriptis Ecclesiam universam aliquo modo illustrarunt.

II. Non enim propter seipsos Doctores sunt appellati; sed propter Ecclesiam cui praeclare inservierunt, sive in confutandis invalescentibus erroribus, sive in illustrandis sacris Litteris, sive in explanando Revelationis deposito, sive in dirigendis moribus.

III. Eminentiam ideoque doctrinae (quae in nonnullis Ecclesiae Doctoribus fuit prorsus angelica) non fuisse ***absolute*** consideratam ut Doctores appellarentur, sed ***relative*** ad magnum aliquem effectum, quem pro varia Ecclesiae conditione praeclaro ingenio, sanctimonia et doctrina sunt consecuti.

IV. Quare inter Ecclesiae Doctores, si doctrina absolute considerata inter ipsos comparetur, gradus ita distinguuntur, quem-

sed etiam ex ipso textu, quem explicandum in schola ipse selegit. Compendium enim quod concinnavit P. ioannes Gurj non est fere aliud quam compendium Alphonsianae doctrinae.

admodum m nrmamento astra maiora et minora; qui tamen omnes pro rerum conditione universam illuminarunt Ecclesiam.

V. Hoc bonum proinde, in Ecclesiam collatum, esse praecipuum argumentum ad Sanctum Virum titulo Doctoris Ecclesiae decorandum ; quod per se aperte significat eam doctrinae eminentiam quae hac de causa quaerit Ecclesia.

VI. Inde pariter colliges: frustra eiusmodi causas penes S. Sedem promoveri ad obtinendam formalem Doctoris declarationem, nisi iam praecesserit aliquod Ecclesiae suffragium quod eiusmodi reale bonum significaverit.

VII. Haec omnia abunde reperiri in S. Alphonso de Ligorio, qui sanctitate jitae praestitit, et suis copiosis scriptis, praesertim in re morali, adeo refulsit, ut extincto universim fere practico Iansenismo, totius propemodum Ecclesiae suffragium sit promeritus: meritoque habendum Ecclesiae Doctorem prudentiàeque moralis nostro aevo parentem.

DECRETUM URBIS ET ORBIS.

« Inter eos qui fecerunt et docuerunt, quosque Dominus Noster Iesus Christus magnos fore vocavit in Regno Caelorum, merito recensendus est SANCTUS ALPHONSUS MARIA DE LIGORIO, Congregationis a Sanctissimo Redemptore Institutor et Sanctae Agathae Gothorum Episcopus. Hic virtutum omnium exempla faciens, veluti lucerna supra candelabrum posita, omnibus Christifidelibus, qui in Domo Dei sunt, adeo illuxit, ut iam inter cives Sanctorum et domesticos Dei fuerit relatus. Quod autem sancta operatione complevit, verbis etiam et scriptis docuit. Siquidem ipse errorum tenebras, ab Incredulis et Iansenianis late diffusas, doctis operibus, maximeque Theologiae Moralis tractationibus, distulit atque dimovit. Obscura insuper dilucidavit, dubiaque declaravit, cum inter implexas Theologorum sive laxiores sive rigidiores sententias tutam straveri t viam, per quam Christifidelium animarum moderatores inoffenso pede incedere possent. Simulque Immaculatae Deiparae Conceptionis et Summi Pontificis ex Cathedra docentis infallibilitatis doctrinas accurate illustravit ac strenue asseruit, quae postea aevo hoc nostro dogmaticae declaratae sunt. Scripturarum denique aenigmata reseravit tum in asceticos

lucubrationibus, caelesti quadam suavitate refertis, tum in saluberrimo quodam Commentario, quo Psalmos et Cantica in Divino Officio a Clericis recitanda, ad eorum pietatem fovendam et mentem erudiendam, explanavit. Summam Alphonsi sapientiam iam demiratus fuerat Pius VII, sanctae memoriae, eumque commendaverat, quia ***voce et scriptis in media saeculi nocte errantibus viam iustitiae ostendit, per quam possent de potestate tenebrarum transire in Dei lumen et regnum.*** Neque minori laude ***inusitatam vim, copiam, varietaternque doctrinae*** in libris ab ipso conscriptis prosequutus est alter Summus Pontifex Gregorius XVI sa. me. in Litteris decretalibus, quibus Alphonso maiores Caelitum honores tribuebantur.

» Verum temporibus hisce nostris adeo sapientiam eius enarrant gentes, et laudem eius enuntiat Ecclesia, ut plurimi Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, fere omnes totius Orbis Sacrorum Antistites, Supremi Religiosorum Ordinum Moderatores, insignium Academiarum Theologi, illustria Canonicorum Collegia, et docti ex omni coetu Viri supplices libellos Sanctissimo Domino Nostro Pio IX Pontifici Maximo porrexerint, quibus communia exposuere vota, ut Sanctus Alphonsus Maria de Ligorio Doctoris Ecclesiae titulo honoribusque cohonestaretur. Sanctitas Sua, preces benigne excipiens, gravissimum huiusmodi negotium de more Sacrorum Rituum Congregationi expendendum commisit. Itaque in Ordinariis Comitiis ad Vaticanas Aedes infrascripta die collectis, Emi et Rmi Patres Cardinales Sacris tuendis Ritibus praepositi, audita relatione Emi et Rmi Cardinalis Constantini Patrizi, Episcopi Ostiensis et Veliternensis, Sacri Collegii Decani, eidem S. Congregationi Praefecti, Causaeque Ponentis, consideratis animadversionibus R. P. D. Petri Minetti, Sanctae Fidei Promotoris, Patroni Causae responsis, nec non Theologorum pro veritate sententiis; omnibus denique severissime hinc inde libratis, unanimi consensu rescribendum censuerunt: ***Consulendum Sanctissimo pro concessione seu declaratione et extensione ad universam Ecclesiam tituli Doctoris in honorem S. Alphonsi Mariae de Ligorio, cum Officio et Missa iam concessis, addito*** Credo, ***Antiphona ad Magnificat in utrisque Vesperis*** O Doctor, ***ac Lectionibus I Nocturni*** Sapientiam, ***et VIII Responsoria*** In medio Ecclesiae. Die 11 Martii 1871.

» Postmodum facta horum omnium et singulorum eidem Sanctissimo Domino Nostro Pio PAPAE IX per infrascriptum ipsius Sacr. Congregationis Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua S. Congregationis Rescriptum adprobavit et confirmavit; ac desuper Generale Decretum Urbis et Orbis expediri mandavit, die 23 iisdem mense et anno.»

C. Ep. Ostien. et Velitern. Card. PATRIZI S. R. C. Praef.

Loco gg Signi

D. Bartolini S. fi. C. *Secretarius.*

EX SECRETARIA BREVIUM.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE SANCTO ALPHONSO MARIA DE LIGORIO TITULO ECCLESIAE DOCTORIS AUCTO.

PIUS PP. IX.

AD PERPETUAM BEI MEMORIAM.

« Qui Ecclesiae suae numquam se defuturum spopondit Christus Dominus, quum maxime in rem suae immaculatae Sponsae esse perspexerit, insignes excitat pietate et doctrina Viros, qui *repleti spiritu intelligentiae, tamquam imbres mittant eloquia sapientiae suae.* Neque enim sine providentissime Omnipotentis Dei consilio factum est, ut, quum Iansenistarum doctrina Novatorum oculos in se converteret, errorisque specie multos alliceret, ageretque transversos, tunc potissimum extaret ALPHONSUS MARIA DE LIGORIO, Congregationis a Sanctissimo Redemptore Institutor, et Sanctae Agathae Gothorum Episcopus, qui *bonum certans certamen, os aperiret suum in medio Ecclesiae;* scriptisque doctis et laboriosis, istam ab inferis excitatam pestem radicitus evellendam, et ab agro Dominico exterminandam curaret. Neque vero has solum sibi partes depoposcit Alphonsus; sed in Dei gloriam,

spiritualemque hominum salutem unice intendens animum, plurimos Libros conscripsit, sacra eruditione et pietate refertos, sive, inter implexas Theologorum tum laxiores, tum rigidiores sententias, ad tutam muniendam viam, per quam Christifidelium animarum Moderatores inoffenso pede incedere possent; sive ad Clerum informandum, instituendum; sive ad Catholicae Fidei veritatem confirmandam, et contra cuiuscumque generis aut nominis Haereticos defendendam; sive ad asserenda huius Apostolicae Sedis iura; sive ad Fidelium animos ad pietatem excitandos. Hoc porro praedicari verissime potest, nullum esse vel nostrorum temporum errorem, qui, maxima saltem ex parte, non sit ab Alphonso refutatus. Quid quod ea, quae, tum de Immaculata Sanctae Dei Genitricis Conceptione, tum de Romani Pontificis ex Cathedra docentis Infallibilitate, plaudente christiano populo, et frequentissimo universi catholici orbis Antistitum consessu approbante, a Nobis sancita sunt, in Alphonsi Operibus reperiuntur et nitidissime exposita, et validissimis argumentis demonstrata?

» Quamobrem in hunc perbelle cadit nobilissimum illud divinae Sapientiae praeconium: ***Non recedet memoria Eius, et nomen Eius requiretur a generatione in generationem, Sapientiam Eius enarrabunt gentes, et laudes Eius enuntiabit Ecclesia.*** Ac Pius VII praedecessor Noster recolendae memoriae, summam Alphonsi sapientiam demiratus, gravissimum hoc de eo protulit testimonium: ***Voce,*** nimirum, ***ac scriptis in media saeculi nocte errantibus viam iustitiae ostendisse, per quam possent de potestate tenebrarum in Dei lumen ac regnum transire.*** Item fel. rec. Decessor Noster Gregorius XVI ***incredibilem*** Alphonsi ***dicendi vim, copiam, varietatemque doctrinae*** maximis laudibus prosequutus, eum Sanctorum Caelitum fastis adscripsit. Tandem nostris hisce temporibus, plurimi Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, fere omnes totius orbis Sacrorum Antistites, Supremi religiosorum Ordinum Moderatores, insignia Sodalium Theologorum corpora, illustria Canonicorum Collegia, et docti ex omni coetu Viri supplices Nobis preces porrexerunt, ut Sanctum Alphonsum Mariam de Ligorio DOCTORIS ECCLESIAE titulo honoribusque augeamus. Nos itaque piis hisce precibus obsecundare Iubenti animo volentes, gravissimum hoc negotium, ut moris est, Congregationi VV. FF. **NN**. S. R. E. Cardinalium tuendis Ecclesiae Ritibus praepositorum ex-

pendendum commisimus. Iam vero, cum dicta W. FF. NN. Congregatio in Ordinariis Comitiis ad Vaticanas Aedes die xi Martii huius vertentis anni habitis, audita relatione Venerabilis Fratris Nostri Constantini S. R. E. Cardinalis Patrizi nuncupati, Episcopi Ostien. et Veliternen., eiusdem Congregationis Praefecti, Causaeque Ponentis; consideratis animadversionibus dilecti Filii Petri Minetti Presbyteri, Fidei Promotoris; item Patroni Causae Responsis, nec non Theologorum pro veritate sententiis; omnibus denique rationum momentis sedulo attenteque perpensis, unanimi consensu rescribendum censuerit: ***Consulendum Sanctissimo pro concessione, seu declaratione et extensione ad universam Ecclesiam tituli Doctoris in honorem Sancti Alphonsi Mariae de Ligorio, cum Officio et Missa iam concessis; addito*** Credo, ***Antiphona ad Magnificat in utrisque Vesperis*** O Doctor, ***ac Lectionibus I Nocturni*** Sapientiam, ***et VIII Responsorio*** In medio Ecclesiae; - Nos Rescriptum istud, edito die xxiii eiusdem mensis et anni Generali Urbis et Orbis Decreto, approbandum confirmandumque existimavimus.

» At enim dilectus Filius Nicolaus Mauron, Superior Generalis, et Rector Maior Congregationis Sanctissimi Redemptoris, ad iam memoratam Cardinalium Congregationem tuendis Ecclesiae Ritibus supplex adiit, ut in Festo eiusdem Sancti Alphonsi, per Decretum, de quo habita ante mentio est, inter Ecclesiae Doctores adsciti, in Martyrologio Romano, post verba: ***Sanctorum fastis adscripsit,*** sequentia adderentur: ***et Pius IX Pontifex Maximus, ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, universalis Ecclesiae Doctorem declaravit;*** item in VI Lectione, post verbum: ***accensuit,*** haec alia: ***tandem Pius IX Pontifex Maximus, ex Sacrorum Rituum Congregationis constato, universalis Ecclesiae Doctorem declaravit;*** utque concessiones omnes hac super re factae, Apostolicis Nostris Litteris confirmarentur. Quae quidem Cardinalium Congregatio cum in conventu, die xxii mensis Aprilis huius anni de more habito, rescripserit: ***Pro gratia;*** Nos die xxvii mensis eiusdem, Rescriptum illud ratum habuimus, atque Apostolicas Litteras in forma Brevis expediri mandavimus. Quae cum ita sint, memorati dilecti Filii Nicolai Mauron obsequuti votis, deque consilio VV. FF. NN. Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Congregationis legitimis Ritibus cognoscendis, Auctoritate

Nostra Apostolica, tenore praesentium, titulum DOCTORIS in honorem Sancti Alphonsi Mariae de Ligorio, Congregationis a Sanctissimo Redemptore Institutoris et Sanctae Agathae Gothorum Episcopi, confirmamus, seu, quatenus opus sit, denuo ei tribuimus, impertimus; ita quidem ut in Universali Catholica Ecclesia semper is Doctor habeatur, atque in die festo anniversario tum a Regulari, tum a Saeculari Clero celebrando, Officium et Missa fiat iuxta Sacrae Rituum Congregationis Decretum Rescriptumque, quod memoravimus. Praeterea huius Doctoris Libros, Commentaria, Opuscula, Opera denique omnia, ut aliorum Ecclesiae Doctorum, non modo privatim, sed publice in Gymnasi/s, Academiis, Scholis, Collegiis, Lectionibus, Disputationibus, Interpretationibus, Concionibus, Sermonibus, omnibusque aliis Ecclesiasticis studiis, christianisque exercitationibus, citari, proferri, atque, cum res postulaverit, adhiberi volumus et decernimus.

» Tandem, ut Christifidelium pietas ad huius Doctoris diem festum rite colendum, eiusque opem pie implorandam magis accendatur, de Omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui die festo eiusdem Doctoris, aut uno ex septem diebus continuis immediate subsequentibus, uniuscuiusque Christifidelis arbitrio sibi deligendo, vere poenitentes et sacramentali confessione praemissa, Sanctissimam Eucharistiam sumpserint, et quamlibet ex Ecclesiis Congregationis Sanctissimi Redemptoris devote visitaverint, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praedictorum id egerint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem, quae etiam animabus Christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari poterit, misericorditer in Domino in perpetuum concedimus.

» Quocirca universis VV. FF. Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis et dilectis Filiis aliarum Ecclesiarum Praelatis per universum terrarum Orbem constitutis per praesentes mandamus, ut quae superius sancita sunt, in suis Provinciis, Civitatibus, Ecclesiis et Dioecesibus sollemniter publicari, et ab omnibus personis ecclesiasticis saecularibus et quorumvis Ordi-

num Regularibus, ubique locorum et gentium inviolabiliter çt perpetuo observari procurent. Haec praecipimus atque mandamus, non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque et synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

» Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die VII Iulii MDCCCLXXI. Pontificatus Nostri anno vicesimosexto.»

Pro Dno **CARD. PARACCIANI CLARELLI.**

Felix Profili Substitutus.

Loco ^(Annuii Piscatoris

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS UBERIUS CONSULITUR RITUI QUO S. IOSEPH, CATHOLICAE ECCLESIAE PATRONUS, SIT CELEBRANDUS.

PIUS PP. IX.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

« Inclytum Patriarcham Beatum Iosephum, quem Deus Omnipotens prae omnibus Sanctis suis purissimum verumque sponsum esse voluit in terris immaculatae Virginis Mariae, ac putativum unigeniti Filii sui patrem, quemque ad tam sublimia munera fidelissime implenda gratiis prorsus singularibus auxit et abunde cumulavit, merito Catholica Ecclesia gloria et honore in caelis coronatum amplissimo prosequitur cultu atque intimo veneratur pietatis affectu• Quamobrem Romani Pontifices Praedecessores

Nostri, ut augerent in dies, ac ardentius excitarent in Christifidelium cordibus devotionem et reverentiam erga sanctum Patriarcham, eosque cohortarentur ad Illius apud Deum intercessionem summa cum fiducia implorandam, haud omiserunt quoties opportuna esset occasio novas semper ac maiores publici cultus significationes eidem decernere. Inter eos memoria repetere sufficiat Praedecessores Nostros felicis recordationis Xistum IV qui festum S. Iosephi inseri voluit in Breviario et Missali Romano, Gregorium XV qui decreto diei VIII Maii An. MDCXXI festum ipsum sub duplici praecepto in universo orbe recoli mandavit; Clementem X qui die VI Decembris An. MDCLXX eidem festo ritum duplicis secundae classis concessit; Clementem XI qui decreto diei IV Februarii An. MDCCXIV festum praedictum Missa ac Officio integre propriis condecoravit; ac tandem Benedictum XIII qui nomen sancti Patriarchae decreto edito die XIX Decemb. An. MDCCXXVI Sanctorum litaniis addi iussit. Ac nos ipsi, postquam investigabili Dei iudicio ad supremam Petri Cathedram evecti fuimus, moti tum illustrium Praedecessorum Nostrorum exemplis, tum singulari devotione, qua usque ab adolescentia erga eumdem sanctum Patriarcham affecti fuimus, decreto diei X Septembris An. MDCCCXLVII magno animi Nostri gaudio ad universam Ecclesiam sub ritu duplicis secundae classis extendimus festum Patrocinii eius, quod iam pluribus in locis speciali huius Sanctae Sedis indulto celebrabatur. Verum postremis hisce temporibus, in quibus immane ac teterrimum bellum contra Christi Ecclesiam fuit indictum fidelium devotio erga Sanctum Iosephum adeo increvit et progressa est, ut omni ex parte ad Nos innumerae ac feryidissimae pervenerint postulationes, quae nuper dum Sacrum Oecumenicum Concilium Vaticanum haberetur, ab omni fidelium coetu et quod maxime interest a plurimis ex Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. Ecclesiae Cardinalibus et Episcopis renovatae fuere, quibus flagitabant, ut luctuosis hisce temporibus ad mala omnia propulsanda, quae Nos undique conturbant, efficacius Dei miserationem per merita et intercessionem Sancti Iosephi exoraremus, illum Catholicae Ecclesiae Patronum declarantes. Nos itaque hisce postulationibus moti Divino lumine invocato tot ac tam piis votis annuendum censuimus, ac peculiari Decreto Nostrae Sacrorum Rituum Congregationis quod inter Mis-

sa r u m solemnia in Nostris Patriarchalibus Basilicis Lateranensi, Vaticana ac Liberiana die VIII Decembris elapsi anni MDCÇCLXX immaculatae Conceptioni Ipsius Sponsae sacro publicari iussimus, eumdem Beatum Patriarcham Iosephum Ecclesiae Catholicae Patronum solemniter declaravimus, Illiusque festum die decimanona Martii occurrens, deinceps sub ritu duplici primae classis, attamen sine octava ratione quadragesimae, in Orbe universo celebrari mandavimus **(1).** Et quoniam aequum reputamus, post Nostram declarationem Sancti Patriarchae in Catholicae Ecclesiae Patronum, Ipsi in publico ecclesiastico cultu omnes et singulas honoris praerogativas tribuendas esse, quae iuxta generales Breviarii et Missalis Romani rubricas Sanctis Patronis praecipuis competunt, ideo Nos ex consultu Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris tuendis ritibus praepositorum renovantes, confirmantes, atque etiam ampi ian tes praesentibus Nostris Litteris praefatam dispositionem illius Decreti, mandamus insuper, ac iniungimus, quae sequuntur. Volumus scilicet, quod tam in festo Natali Sancti Iosephi, quam in alio Ipsius Patrocinii, etiamsi occurrant extra Dominicam diem addatur semper in Missa Symbolum seu « Credo.» Volumus insuper quod in oratione « A cunctis » quandocumque recitanda erit, adiiciatur semper post invocationem Beatae Mariae Virginis, et ante quoscumque alios sanctos Patronos, exceptis Angelis, et Sancto Ioanne Baptista, commemoratio S. Iosephi per haec verba « cum Beato Ioseph.» Volumus denique ut hoc ipso ordine servato inter Suffragia Sanctorum, quandocumque illa a rubricis praescribuntur, apponatur sequens commemoratio in honorem eiusdem Sancti Iosephi. (Ad Vesperas Antiphona) «.Ecce fidelis servus et prudens, quem con-
» stituit Dominus super familiam suam-^. Gloriae et divitiae in
» domo eius. **RJ**. Et iustitia eius manet in saeculum saeculi. (Ad
» Laudes Antiphona): Ipse Iesus erat incipiens quasi annorum tri-
» ginta ut putabatur filius loseph. ^. Os iusti meditabitur sa-
» pientiam. **RJ**. Et lingua eius loquetur iudicium - (Oratio) Deus,
» qui ineffabili providentia Beatum loseph Sanctissimae Genitri-
» cis tuae sponsum eligere dignatus es, praesta quaesumus, ut
» quem protectorem veneramur in terris, intercessorem habere

(1) Hoc S. Congregationis SS. Rituum Decretum habes expositum pag. 193.

» mereamur in caelis.» Haee volumus mandamus decernentes has litteras Nostras firmas validas et efficaces existere et fore suosque plenarioè et integros effectus sortiri et obtinere, non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut praesentium transumptis Litterarum, seu exemplis etiam impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die vii Iulii MDCCCLXXI. Pontificatus Nostri Anno Vicesimosexto.»

Loco **3** ^ Signi

Pro DOMINO CARD. PARACCIANI CLARELLI.

F. Profili Substitutus,

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM.

DE PIO VIAE CRUCIS EXERCITIO, QUOD, LIMITATIONE LOCORUM SUBTRACTA, IN QUOVIS TEMPLO, PIOQÜE LOCO, SERVATIS SERVANDIS, CONSTITUI POTEST.

URBIS ET ORBIS

DECRETUM. « Salutare Viae Crucis, seu Calvarii exercitium summopere conducit ad recolendam memoriam passionis **D.** N. I. C. qui ob nimiam caritatem qua nos dilexit, opprobria passus, et vulneribus affectus, ut a servitute peccati humanum genus redimeret, pretiosum suum sanguinem effudit, et ligno crucis affixus se obtulit holocaustum pro peccatis. Quapropter Summi Pontifices, ut fideles Christo in carne passo cogitatione passionis eius saepe saepius unirentur, pium Viae Crucis, seu Calvarii exercitium non modo commendamnt, sed etiam reserato Ecclesiae thesauro Indulgentiis illud auxerunt.

» Verum stationes Viae Crucis iuxta primaevas concessiones erigi tantum poterant in Ecclesiis, piisque locis Ordini Min. Observantium subiectis, atque Indulgentiis fruebantur personae, quae eidem Ordini erant addictae. Tractu tamen temporis ad omnes Christifideles, qui in Ecclesiis, piisque locis praedicti Ordinis, tam sanctae devotioni vacarent, Indulgentiarum concessio extensa fuit; et deinde praesertim Benedictus XIV sa. mem. Apostolicis Litteris in forma Brevis incipien. - ***Cum tanta, die*** 30 ***Aug.*** 174-1 - evulgatis concessit, ut etiam in aliis Ecclesiis memorato Ordini non subiectis Stationum erectio fieri posset cum aliqua tamen limitatione, quam per rescriptum S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae die 10 Maii 1742 clarius declaravit. Idem namque Pontifex inter monita ad rite peragendum pium exercitium Viae Crucis iussu Clementis XII exarata, et ab ipso confirmata, inseri voluit hanc declarationem sub N. X hisce verbis: « Si eccettuano però quei luoghi ove si trovano i » Conventi de' Frati Minori suddetti (Osservanti, o Riformati, o » Recolletti) non dovendosi in tal caso erigere la Via Crucis in » altre Chiese non soggette al medesimo Ordine. Se pure detti » Conventi non fossero situati in tanta lontananza dalla Terra, » o Città, ovvero fosse la strada sì malagevole, che senza grave » incomodo, da giudicarsi dall'Ordinario, non potesse frequen- » tarsi il Santo Esercizio (1).»

» Nuper vero SSmo D. N. Pio PP. IX humillimis precibus expositum fuit, valde optandum esse, ut tristissimis hisce temporibus, quibus inimici Crucis Christi divina, humanaque omnia pessundare conantur, pia Viae Crucis exercitatio magis magisque promoveatur, ac illius Stationum erectio, sublata limitatione enunciata, ubique in Ecclesiis, piisque locis fieri possit. Sanctitas Sua animadvertens summam esse vim meditationis passionis, et mortis Redemptoris nostri ad confirmandam in animis fidem, ad

(1) Ea italica verba sic latine sonant : « Excipiuntur tamen illa loca in » quibus extent Monasteria Fratrum Mi- » norum (Observantium aut Reformato- » rum aut Recollectorum), quum non » debeat hoc in casu constitui Via Crucis » in aliis templis non subiectis eidem Or- » dini. Dummodo eiusmodi monasteria » non adeo distent a Terra vel urbe, aut » dummodo iter non adeo sit difficile, ut » absque gravi incommodo, quod Ordi- » narius iudicabit, non possit pium exer- » citium frequentari.»

curanda conscientiae vulnera, ad purgandam mentis aciem, divinoque amore inflammandam, in Audientia habita die 14 Maii 1871 ab infrascripto Card. Praefecto S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, memoratas preces benigne excipiens, Apostolica auctoritate indulsit, ut Stationes Viae Crucis cum adnexis Indulgentiis etiam in locis, ubi Conventus praefati Ordinis Minorum, sive Observantium, sive Reformatorum, sive Recollectorum existunt, quamvis in eiusdem Ordinis Ecclesiis, Sacris Aediculis, piisque locis erectae reperiantur, nulla habita superius expressae limitationis ac distantiae ratione, servatis tamen aliis de iure servandis, erigi possint et valeant. Ceterum Sanctitas Sua per praesens decretum minime intendit derogare privativae facultati, quam idem Ordo in peragenda erectione Stationum Viae Crucis habet, nec specialibus indultis, hac super re aliis personis ob peculiaria rerum ac locorum adiuncta ab Apostolica Sede concessis, quarum tenor ac forma in omnibus servanda erit.

» Non obstantibus contrariis quibuscumque etiam speciali et individua mentione dignis, quibus Sanctitas Sua in omnibus perinde ac si de singulis expressa mentio facta fnerit, plene derogavit.

» Datum Romae e Sac. Congr. Indulgentiarum et SS. Reliquiarum die 14 Maii 1871.»

A. Card. BIZZARRI Praefectus

Pro R. P. D. Secretario

Dominicus Sarra Substitutus.

DECRETUM

DE PIIS SCAPULARIBUS CONDITIONIBUSQUE SERVANDIS AD INDULGENTIAS LUCRANDAS.

Die *17* ***Decembris*** *1870.*

« Cum S. Congregatio de Propaganda Fide soleat aliquando concedere Missionariis facultatem benedicendi et imponendi Christifidelibus Scapularia, nonnulla oborta sunt dubia, quae dictae S. Congregationi ab Episcopis et Missionariis proposita, et ab eadem ad hanc S. Congregationem Indulgentiarum et SS. Reliquiarum transmissa fuerunt, nempe:

» I. Utrum Sacerdos, qui a S. Sede obtinuerit facultatem benedicendi Scapularia, habeat eo ipso facultatem ea imponendi Christifidelibus, et eosdem adscribendi Confraternitatibus a S. Sede approbatis?

» II. Utrum necessaria sit praevia erectio canonica talium Confraternitatum ex parte Ordinarii loci, ut qui habent a S. Sede facultatem adscribendi dictis Confraternitatibus, possint Christifideles eisdem adscribere?

» Quibus vigore specialium facultatum a SSmo Domino Nostro Pio PP. IX tributarum, S. Congregatio Indulgentiis et SS. Reliquiis praeposita, re sedulo diligenterque perpensa, respondendum censuit prout respondet.

Ad I. ***Affirmative, ita tamen ut Sacerdotes qui praedictum Indultum benedicendi Scapularia ab Apostolica Sede legitime obtinuerint, penes se habeant privatum regestum, et quamprimum commode possunt, transmittere teneantur ad Superiores respective Sodalitatis vicinioris canonice erectae nomina receptorum, ut in album ipsius sodalitatis referantur.***

» Ad II. ***Detur instructio prout sequitur.***

INSTRUCTIO

» Ex piis Sodalitiis quaedam sunt ab Apostolica Sede ita approbata, ut Christifideles ubique locorum eisdem ab iis, qui legitimam facultatem habent, possint adscribi, licet in eorumdem

Christifidelium respectivis Dioecesibus peculiariter erecta non reperiantur, ut ex. gr. sunt Confraternitates Scapularis B V. M. Montis Carmeli, Rosarii, septem Dolorum: ac propterea quoad ista sodalitia nulla requiritur in Dioecesi praevia Episcopi erectio.

» Quod si agatur de Confraternitate approbata a S. Sede pro determinato aliquo tantum territorio, non requiritur praevia erectio Episcopi, sed Sacerdos habens Apostolicam facultatem adscribendi, non potest ea uti, nisi in eodem territorio, quo circumscribitur ipsa pia Sodalitas.

» Pariter non requiritur praevia erectio Episcopi, si pium Sodalitium legitime erectum reperiatur in Dioecesi a Superioribus Regularibus, qui ad hoc speciale privilegium ex Apostolicae Sedis concessione habent, dummodo in erectione conditiones in Constitutione Clementis VIII incip. ***Quaecumque*** servaverint.

» Quibus positis apparet, eos, qui ut supra, a S. Sede facultatem obtinuerint benedicendi Scapularia, eaque imponendi et Christifideles adscribendi, posse dicta facultate uti dumtaxat quoad Confraternitates Scapulare habentes et canonice erectas, prout superius explicatum est, et si in Indulto apposita sit clausula, ***de consensu vel licentia Ordinarii,*** illa cum aliis conditionibus a iure praescriptis omnino servanda erit.

» Ut autem qui praedictam facultatem habent, satis instructi sint in benedicendis et imponendis Scapularibus, communicentur Resolutiones huius S. Congregationis ***in Urbis, et Cameracen,*** diei 18 Augusti 1868 quae sunt sequentis tenoris (1).

» Urbis. Ex quo parva Scapularia, quae Fideles gestare solent, in sua origine et institutione aliud non sint quam Scapularia variis Ordinibus Religiosis propria pro maiori Fidelium commoditate ad parvam formam redacta, enata sunt dubia a Rmo P. Procuratore generali Congregationis SS. Redemptoris S. Congregationi Indulgentiis et S. Reliquiis praepositae solvenda, quae tam ad antiqua quam ad recentiora Scapularia referuntur, scilicet:

(1) Haec duo Decreta tura in causa Urbis, tum in causa Cameracensi, data opera cum Consultorum animadversionibus, exposui in *Vol.lVp. 99 et p. 219:* heic illa repetimus tum ad praesentis Decreti integritatem, tum etiam quod in *Cameracen,* omissum est in praesenti Decreto tertium dubium, quod tamen abunde suppletur per responsionem hic expositam ad I. Dubium. Confer quoque in *Vol. IV Appendicem V pag. 237.*

» I. Utrum ad Scapularia conficienda necessario et exclusive adhibenda sit materia ex lana, vel utrum sumi etiam possit xylinum (seu gossypium) aliave similis materia.

» Et quatenus affirmative ad primam partem et negative ad secundam.

» II. Utrum vox Pannus, Panniculus, ab auctoribus communiter usurpata, sumi debeat sensu stricto i. e. de sola lanea textura proprie dicta ***(tessuto),*** vel utrum etiam intelligi possit de lanea textura reticulata (vulgo ***lavoro di maglie, tricotage)*** et de quocumque laneo opere acu picto ***(ricamo, broderie)*** adhibito tamen super colore praescripto.

» III. Utrurcrvalidum sit Scapulare ex panno laneo coloris praescripti, quod intexta vel acu picta habet ornamenta pariter ex lana, sed diversi coloris.

» IV. Utrum validum sit scapulare ex panno laneo coloris praescripti quod intexta vel acu picta habet ornamenta ex materia non lanea v. g. ex serico, argento, auro ecc.

» V. Hucusque generalis viguit usus conficiendi Scapularia formae oblongae, vel saltem quadratae. Nunc autem quibusdam in regionibus introducitur usus conficiendi Scapularia formae rotundae vel ovalis, imo et multangulae. Quaeritur itaque, utrum alia forma praeter oblongam vel quadratam obstet validitati scapularis.

» VI. Permultis in regionibus laudabilis viget usus a S. Sede approbatus gestandi per modum unius plura simul inter se diversa Scapularia, quo in casu variorum Scapularium panniculi, alii aliis superposita duobus tantum funiculis assuuntur, ita tamen, ut singularium Scapularium panniculi dependeant tam a pectore, quam ab humeris. Non raro autem haec Scapularia unita sic coniiciuntur, ut lpco plurium panniculorum diversi coloris, unicus tantum in utraque funiculorum extremitate panniculus habeatur, in quo conspicitur ornamentum intextum, vel acu pictum ex diversis coloribus ad significanda plura diversa scapularia. Quaeritur utrum haec diversa Scapularia sint valida.

» Itaque Emi Patres in Congregatione Generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 20 Iulii 1868, audito prius Consultoris voto, rebusque mature perpensis, rescribendum esse duxerunt.

Ad I. ***Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.***

Ad II. ***Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.***

Ad III. ***Affirmative, dummodo ornamenta talia sint, ut color praescriptus praevaleat.***

Ad IV. ***Ut in praecedenti.***

Ad V. ***Nihil esse innovandum.***

Ad VI. ***Negative.***

» Et facta de praemissis relatione SSmo Domino Nostro Pio PP. IX a me infrascripto Card. Praefecto in Audientia habita die 18 Augusti 1868, Sanctitas Sua resolutionem S. Congregationis ratam habuit.

» Datum Romae etc.

A. Card. BIZZARRI Praefectus

A. Colombo Secretarius.

» Cameracen. Nonnunquam accidit, praesertim Sacrarum Missionum tempore, ut cum Sacerdos ad id legitime deputatus Scapulare **B.** Mariae Virginis de Monte Carmelo aliudve fidelibus imponit, deficiant Scapularia priusquam omnium fidelium votis satisfieri potuerit; hinc Superior domus Religiosae Missionariorum Societatis Mariae in civitate vulgo Turcoim nuneupata Archidioecesis Cameracensis humiliter supplicavit S. Congregationi Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae pro sequentium dubiorum solutione.

» I. Utrum unum idemque Scapulare semel benedictum valide possit pluribus per vicem imponi, repetita solummodo super singulis receptionis sive impositionis formula.

» II. Utrum huiusmodi formula usurpari solita in actu impositionis Scapularium essentialis sit, ut quis Scapulare rite accepisse censeatur, iusque habeat ad Indulgentias illud ferentibus concessas; an vero absque Indulgentiarum dispendio possit omitti, praesertim in morbo, aliove urgenti casu.

» Itaque Emi Patres in Congregatione Generali habita in Pa-? latio Apostolico Vaticano die 20 Iulii 1868, audito prius Consultoris voto rebusque mature perpensis, rescripserunt.

Ad I. ***Affirmative; ita tamen ut primum Scapulare, quod deinceps adscriptus induere debet, sit benedictum.***

Ad II. ***Tam ad primam, quam ad secundam partem proferenda esse verba quae sunt substantialia ad formam Decreti huius S. Con-***

gregationis diei 24 ***Augusti*** 1844, quod sic se habet - ***Urbis*** - An rata sit fidelium adscriptio Confraternitati B. M. V. de Monte Carmelo, quae fit a Sacerdotibus quidem facultatem habentibus, non servata tamen forma in Rituali et Breviario Ord. Carmelitarum descripta: S. C. respondit: ***Affirmative dummodo Sacerdotes facultatem habentes non deficiant in substantialibus, nempe in benedictione et impositione habitus, et in receptione ad Confraternitatem.*** Ita declaravit S. C. die 24 Augusti 1844.

» Et facta de praemissis relatione SSmo D. N. Pio PP. IX a me infrascripto Cardinali S. Congregationis Praefecto in Audientia habita die 18 Augusti 1868 Sanctitas Sua resolutionem Sacrae Congregationis ratam habuit.

Datum etc.

A. Card. BIZZARKI Praefectus
A, Colombo Secretarius.

» Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiis et SS. Reliquiis praepositae, die 26 Ianuarii 1871.»

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. In facultatibus concessis ab Apostolica Sede benedicendi piis Scapularibus, comprehensam intelligi facultatem quoque ea imponendi et Sodalitiis adscribendi.

II. Facultas enim Scapularibus benedicendi, tum ex mente eam postulantis, tum ex mente concedentis, ea intentione quaeritur et conceditur, ut plenus actus in piam sodalitatem cooptandi Confratres expleri possit.

III. Quare licet facultatis Rescripta, in quibus fiat tantum mentio Scapularibus benedicendi, imperfecta prima fronte videantur, implicite tamen omnern facultatem continent ad finem ob quem eadem facultas tribuitur (1).

IV. Colliges praeterea, eos, qui facultatem Apostolicam forte obtinuerint benedicendi universim Scapularibus, proindeque cooptandi fideles in pias sodalitates ad Indulgentias lucrandas, servare debere eas conditiones praesuppositas quae respiciant loca in quibus possint fideles cooptari, et canonicam erectionem.

(1) Quomodo exoriantur eiusmodi Rescripta, quae dixi prima fronte videri imperfecta, facile intelligitur. Postulant enim facultatem benedicendi Scapularibus : et Rescriptum plerumque oritur: *Pro gratia iuxta preces.*

V. Aliquae enim piae Sodalitates sic sunt canonice erectae in «na dioecesi, ut in eas ex omnibus Catholici Orbis partibus possint cooptari : aliae autem in una Dioecesi sic sunt erectae et circumscriptae, ut in eas cooptari non possint nisi Dioecesani (I).

VI. Ideoque frustra ascriberentur fideles extranei in pias has sodalitates, quae loco circumscribuntur; quaeque exigant canonicam erectionem in unoquoque loco vel dioecesi.

VII. Eiusmodi canonicam erectionem fieri quoque posse in determinato loco vel dioecesi per Presbyterum, qui facultatem ab Apostolica Sede habeat eam erigendi, servatis clausulis, si quae adiiciantur, ***de consensu vel licentia Ordinarii*** et similibus (2)

(1) Confer Decretum in *Andegaven.* in *Vol. I pag. 628,* nec non in *Firmana Vol. IV pag. 271.*

(2) Haec quae in genere heic adnotavi melius dignoscentur ex singulis Rescriptis et ex indole Sodalitatis de qua agitur: namque Sodalitates, quae habent tamquam tesseram pium scapulare, iam habent determinatam aliquam formam iuxta Apostolicas praescriptiones. Sed difficultas suboriri potest in variis piis sodalitatibus, quae aetate nostra multiplicantur, in quibus vix amplius invocari posse videtur Constitutio Clementis VIII *Quaecumque.* Aetate enim Clementis VIII eiusmodi piae sodalitates vel non aderant, vel in consideratione ab ecclesiastica lege non habebantur. Revera eiusmodi sodalitates non sunt aliud, quam medium, quo pii Presbyteri utuntur, ut pietatem foveant in nonnullis personarum coetibus, sive per quasdam pias preces statis horis recitandas, sive ut aliquod pium exercitium commune inter plures reddant, sive ut excitent aliquos fideles ad virtutum aliquarum exercitium in aliorum exemplum, et alia id genus. Ideoque hae piae sodalitates ex indole sua licet eiusdem nominis, multiplicantur et instituuntur in quavis paroecia vel templo vel gymnasio. Qui eas constituunt, quaerunt favores spirituales; et S. Sedes eos non solet denegare, quum conferant ad profectum pietatis. Mentio identidem fit de canonica erectione, sed haec erectio canonica, nonnisi lato quodam sensu intelligi potest ob indolem harum institutionum, atque identidem neque locum habere potest, nisi velit appellari canonica erectio annuentia sive expressa sive tacita Ordinarii. Namque per erectionem canonicam, vero sensu acceptam, intelligitur actus auctoritatis ecclesiasticae, quae tribuit ecclesiasticam, permanentem subsistentiam piae alicui societati, ita ut per hunc auctoritatis actum societas obtineat statum proprium atque firmum in ipsa Dioecesis constitutione: aliis verbis, canonica erectio id operatur in piis societatibus, quod operatur in constitutione Beneficiorum, quae per huiusmodi auctoritatis actum evadunt ecclesiastica, perpetua legibusque ecclesiasticis subiiciuntur, atque omnibus iuribus et privilegiis fruuntur. Quae, vero sensu, aptari non possunt in transeuntibus illis piis conventibus, qui instituuntur ad pietatem fovendam et ad nonnullarum virtutum exercitium : hae enim tantum durant, quantum Presbyteri zelus, qui de his curam suscipiat,

EX S. CONGREGATIONE S. B. U. INQUISITIONIS.

DECRETUM.—Feria IV die 15 Martii 1871.

In Congregatione generali S. Romanae et Universalis Inquisitionis habita coram Eminentissimis et Revmis DD. S. R. E. Cardinalibus contra haereticam pravitatem in tota republica christiana Generalibus Inquisitoribus proposito examine Operis idiomate germanico exarato, cui titulus latine: ***Potestas Romanorum Pontificum in Ptincipes, Regna, populos, singulos homines iuxta ipsorum doctrinam et actus ad rite aestimandam eorumdem infallibilitatem; illustrata a doctore J. Frid. equite de Schulte professore canonici et germanici Iuris in Universitate Pragensi*** - Pragae, 1871, apud F. Tempsky, - et praehabito voto DD. Consultorum, iidem Eminentissimi ac Reverendissimi Domini decreverunt, Opus, de quo supra, esse damnandum ac proscribendum, prout praesenti Decreto damnatur, proscribitur, et mandarunt, in Indicem librorum prohibitorum illud esse inserendum, etc.

Professor Aemilius Ruchzaber, cuius opus, ***Haeresis Honorii et Decretum Vaticanum de infallibilitate etc.*** decreto S. Officii fuerat prohibitum mense Aprili 1871, laudabiliter se subiecit.

Decreto S. Officii die 7 Iunii 1871 prohibitum est opus, cui titulus, ***S. Giuseppe patrono delia Chiesa universale,*** Veronae 1870, Auctore Iacobo Morena Presbytero Congregationis Missionis; qui laudabiliter se subiecit.

In his instituendis plerumque annuentia Ordinarii loci sive expressa sive praesumpta sufficiens est.

Harum institutionum piarum non desunt exempla in nostris ephemeridibus, ut nominatimvidere est inVol. I *pag.521, 387,689.* Ad Constitutionem vero *Quaecumque* Clementis VIII quod attinet, non inutiliter recoli possunt, quae disceptata fuerunt in quadam causa *Societatis Iesu,* cuius synopsim habes in Vol. H *pag. 29 et seqq.*

Accedunt pariter aetate nostra plures piae Societates, quae instituuntur ad bonum aliquod publicum : hae plerumque nihil habent commune cum Constitutione Clementina.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE IX.

EPISTOLA ENCYCLICA

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis et locorum Ordinariis Universis Catholici Orbis gratiam et Communionem cum Apostolica Sede habentibus.

PIUS PAPA IX.

Venerabiles Fratres, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

« Saepe, Venerabiles Fratres, in hoc diuturno Pontificatu ad Vos conversi significavimus Vobis, quam grato exceperimus animo argumenta devotionis illius et dilectionis, quas misericordiarum Deus indidit Vobis, ac fidelibus curae vestrae creditis erga Nos et Apostolicam hanc Sedem. Et sane cum inimici Dei civilem eius ditionem invadere coeperunt, ut tandem, si fieri posset, praevaleant adversus Iesum Christum et Ecclesiam, ***quae est corpus Ipsius et plenitudo Eius;*** Vos Venerabiles Fratres, et christianus populus, numquam Deum, ***cui venti et mare obediunt,*** exorare desiistis, ut procellam sedare vellet, nec unquam destitistis ab iterandis amoris vestri testimoniis, omnibusque adhibendis officiis, quibus Nos in tribulatione Nostra solari posse ti s. Postquam vero hac ipsa urbe totius orbis catholici capite privati fuimus, et eorum arbitrio commissi, qui Nos oppresserant, Vos una cum plerisque e Dioecesium vestrarum fidelibus ingeminatis preces, crebrisque denunciationibus asseruistis sacrosancta religionis et iustitiae iura, quae incredibili proculcantur ausu. Nunc autem, cum novo post S. Petrum eventu, et in Romanorum Pontificum serie prorsus inusitato, sextum et vicesimum attigimus annum Apostolici Nostri ministerii in Romana Cathedra, indicia edidistis adeo illustria gaudii vestri ob insigne hoc beneficium tenui tati Nostrae largitum, et adeo perspicue demonstrastis florentis-

simam vitam, qua ubique informatur christiana familia, ut profunde commoti fuerimus; votaque Nostra vestris iungentes, novas inde vires duxerimus ad plenum absolutumque triumphum Ecclesiae fidentius expectandum. Contigit autem Nobis acceptissimum, creberrima ubique afihixisse supplicantium agmina ad sanctiora templa, eaque in toto terrarum orbe confertissima redundasse fidelium frequentia, qui una cum proprio Pastore, per publicas preces et sacramentorum usum Deo gratias agebant de beneficio Nobis collato, et instanter ab ipso Ecclesiae victoriam postulabant. Moerorem autem, curasque Nostras non levari modo, sed et in gaudium converti sensimus a litterarum vestrarum gratulationes, obsequiis, votis, a creberrimo fidelium undique confluentium adventu, quos inter plurimi eminebant nobilitate generis, aut dignitatibus ecclesiasticis vel civilibus praestantes, sed fide nobiliores, quique omnes affectu et opere iuncti plerisque ex istius urbis et occupatarum provinciarum civibus, huc a dissitis etiam regionibus convolarunt, iisdemque se obiicere voluerunt periculis et contumeliis, quibus nos sumus obnoxii, ut coram testarentur religiosos suos, suorumque concivium erga Nos sensus, Nobisque volumina afferrent, quibus plurima centena millia fidelium ex omni gente, proprio adscripto nomine, Nostri principatus invasionem acerrime confidebant, eiusque restitutionem a religione, iustitia, ipsaque civilitate flagitatam et praeceptam graviter expostulabant. Hac vero occasione stips quoque Nobis solito largior affluxit, qua pauperes simul ac divites occurrere conati sunt factae Nobis inopiae, cui accessere munera multiplicia, varia, nobilissima, splendidumque christianarum artium et ingeniorum tributum relevandae praesertim accommodatum duplici Nobis a Deo concessae potestati spirituali ac regiae; et praeterea copiosa splendidaque supellex sacrarum vestium et utensilium, qua squalori et egestati tot Ecclesiarum undique occurrere possemus. Mirum certe spectaculum unitatis catholicae, quod evidenter ostendit, Ecclesiam universam, licet toto diffusam orbe, gentibusque compactam disparibus moribus, ingenio, studiis, uno informari Dei spiritu; et eo prodigiosius ab ipso confortari, quo furiosius illam insectatur et urget impietas, et quo callidius omni ipsam humano auxilio destituere conatur. Effusae igitur et maximae Ei gratiae habeantur, qui dum ita dat gloriam nomini suo, per

praesentem ipsam virtutis opisque suae demonstrationem afflictas erigit mentes ad spem indubii triumphi. Verum si bonorum omnium datori haec referimus accepta; gratissimo simul animi sensu afficimur in eos, qui se instrumenta praebentes divinae providentiae, Nos omni cumularunt auxilii, solatii, obsequii, devotionis, amoris officio. Sublatis autem ad caelum oculis ac manibus, quidquid huiusmodi impensum est Nobis a filiis Nostris in nomine Domini Ei offerimus, enixe poscentes, ut communibus eorum votis pro huius Sanctae Sedis libertate, pro Ecclesiae victoria, pro mundi tranquillitate citius obsecundet, et liberaliter unicuique in caelestibus ac terrestribus illam referat gratiam, quam Nos referre nequimus. Significare profecto peculiariter optaremus universis et singulis gratum animum Nostrum, Nostramque testari propensissimam voluntatem; at uberrima ipsa copia officiorum re, scripto, verbis undique oblata id fieri plane non patitur. Ut igitur quod cupimus aliquo modo assequantur, Vos, Venerabiles Fratres, quibus primas sensuum horumce Nostrorum partes deferimus, rogamus, ut eos Clero populoque vestro diserte nuncietis ac aperiatis. Hortamini autem omnes, ut constanter vobiscum in oratione perseverent animo plane fidenti; nam si oratio iusti assidua penetrat nubes nec discedit, donec Altissimus aspiciat, et Christus promisit, adfuturum se duobus in nomine suo coniunctis et consentientibus, Patremque caelestem facturum quidquid ipsi petierint; multo magis profecto Ecclesia universa iugi et unanimi oratione sua assequetur, ut demum, divina propinata iustitia, contritas videat infernas vires, profligatos ac deletus humanae malitiae conatus, pacemque et iustitiam reductos in terram. Vos autem quod spectat, Venerabiles Fratres, in hoc praesertim animum intendite et vires, ut arctius semper inter Vos coniuncti confertam veluti phalangem obiiciatis Dei hostibus, qui Ecclesiam, nulla unquam vi destruendam, novis adhuc artibus et impetu aggrediuntur; quo facilius et efficacius eorum incursui resistere et eorum agmina fundere possitis. Haec quae vehementissime desideramus et enixe petimus, Vobis, totique catholicae familiae toto corde adprecamur; atque interim auspicem optatissimi eventus divinique favoris Apostolicam Benedictionem, indubiam praecipuae benevolentiae Nostrae, gratique animi testem, unicuique vestrum, Venerabiles Fratres, Cleroque et populo

toti singulorum curae commisso ex imo pectore depromptam peramanter impertimus.

» Datum Romae apud S. Petrum die v Augusti festo S. Mariae in Exquiliis Anno Domini MDCCCLXXI. Pontificatus Nostri Anno Vicesimosexto.

PIUS PP. IX.

SUMMI PONTIFICIS PII PP. IX. AD CARD. VICARIUM EPISTOLA.

Signor Cardinale

DOCUMENTUM. « Quando Iddio ne'suoi fini altissimi permise che Roma fosse ingiustamente occupata, gli usurpatori dissero che Roma era necessaria alla integrità dell'Italia e alla perfetta unione di tutte le sué parti, quasiché non vi fossero nell'Italia altre due piccole porzioni, che restano ancora all'antica dominazione, e spero che vi resteranno sempre. Lo scopo però de'grandi manovratori della rivoluzione non era quello solo di usurpare una città come Roma, ma quello era ed è di distruggere il centro del Çattolicismo, ed il Ca.ttohcismo stesso. Alla distruzione di quest'Opera indistruttibile di Dio concorrono tutti gli empii, tutti i liberi pensatori, tutti i settarii del Mondo, i quali tutti hanno mandato il loro pic-

VERSIO. ***Quum in abditissimis consiliis suis Deus permisit, ut inique admodum Urbs occuparetur, blaterarmi invasores, necessariam esse Romam haliae integritati atque omnimodae partium coniunctioni, quasi vero in Italia binae aliae portiunculae haud numerentur, quae sub pristina adhuc dominatione remanent, quasque semper remansurus speramus. Ast rebellionis coryphaeorum mens non eo collineabat, ut urbem quamlibet, sicut Roma est, usurpareis verum eo intendebat atque intendit, ut Catholicitatis centrum, atque ipsam adeo Catholicitatem evertat. Ad huiusce Dei operis, quod deleri nequit, destructionem inhiant impii omnes,*** liberi ***quotquot audiunt*** cogitantes, ***universi orbis sectarii, qui quidem omnes suam quisque***

colo contingente in questa Metropoli. Questi piccoli contingenti si stringono in un sol corpo, ed è il loro scopo l'insultare ed infrangere Immagini di Maria SSma e de'San ti: vilipendere e percuotere i Ministri del Santuario: profanare le chiese ed i giorni festivi, moltiplicare le case di prostituzione, assordare le orecchie con sacrileghe voci, e recare a'cuori e alle menti specialmente giovanili il veleno della empietà colla lettura di certi Giornali eminentemente spudorati, ipocriti, menzogneri ed irreligiosi. Questa falange infernale si è prefisso di togliere da Roma quello che chiama fanatismo religioso, come Io chiama un filosofo italiano d'infelice memoria, morto improvvisamente da non molti anni. Dopo essersi impadronita di Roma, la vuole ora rendere incredula, ovvero maestra di una religione così detta tollerante, come la vogliono coloro, che non hanno avanti agli occhi altra vita che la presente, e quelli che si formano la idea di Dio come di un Dio che tutto lascia correre, e che non si occupa molto de'fatti nostri. E il Governo che tollera tutti questi disordini, appartiene ancor esso alla stessa falange? Giova sperare di no: giacché l'affermativa sa-

portiunculam in hanc Metropolim miserunt. Huiuscemodi portiunculae in unum corpus coalescunt, earumque scopus est Sanctissimae Genitricis ac Sanctorum imagirieb despicere ac perfringere; Altaris Ministros contemnere ac caedere; templa festosque dies violare; lupanaria multiplicare, sacrilegis vocibus'aures obsurdare, et in corda mentesque, iuveniles praesertim, impietatis venenum inferre quarundam lectione Ephemeridum summopere impudentium, fictarum, mendacium et impiarum. Tartarea haec caterva id sibi praestituit, ex Urbe evellere quem religiosum vocat fanatismum, prout italicus philosophus in felicis memoriae, paucis abhinc annis repentino abreptus morbo, appellabat. Postquam Urbe polita est, eam nunc incredulam, vel tolerantis, ut aiunt, religionis magistram anhelat efficere, prout eam cupiunt qui nullam aliam praeter praesentem vitam prae oculis habent, quique Dei ideam sibi effingunt tamquam Dei, qui cuncta indulget, nec multam de rebus nostris curam gerit. Ast Gubernium, quod perturbationes hasce omnes tolerat, pertinetne et ipsum ad eandem catervam ? Secus sperare iuvat: affirmatio namque moesta esset de throni eversione

rebbe una mesta dichiarazione della caduta del trono. Intanto ad opporre qualche riparo alla piena di tanti mali, Ella, Sig. Cardinale, farà una Circolare ai Parrochi, affinchè avvertano i Parrocchiani esser loro inibita la lettura di certi Giornali che si stampano specialmente qui in Roma, e questa inibizione sia intimata in modo, da far conoscere a quelli che la infrangono, che tale infrazione **è** colpa non veniale, ma grave. Per tutto il resto accennato di sopra, e che riguarda la violazione delle leggi di Dio e della Chiesa bisogna dire a ciascun Parroco: - ***argue, obsecra, increpa.*** - Del resto alziamo le mani a Dio, e speriamo che tanti attentati contro di Lui, contro la sua Religione e contro la Società stessa avranno un termine, e potremo sortire un giorno da questo labirinto di mali, per respirare tranquillamente all'ombra della Fede, della Morale e dell'Ordine.

» La benedico di cuore.

» Die 30 Iunii 1871: in Commemoratione S. Pauli.

» Omnes convertantur et vivant, ut possint clamare ad D. I. C- Domine, quid me vis facere? »

PIUS PP. IX.

declaratio. Interim ut malorum tot eluvioni agger aliquis,opponatur, Epistolam Parochis mittes, Dilecte Fili Noster, ut admoneant Paroecianos, nonnullarum Ephemeridum, quae praesertim hic Romae evulganlur, lectionem esse ipsis interdictum; atque haec inhibitio ita denuntietur, ut cognoscant qui violant, violationem hanc non veniale, sed grave esse peccatum. Verum quoad ea, quae superius innuimus, quaeque Dei et Ecclesiae legum violationem respiciunt, illud est unicuique Parocho repetendum: Argue, obsecra, increpa. ***Ceterum ad Deum manus atiollimus, ac speramus, tot adversus Illum, Religionem Eius atque ipsam adeo Societatem conatus finem habituros, atque ex hoc malorum labyrintho tandem aliquando nos proditurus, ut sub Fidei, Moralis Ordinisque tutela secure quiescamus.***

Benedictionem tibi ex animo impertimur.

Die 30 ***Iunii*** 1871: ***in Commemoratione S. Pauli.***

Omnes convertantur et vivant, ut possint clamare ad D. L C- Domine, quid me vis facere?

EPISTOLA CIRCULARIS

EMINENTISSIMI URBIS VICARII AD PAROCHOS SIBI SUBIECTOS, QUA EX IUSSU SANCTISSIMI PATRIS PROHIBENTUR PRAVAE EPHEMERIDES, QUAE ROMAE TYPIS IMPRESSAE, CIRCUMFERUNTUR.

DOCUMENTUM. « Le profanazioni e gli scandali di ogni fatta, che per opera de' nemici di Dio e della Chiesa tuttogiorno si rinnovano in Roma, sono ornai giunti a tal segno, da degradarne* la metropoli dell'Orbe cattolico, e da porla a livello di qualsiasi irreligiosa città. Tanta è l'empietà, che si vede in essa sempre più progredire e portare in trionfo, tale il disprezzo di tutto ciò che v'ha di più religioso e di più sacro, da non rinvenirne altro riscontro, che in quell'abominazione di desolazione che predisse il Profeta sarebbe un giorno avvenuta nella Santa Città di Sionne (Dan. IX, 27.) Alla vista pertanto dello stato miserando, in cui versa la diletta Sua Roma, la Santità di N. S. profondamente commossa e addolorata, volendo apporre un riparo alla piena di tanti mali, ha a Noi diretto in data del 30 p. p. Giugno un Suo venerato autografo, di cui trasmettiamo copia, nel quale dopo avere esposto

VERSIO. « ***Cuiusvis generis profanitates et scandala, quae Dei et Ecclesiae hostium opera quotidie Romae innovantur, eo iam devenerunt, ut Catholici Orbis Metropolis dignitatem deturpent, eamque irreligiosae cuilibet civitati parem efficiant. Tanta est impietas, ut magis magisque in ea progressum facere cernatur ac per triumphum duci; tantus est eorum omnium, quae religiosiora ac sanctiora sunt, contemptus, ut nusquam alibi huius imaginem reperire sit, nisi in abominatione illa desolationis, quam eventurum olim in urbe Sion Propheta praenuntiavit (Dan. IX,*** 27). ***Miserabilem itaque, in quo dilecta Urbs versatur, statum intuens Sanctissimus Dominus Noster, alte commotus ac dolore percitus, volens malorum tot eluvioni aggerem obiicere, veneratum ad Nos die*** 30 ***p. p. mensis Iunii chirographum misit, cuius exemplum transmittimus, in quo postquam Ipse exposuit sacrilegos excessus, qui hic perpetran-***

i sacrileghi eccessi, che qui si commettono, e l'empio scopo che si prefiggono i Settarii ed i Liberi Pensatori nel promuoverli e fomentarli, Ci ordina di eccitare viemaggiormente lo zelo e l'impegno dei RR. Parrochi di questa Alma Città affine di preservare dalla perversione le anime alla loro cura añídate.

» È volere adunque del S. Padre che eglino in pubblico ed in privato avvertano i proprii Parrocchiani di non prestare orecchio a Maestri bugiardi, che sotto mentito pretesto di politica e di progresso, cercano di depredare il più prezioso tesoro che questi posseggono, cioè la Fede Cattolica, per sostituirvi invece l'ateismo o la tolleranza religiosa; promettendo loro, come dice l'Apostolo Pietro, la libertà, mentre essi sono servi di corruzione, ***libertatem illis promittentes, cum ipsi servi sint corruptionis*** (Ep. 2, c. II, 29). Organo di questi libertini ed increduli sono appunto certi giornali, che si stampano specialmente qui in Roma, i quali, oltre il detrarre ed il calunniare, non hanno altro compito, che quello di spargere il ridicolo su quanto evvi di più santo, e di negare le verità dallo stesso Dio rivelate. Infatti s'imprimono in essi luride

tur, impiumque scopum, quem in illis promovendis fovendisque Sectarii ac Liberi, ***ut audiunt,*** Cogitantes ***sibi praestituunt, iubet Nos magis magisque zelum sollicitudinemque RR. huius Almae Urbis Parochorum excitare, ut ipsorum curae commissas animas a subvertione tueantur.***

Mens igitur est Patri Sanctissimo, ut tum publice tum privatim suos ipsi doceant Paroecianos, ne fallacibus aurem praebeant Magistris, qui sub ementita politices progressusque specie enituntur pretiosiorem, quem illi possident, thesaurum, Fidem nempe Catholicam praedari, ut atheismum vel religiosam tolerantiam in eius locum sufficiant, libertatem, ***ut Apostolus Petrus ait,*** illis promittentes, cum ipsi servi sint corruptionis ***(Ep.*** 2, ***c. II,*** 29). ***Istorum improborum et incredulorum organum quidem sunt ephemerides nonnullae, quae hic Romae praesertim vulgantur, quae, praeterquamquod obloquuntur et calumniantur, nil aliud intendunt, quam ut sanctiora quaelibet ludo vertant, veritatesque ab ipso Deo revelatas inficientur. Et sane: obscenae in illis imagines pinguntur ad augustioribus mysteriis illudendum; articuli componuntur,***

immagini a parodiare i misteri i più augusti, si compilano articoli, quando con ipocrita larva, quando con isfacciata impudenza, ostili alla Chiesa ed al venerando Suo Capo, si citano e si commentano a sproposito testi delia Sacra Bibbia, per combattere i dogmi della Fede Cattolica. E questi empii fogli si leggono per curiosità dai Fedeli, e s'introducono nelle cristiane famiglie, senza riflettere al danno gravissimo, che ne deriva alle menti ed a'cuori in ispecial modo de'giovani, i quali bevono così il veleno dell'incredulità, pria forse di aver gustato il latte della Religione?

» Dichiarino pertanto i RR. Parrochi che dallo stesso diritto naturale viene inibita ai Cattolici la lettura di siffatti giornali pel pericolo prossimo, che vi corrono, di essere sovvertiti nella fede, e che, trattandosi di precetto in materia grave, coloro che l'infrangono addivengono rei innanzi a Dio non di veniale, ma di grave colpa. Che se il lume della retta ragione insegna essere illecito di leggere empii ed osceni scritti, talché anche le leggi pagane ne proibivano in Roma la pubblicazione, quanto più lo sarà pe'Cattolici, quando ne faccia loro divieto lo stesso Sommo Pontefice, alla di Cui autorevole voce debbono essi prestare assenso

sub hypocrita nonnumquam larva, nonnumquam effrena ímpudentia, Ecclesiae ac venerabili eius Capiti infensi; proferuntur ac perperam explanantur Sacrorum Bibliorum verba, ut Catholicae Fidei dogmata oppugnentur. Atque impiae istaec ephemerides curiositatis gratia a Fidelibus perleguntur, et in christianas familias admittuntur, quin gravissimum attendatur detrimentum, quod inde mentibus animisque dérivât, adolescentium imprimis, qui venenum ita incredulitatis ebibunt prius fortasse, quam religionis lac praegustarint ?

Decla*"mt porro RB. Parochi, ex ipso naturali iure huiuscemodi ephemeriaum lectionem Catholicis prohiberi ob proximum quod adeunt periculum in fide deficiendi; quumque de praecepto in re gravi agatur, qui violant, non venialis, sed gravis culpae reos ante Deum evadere. Quod si rectae rationis lumen edocet, nefas esse impia et obscena scripta legere, ut ethnicorum quoque leges eorum publicationem Romae vetuerint; quanto magis id illicitum erit Catholicis, quando Summus ipse Pontifex inhibeat, cuius magnae quidem au-

e ubbidienza? Affinchè poi niuno abbia ad allegare la scusa di non conoscere quali sieno i Giornali eminentemente spudorati, ipocriti, menzogneri ed irreligiosi, che dal Santo Padre si vogliono proscritti, diamo nota dei principali (1).

» Non solo però lo zelo de'Parrochi deve adoperarsi perchè, allontanati i Credenti dalla lettura di pestiferi Giornali, si conservi maisempre salda la loro fede, ma perchè vada eziandio questa congiunta alla purezza dei costumi, anche in mezzo alle profanazioni ed agli scandali de'libertini. Memori essi dell'avvertimento dato dall'Apostolo a'Pastori delle anime, essere cioè loro dovere di persuadere, di scongiurare e di riprendere, facciano uso di tutta l'efficacia ideila parola a preservare i buoni dalla seduzione de'malvagi, ed a ricondurre i traviati al retto sentiero della virtù.

» Ricordino che s'inganna a partito chiunque pensa potere una città anche materialmente prosperare, quando si voglia da essa bandire il timore di Dio per farvi invece regnare la licenza ed il libertinaggio. No, il peccato non produce ne'popoli che la

ctoritatis voci debent ipsi assensum obedientiamque praestare? Ne quis autem excusationem adducat, nescire se quaenam sint Ephemerides summopere impudentes, fictae, mendaces et irreligiosae, quas proscribi vult Pater Sanctissimus, praecipuas adnotamus (1).

Non solum autem Parochorum zelus adhibendus est, ut, Fidelibus a pestilentium Ephemeridum lectione amotis, eorum firma usque stet fides, verum etiam ut haec in mediis quoque improborum profanitatibus scandalisque cum morum integritate copidetur. Memores ipsi admonitionis animarum Pastoribus ab Apostolo factae, eos nempe suadere, obsecrare ei arguere debere, omni *verborum* ***efficacia utantur, ut*** *ab* ***improborum corruptela bonos ineantur, 'et ad rectum virtutis tramitem aberrantes reducant.***

Revocent in memoriam, vehementer decipi quisquis putat, materialiter quoque posse civitatem secunda uti fortuna, quando ab ipsa Dei timor arceatur, ut in illius locum licentiae regnum substituatur. Nequaquam: nil praeter miseriam in populis gignit peccatum;

(1) La Libertà Gazzetta del Popolo — La Capitale Gazzetta di Roma — Il Tempo — Il Tribuno — D. Pirlone figlio — Il Diavolo color di Rosa — La nuova Roma — La Raspa — La Vita Nuova — La Concordia — Il Mefistofele.

miseria: le profanazioni poi delle chiese e de'giorni festivi, gl'insulti alle sacre Immagini ed ai Ministri del Santuario, le bestemmie e le impudicizie, sono capaci più di ogni altro di attirare sopra una città i divini castighi.

* Ricordino infine che nella sola fede cattolica potrà la Società trovare il rimedio ai tanti mali, che oggi l'affliggono, e coll'osservanza delle leggi di Dio e della Chiesa riacquistare l'Ordine, la Morale e la Pace.

» Dalla Nostra Residenza, il 6 Luglio 1871.»

C. Card. VICARIO.

templorum autem festorumque dierum violationes, sacrarum Imaginum atque Altaris Ministrorum insultationes, blasphemiae et impudicitiae prae ceteris valent divinam ultionem in urbem concitare.

Redigant postremo in mentem, in sola Catholica Fide posse Societatem tot malis, quibus hodie afjßictatur, medelam nancisci, Deique et Ecclesiae legibus obtemperando Ordinem, Moralem ac Pacem recuperare (1).

Ex Aedibus Nostris, die 6 ***Iulii*** 1871.

C. Card. VICARIUS.

(1) Habes ex epistola SSmi Patris, exsecutioni mandata per Emum Urbis Vicarium, authenticam declarationem de naturali iure factam, quod in praesentibus rerum adiunctis vetat fidelibus sub gravi culpa pravas notoriasque ephemerides, quae in Urbe evulgantur, suscipere et legere.

Hic quaeritur, an sit mera ac simplex declaratio iuris naturalis vel sit simul praeceptum ecclesiasticum innixum iuri naturali. Discrimen namque adest inter simplicem declarationem naturalis iuris et inter ecclesiasticum praeceptum naturali iuri innixum. Si est enim simplex iuris naturalis declaratio consequitur, ut, si perversionis periculum in individuis desit, atque desit quoque cooperatio in pravam causam, cesset omnino pro eiusmodi individuis naturale praeceptum. Namque praeceptum naturale eatenus urget sub gravi culpa, ob gravis perversionis proximum periculum; quae culpa gravior etiam evadit ob cooperationem, quamquam tenuem, in pravissimam causam: quae cooperatio consistit in emendis eiusmodi ephemeridibus verboque celebrandis, ita ut inconsulto promoveantur. Quaevis culpa ideoque cessaret utraque culpae causa cessante.

Haec vera sunt, non solum pro iis qui Romanae dioecesi subsunt, sed pro omnibus fidelibus: quum omnes sub #ravi culpa ex naturali praecepto teneantur gravis perversionis proximum periculum a se avertere, et cooperationem fugere in pravissimam causam: quibus cessantibus cessat ubique naturale praeceptum.

EX S, CONGREGATIONE SS. RITUUM.

DECRETUM GENERALE

DE PROCESSU SIVE ORDINARIA SIVE APOSTOLICA AUCTORITATE RITE CONFICIENDO IN CAUSIS SERVORUM DEI.

« Sacra Rituum Congregatio, expendens Processus sive Ordinaria sive Apostolica auctoritate pro Servorum Dei Beatificatione et Canonizatione extra Urbem confectos, gravem quandoque irregularitatem adnotare debuit in eo sitam, quod personis certum officium in processu instruendo gerentibus, postquam illo fungi coeperunt, venia data fuerit, perdurante adhuc sive Ordinaria sive etiam Apostolica eiusdem Causae inquisitione, officio primo dimisso, aliud diversae indolis assumendi et exercendi. Haec autem officiorum permutatio, quum Iuris regulis minime consona videatur, eadem Sacra Congregatio in Ordinariis huius diei Comitiis ad Vaticanum habitis ad praedictum removendum abusum et suspicionem quamlibet, etiam levem in re tam gravis momenti prorsus eliminandam, ***censuit prohibendum, si SSmo placuerit, ne***

E converso, si agatur de praecepto ecclesiastico innixo iuri naturali, nemo fidelium intra Romanam dioecesim degentium legere poterit eiusmodi ephemerides, quamquam ipsi nec periculo perversionis subicerentur nec cooperarentur in pravissimam causam. Extra dioecesim Romanam maneret tantum naturale praeceptum.

Huic quaestioni respondendum videtur, expositam declarationem, naturalis iuris, coniunctam esse cum ecclesiastico praecepto, ita ut nemo qui degat in Romana dioecesi sine gravi culpa legere possit eiusmodi ephemerides, quamvis pro eo absit perversionis periculum, nisi obtineat ab auctoritate dispensationem a praecepto. Ratio est quod SSffius Pater iussit Emum Urbis Vicarium denunciare *inhibitionem,* ita ut *omnes indiscriminatim intelligerent* huius inhibitionis violationem esse *gravem culpam.* Quod repetiit Emus Vicarius, qui declarans periculum gravis perversionis, inhibitionem pontificiam commemoravit, indicans simul praecipuas iam notorias ephemerides populo praesertim perniciosiores, et ex mente SSmi Patris proscribendas (quae plerumque non sunt aliud nisi libelli infamatorii in res sacras et personas ecclesiasticas), quibus indicatis, qui eas legant nihil habent, quo a pontificia inhibitione excusari possint.

Hoc exemplum repeti possei in quavis Dioecesi per locorum Ordinarios, ubi similia perversionis pericula vigeant. Haec inhibitio et proscriptio effectum suum Romae iam non leviter obtinuit.

deinceps in condendis quibusvis Processibus tam Ordinariis, quam Apostolicis, ad eiusdem Servi Dei Causam pertinentibus, eadem persona diversis officiis, ne successive quidem, utcumque priori expleto et dimisso, fungi possit sub poena nullitatis. Die 10 Decembris 1870.

» Factaque de praemissis per me subscriptum Secretarium SSmo Domino Nostro Pio Papae IX fideli relatione, Sanctitas Sua praefatam Sacrae Congregationis decisionem ratam habuit et confirmavit, eamque praesenti generali Decreto promulgari et ab omnibus servari mandavit. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 22 eiusdem Mensis et Anni (1).»

C. Episc. Ostien. et Velitern. Card. PATRIZI S. R. C. Praef.

Loco £g Signi

D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

(1) In causis Servorum Dei accuratissime proceditur, servatis videlicet in processu conficiendo omnibus praescriptis solemnitatibus, ut fraus quaevis vel dolus procul absit, atque veritas sine ulla fallacia in sua luce nitescat.

Quod non contingeret ex. gr. si ille qui munere fungatur Actuarii, hoc officio dimisso, postea susciperet munus Postulatoris. Ratio clara est; namque huiusmodi iudicia in contradictorio peragi debent: Postulator ex una parte instat pro felici causae exitu, Fidei Promotor ex altera excipit et obsistit, Iudices aequa lance instantias exceptionesque perpendunt : si itaque Actuarius, qui ob munus referendi in acta, iam secreto omnia noscit tum quae causae favere, tum quae obstare possunt, hisce cognitionibus uti posset, munere Postulatoris suscepto, in suae causae favorem, puta declinando testes, quos noscat respondere favorabiliter non posse nonnullis praestitutis interrogatoriis etc. Multo magis si ex Postulatore postea evaderet in eadem causa Iudex. Similia dic de aliorum officiorum commutatione. Quae, si repugnant cum aequitate sacrorum canonum, *caus. 3 q. 4 c.* ***i,*** in quavis causa in contradictorio agenda, arcenda omnino sunt a causis Servorum Dei. Neque interest, an haec commutatio officiorum fiat post Processum ordinarium, ita ut qui in Processu ordinaria auctoritate confecto munus ex. gr. Postulatoris obierit, postea, in Processu Apostolica auctoritate inito, munus Iudicis agat. Namque Apostolicus atque Ordinarius Processus duae partes sunt unius eiusdemque inquisitionis. Quod adeo verum est, ut eo fine de validitate Ordinarii Processus dubium in his causis S. Congregationi proponatur, ut si quidem pro votis cesserit, testificationibus in illo receptis perinde uti fas sit atque iis quae in Apostolico receptae fuerint. Ex quo factum est, ut Processus Ordinarius, post ratam habitam eius validitatem, iuris rigore, debeat in Apostolicum corapulsari, quo unum veluti corpus cuoi eo efficiat.

Praeposito Decreto ultimam occasionem dedit causa Vivariensis, cuius Decretum infra adduco.

TORNAÇEN.

« In Missa Solemni, coram SSmo Sacramento Fidelium vene rationi exposito, dicenda est Commemoratio Sacramenti, et tempore Concilii Oecumenici Vaticani in eadem quoque Missa addenda est Oratio de Spiritu Sancto.

» Quum inter Liturgistas circa has Commemorationes gravis exorta sit controversia, quaeritur.

» I. An commemoratio de Sacramento praemittenda, vel postponenda sit Orationi de Spiritu Sancto?

» II. An in festis duplicibus primae classis tres Orationes, scilicet de die", de Sacramento et de Spiritu Sancto sub unica conclusione, vel potius duae Collectae, de Sacramento et de Spiritu Sancto, sub diversa conclusione dicendae sint?

» Sacra vero Rituum Congregatio, re mature accurateque perpensa, auditaque sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit.

Ad I. ***Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.***

Ad II. ***In casu Oratio SSmi Sacramenti coniungenda est cum Oratione Festi; Oratio vero de Spiritu Sancto dicenda est sub distincta conclusione.***

» Atque ita rescripsit et servari mandavit die 22 Apr. 1871 (1).»

C. Episc. Ostien. et Velitern. Card. PATRIZI S. R. C. Praef.

Loco gg Sigilli

D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

(1) Haec dubia in praesentia ad eruditionem videntur mota, vel ut responsa exsecutioni mandentur postquam Vaticanum Concilium, propiciante Deo, iterum aperiatur: namque suspenso Vaticano Concilio, suspensae ipso facto fuerunt omnes praescriptae preces. Ex SSmi D. N. indulgentia perseverat tantum Iubilaeum ut patet ex Litteris Apostolicis quas retuli *pag. 65*. De his rebus extat Decretum S. C. RR. ir. *Vol. /V pag. 660*, et extant nonnulla Responsa S. Poenitentiariae io *Vol. V pag. 28*.

CAMERACEN.

« Parochus loci vulgo Hautmont in Archidioecesi Cameracensi Sacrae Rituum Congregationi exposuit quod Ecclesiae Parochialis praedicti loci Titularis est Sanctus Marcellus Pontifex Martyr, cuius festus dies agitur die xvi Ianuarii. Porro eadem die in praefatae Archidioecesis Kalendario assignatur festum Sancti Fursei Confessoris, quod idcirco pro dicta **Parochiali** Ecclesia ad aliam diem perpetuo transferri debet. Iam vero prima dies libera videretur esse dies xix eiusdem mensis Ianuarii, qua festum Sancti Canuti Martyris, semiduplex ad libitum, in eadem ecclesia Parochiali perpetuo impeditur a die infra Octavam Sancti Marcelli titularis. Cum autem alias non desint rationes dubitandi, num diei huiusmodi festo assignatae affigi perpetuo possit festum aliud transferendum uti in casu, enixis precibus Orator ab eadem Sacra Congregatione authenticam dubii solutionem exquisivit.

» Et Sacra Congregatio ad tramitem Decreti in ***Nucerina*** die 11 Martii 1871 rescribere rata est: ***Festum Sancti Fursei Confessoris in casu, de quo in Dubio, reponi nequit die*** xix ***Ianuarii; quae dies libera relinquenda est, ut ibi vel reponatur Festum per accidens translatum si adsit, vel fiat de die infra Octavam Sancti Marcelli, omisso in perpetuum Officio Sancti Canuti semiduplici ad libitum; Festum vero Sancti Fursei transferendum erit fixe in primam sequentem diem liberam.*** Atque ita rescripsit et servari mandavit die 9 Maii 1871.»

C. Episc. Ostien. et Velitern. Card. **PATRIZI** S. R. C. Praef.

Loco gg Sigilli

Dominicus Bartolini S. R. C. Secretarius.

SOCIETATIS PRESBYTERORUM
SANCTISSIMI SACRAMENTI.

Superior N Societatis Presbyterorum SSmi Sacramenti a S. Rituum Congregatione inter cetera humiliter insequentium dubiorum solutionem postulavit, nimirum

I. **c** In concursu secundarum vesperarum Festi septem Dolorum Beatae Mariae Virginis cum primis vesperis Festi Sancti Ioseph die 18 Martii, an ad Completorium hymnus concludi debeat cum Doxològia Beatae Virginis Mariae.

II. » Libri liturgici, ut Breviaria et Missalia, multis in locis reimprimuntur iuxta quosdam usus quoad punctuationem, verborum orthographiant!, et cum observatione, ut aiunt, legum grammatices accuratiorum, et collatione facta cum optimis Sanctorum Patrum editionibus vel etiam Scripturae Sacrae; et insuper hymni, Capitula et alia huiusmodi de loco ad locum transferuntur, pro utentium, ut asserunt, commoditate: an tuta conscientia isti libri liturgici adhiberi possint, cum non videatur sufficienter conformis Romanarum editionum authenticarum forma (1) ?

III. » Quando ecclesia dedicanda est, non sub alicuius Beati vocabulo, sed alicuius mysterii, ut Sanctae Crucis, SSmi Sacramenti, an exprimendum sit nomen huius mysterii loco nominis Sancti, quod venit recitandum in precibus primi lapidis et Benedictionis seu consecrationis huius ecclesiae?

» Sacra vero eadem Congregatio, re mature perpensa, auditaque sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit:

(1) Meo quidem iudicio, qui banc dubitandi formulam concinnavit, loco dicendi, *an tuta conscientia* isti libri liturgici adhiberi possint, dicere debuisset, *an sit meritoria ea patientia,* quae necessaria est in usu librorum liturgicorum ob arbitrarias mutationes quas faciunt editores, qui, tempus terenles in concinnanda libris liturgicis, magnam molestiam creant illis, qui eos libros legere et quotidie prae manibus habere debent; qui non amplius invenientes communem praescriptam formam cui erant assueti, semper usum librorum discere coguntur pro editorum voluntate. Non emantur eiusmodi libri iidemque relinquantur in usum atque commoditatem editorum.

Ad I. ***Serventur Rubricae, quae statuunt, quod si in Vesperis fiat commemoratio de Reata Maria Virgine, ad Completorium hymnus concluditur cum «*** Iesu tibi sit gloria qui natus es de Virgine. »

Ad II. ***In editione librorum liturgicorum adamussim serventur leges in Constitutionibus et Bullis summorum Pontificum praescriptae.***

Ad III. ***In Oratione quae incipit*** « Domine Deus, qui licet caelo et terra » ***omisso nomine cuiusvis Sancti vel Sanctae dicatur*** « Beatae Mariae serciper Virginis omniumque Sanctorum intercedentibus meritis ***etc.» Ad Benedictionem primarii lapidis in Oratione*** « Domine Sancte Pater Omnipotens aeterne Deus etc.» ***dicatur*** « in honorem Sanctae Crucis, in honorem Mysterii Sanctissimi Sacramenti.»

Atque ita rescripsit et servari mandavit die H Martii 1871.

C. Ep. Ostien. et Velitern. Card. PATRIZI S. R. C. Praef.

Loco Sigilli

D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

INSULAE SARDINIAE

CONCESSIONIS ET APPROBATIONIS OFFICII ET MISSAE PROPRIAE IN HONOREM B. V. A BONO AÈRE NUNCUPATAE.

Antequam referam S. Congregationis Decretum, nonnulla indicabo, quae ostendunt, quomodo solent eiusmodi causae pertractari, priusquam gratiosum Rescriptum seu Decretum concessionis prodeat. Praecedit videlicet petitio et causae informatio, quae per Procuratorem scribitur et typis traditur, documentis roboratur, atque rationes adducuntur, quae S. Congregationem movere possint ad concedendam gratiam.

BREVIS INFORMATIO. In clivo, qui Calarim, in Sardiniae insula imminet, et a Bono Aere nuncupatur, vetustissimum exurgit Sanctuarium in honorem B. V. Mariae erectum, coenobio Ordinis Regularium a Mercede adnexum, in quod Deiparae icon, ligno affabre exculpta, infantem Iesum manu gestans, prodigioso prorsus modo, ceu pia et constans fert traditio, anno 1370 translata est.

Venerationi exposita per quinque iam saecula adeo celebratur, ut fideles non modo ex insula, verum etiam ex exteris nationibus frequentissime affluxerint: alii quidem ut impenso cultu B. V. Mariam prosequerentur, alii ut omnigenae pietatis exercitiis vacarent, alii ut donaria atque votivas tabelias, quibus templi parietes propemodum tecti erant, ad beneficia recepta testanda ad solvenda vota deferrent. Illuc proceres et Episcopi Calarim advenientes, vix e navi egressi, recta petebant, captivi e servitute soluti ac nautae e naufragio liberati illico advolabant. Ibi fideles in calamitatibus auxilium, in angustiis solamen obtinuerunt, peccatores veniam, infirmi curationem, praegnantes felicem partum. Puerperae, potenti Virginis patrocinio infantulos suos ibi praesentare consueverunt; quod et a Regina Maria Theresia factum est, quae infantulam suam, Mariam Christinam, Venerabilem auctoritate S. Sedis iam declaratam, ab ipsis incunabulis Deiparae devovit (1).

Insignis haec B. Virginis imago ex Capituli Vaticani Decreto die 24 Aprilis 1870 aurea corona rite decorata est.

Haec, quae indicavi, Orator multis documentis confirmavit, quorum plurima iam typis tradita fuerant a P. Francisco Salis ex Ordine B. M. V. de Mercede in libro cui titulus ***Delia statua miracolosa di Maria Vergine di Bonaria, notizie storiche con note e documenti,*** Calarim 1868.

Rationes quod attinet, pro obtinenda concessione Officii Missaeque propriae pro tota Sardiniae insula, eas adducebat Orator quae sponte sua ex dicta informatione descendebant, idest et festivitatis apparatus quo ea imago celebrari solet, pius populorum affectus, insignia beneficia et miraculorum gloria, Sacrorum Antistitum petitiones una cum Cleri Populique votis.

His omnibus per Oratorem ostensis, subsequebatur schema Officii et Missae propriae adprobandae de quibus sic Orator est locutus.

(1) Historia Servorum Dei docet, pias matres, quae infantes suos, sive quos in utero gestent, sive in lucem eductos, Deo sacrent, frequentissime exaudiri, ita ut multi habeantur Servi Dei albo Sanctorum inscripti, qui heroicarum virtutum exercitium, post De) gratiam, a matre repetere debent vel ab utroque parente, qui eos Deo vel Deiparae speciali ratione dicarunt. Inde apparet, quam utiliter Parochi aut Confessarii pro opportunitate suggerere haec possent. praesertim matribus uterum gestantibus.

« Praestat nunc de schemate Officii et Missae exhibito pauca subiungere. Ad typum ecclesiasticarum precum fuisse illud amussim informatum, ac quae in eo leguntur sive e Breviario Romano, sive e Sanctis Patribus sive e Scripturarum libris fuisse excerpta, quisque vel primo obtutu conspiciet. Hymnus iam subiectus iudicio Hymnographi S. Congregationis, ab eo expolitus et adprobatus proponitur. Lectiones vero historicae iuxta doctrinam a Benedicto XIV traditam concinnatae sunt. Et sane haec sapientissimi Pontificis sunt monita (op. de Canoniz. 1. 4 p. 2 c. 10 n. 6 et 7): ***quando huius generis monumenta*** (nempe processus a S. Sede confecti, aut Bullae Pontificiae, aut scripta SS. Patrum) ***deficiunt, lectiones saltem a probatis historicis et quantum fieri potest, contemporalibus erunt desumendae.»*** Inferius vero ita prosequitur: ***« Hucusque adducta sua cum moderatione, et uti dicitur cum grano salis, intelligenda sunt et explicanda; cum occurrere possint casus, in quibus deficientibus historicis contemporalibus, tot alia nihilominus adsint inconcussae traditionis monumenta, tit locus esse possit rerum narratarum appositioni in lectionibus propriis pro aliquibus particularibus ecclesiis, sed non pro Ecclesia universali, et aliquando etiam pro Ecclesia universali.»***

» At quae de B. M. Virgine, a Bono Aere nuncupata, in lectionibus propriis dicuntur, amussim derivavimus et plene probavimus tot ac tantis documentis ac monumentis in hac nostra Iucubratione appellatis, ut cuiusvis prudentis fidem mereri possint.»

Haec Orator. Proposita itaque causa in S. Congregatione SS. Rituum, hoc quod sequitur Decretum prodiit.

« in votis fidelium totius insulae Sardiniae erat ut peculiare Festum institueretur in honorem Beatae Mariae Virginis sub titulo ***de Bonaria,*** cuius imago singulari populi frequentia et gratiarum ac miraculorum gloria celebris extat prope Civitatem Calaritanam, eiusdem insulae principem, in Ecclesia adiecta Coenobio Fratrum Ordinis Mercedariorum sito in clivo, qui enuntiatae Civitati imminet, et de Bono Aere nuncupatur. Eorum itaque votis satisfacturus Rmus Dominus Canonicus Ioannes Maria Filia Vicarius Capitularis Archidioeceseos Calaritanae, Sede illa Archiepiscopali vacante, sui muneris esse duxit Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam IX humillime rogare, ut in honorem B. M. Virginis sub enuntiato titulo ab utroque Clero Saeculari et Re-

gulari totius Sardiniae Insulae peculiare festum celebrari amodo valeat sub ritu duplici primae classis cum Octava die 24 Aprilis, quae dies anniversaria est tum prodigiosi adventus Imaginis in insulam, tum solemnis Coronatione de eadem Imagine an. 1870 a Capitulo Vaticano factae: additis etiam officio et Missa propriis quae ab eodem oratore pro opportuna approbatione exhibita fuere. Quum autem huiusmodi preces in Ordinario Sacrorum Rituum Coetu hodierna die ad Vaticanum habito relatae fuerint ab Emo et Rmo Domino Cardinali Hannibale Capalti eiusdem causae Ponente constituto, Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi rescribere censuerunt: ***affirmative et ad Emum Ponentem cum Promotore Fidei.***

» Revisis itaque per praedictum Cardinalem Ponentem, una cum R. P. D. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore, suprascriptis officio et Missa, Sacra Congregatio illa, uti in superiori Exemplari prostant, approbavit: indulsitque ut eadem recitari et respective celebrari valeant sub ritu duplici primae classis cum Octava a Clero Saeculari et Regulari totius Insulae Sardiniae die 24 Aprilis, servatis tamen Rubricis. Die 22 Aprilis 1871.»

C. Ep. Ostien. et Velitern. Card. PATRIZI S. R. C. Praef.

Loco gg Signi

D. Bartolini S. R. C. ***Secretarius.***

VIVARIEN.

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Sor. Mariae Rivier Fundatricis Congregationis a Praesentatione Beatae Mariae Virginis nuncupatae.

« In Causa Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Rivier praefatae, quum agi deberet in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria de validitate omnium Processuum in eadem Causa constructorum, Illmus Eques Raphael Ferrucci, huius Causae Postulator, obtinuit, ut ab Emo et Rmo D. Cardinali Ioanne Baptista Pitra, huius Causae Ponente, sequens Dubium proponeretur in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Vaticanum

hodierna die habitis: ***An constet de Validitate Processuum tam Apostolica quam Ordinaria auctoritate constructorum, Testes sint rite ac recte examinati, et iura producta legitime compulsata in casu et ad effectum de quo agitur?*** Emi porro ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post accuratum omnium examen audito etiam R. P. D. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: ***Attentis omnibus in casu de quo agitur affirmative, et consulendum Sanctissimo, ut fiat Decretum Generale, ne in posterum in condendis Processibus tam Ordinariis quam Apostolicis eadem persona fungi possit nec successive diversis officiis sub poena nullitatis.*** Die 10 Decembris 1870. Facta autem de praemissis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX ab infrascripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis adprobavit et confirmavit ipsumque Generale Decretum praelo tradi et evulgari mandavit (1). Die 22 eiusdem Mensis et Anni.»

C. Ep. Ostien. et Velitern. Card. PATRIZI S. R. C. Praef.

Loco Signi

D. ***Bartolini S. B. C. Secretarius.***

(1) Hoc Decretam expositum habes superius pag. 318. In hac causa agenda nonnulli irrepserunt defectus. Id mirum esse non debet ; immo inspectis conditionibus, in quibus ecclesiasticae Curiae in Gallia versantur, laudi vertendum est, quod Curia Vivariensis non dubitaverit, aggredi et prosequi difficiles prolixosque processus, quales exiguntur in causis Servorum Dei. Curiae ecclesiasticae plurimae in ea conditione versantur, ut processus solemni accurataque forma, ut **olim** solebant, difficile condere valeant, sive ob iuges civiles vicissitudines, quae susdeque omnia verterunt, sive ob defectum personarum, quae vel desunt, vel non sunt in hac rerum provincia versatae, sive etiam ob neglectam curam res instaurandi, quoad fieri possit, iuxta normam sacrorum canonum. Non deest aliqua Curia ecclesiastica, apud quam videtur prorsus obliteratus conceptus qui respondet verbo Processus. Appellant enim processum ex. gr. prudentum opiniones, quas in aliquo negotio Curia ipsa exquirat: easque opiniones habent loco testium et testificationum, dum non sunt aliud nisi Votum Curiae seu Episcopi.

Curia, quae valeat rite conficere processus in causis Servorum Dei, idonea est ad quemlibet conficiendum processum: namque si excipias has causas, et causas criminales (quamvis et hae instaurantur prouti instaurari possunt) nonnullasque alias iuxta constitutiones Pontificias, cetera iudicio summario agi possunt, servatis tantum regulis et conditionibus, quas ius naturae vel aequitas suggerit ad detegendam veritatem, quin violetur ius sive actoris sive rei. Confer Appendicem 11 *pag. 42* / et ea quae ibidem allegavi.

VINDOBONEN.

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Clementis Mariae Hofbauer Sacerdotis Professi e Congregatione Sanctissimi Redemptoris ac Propagatoris insignis eiusdem Congregationis ultra Montes.

« In causa Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Clementis Mariae Hofbauer praefati, quum agi deberet in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria de validitate omnium Processuum in eadem Causa constructorum, ad instantiam R. Patris Rrixii Queloz, Procuratoris Generalis memoratae Congregationis et Causae Postulatoris, Emus et Rmus D. Cardinalis Aloisius Bilio, Causae Ponens, in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis, sequens proposuit Dubium, nimirum: ***An constet de validitate Processuum tam Apostolica quam Ordinaria Auctoritate constructorum; Testes sint rite ac recte examinati, et iura producta legitime compulsata in casu et ad effectum de quo agitur?*** Emi porro ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, post accuratum omnium examen, audito etiam R. **P.** D. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: ***Affirmative.*** Die 10 Decembris 1870.

» Facta autem de praemissis Sanctissimo Domino nostro Pio Papae IX ab infrascripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habere ac confirmare dignata est. Die 15 iisdem Mense et Anno (1).»

C. Ep. Ostien. et Veliternen. CARD. PATRIZI S. R. C. Praef.

Loco Sigilli

Dominicus Rartolini S. R. C. Secretarius.

(1) **Causam hanc a suo initio retuli in** *Vol. H pag. 465;* **eius prosecutionem in** *Vol. HI pag. 266,* **et in** *Vol. IV pag. 159:* **de hoc quarto Decreto scribere curabo in praesenti volumine.**

NEAPOLITANA

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Sororis M. Crucifixae a Vulneribus Dornini Nostri Iesu Christi, Tertiariae Professae Ordinis Minorum S. Francisci Excalceatorum strictioris Observantiae Adcantaren. Provinciae Neapolitanae.

«In Causa Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Crucifixae a Vulneribus Domini Nostri Iesu Christi praefatae, quum agi deberet in Congregatione Sacrorum Rituum ordinaria de Validitate omnium Processuum in eadem Causa constructorum, ad instantiam Rmi D. Aloisii Ricci Patriarchalis Basilicae Liberianae Canonici et huius causae Postulatoris, Emus et Rmus D. Cardinalis Antonius Maria Panebianco, ipsius Causae Ponens, sequens Dubium proposuit in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis: ***An constet de Validitate Processuum tam Apostolica quam Ordinaria auctoritate constructorum, Testes nec ne sint rite ac recte examinati et producta iura legitime compulsata in casu et ad effectum de quo agitur?*** Emi porro ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, post accuratum omnium examen, audito etiam R. P. D. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: ***Affirmative.*** Die 10 Decembris 1870. Facta autem de praedictis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX ab infrascripto Sacrorum Rituum Secretario fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habere et confirmare dignata est. Die 15 iisdem Mense et Anno.»

C. Ep. Ostien. et Velitern. Card. PATRIZI S. R. C. Praef.

Loco ^ Signi

D. Bartolini S. B. C. Secretarius,

ROMANA SEU LUCANA

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Ioannis Baptistae Cioni Sacerdotis Professi e Congregatione Clericorum Regularium Matris Dei et primi Socii Beati Ioannis Leonardi Fundatoris praedictae Congregationis.

« Quum Tertio Idus Martii 1869 Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX benigne induisent, ut de Fama Sanctitatis Vitae, Virtutum et Miraculorum in genere Ven. Servi Dei Ioannis Baptistae Cioni praefati ageretur in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria, absque interventu et voto Consultorum, instante Reverendissimo Patre Aloisio Narcisso Biagioni, Causae Postulatore, Emus et Rmus D. Cardinalis Aloisius Bilio huius Causae Ponens sequens Dubium discutiendum proposuit in Ordinariis Saccorum Rituum Comitiis ad Vaticanum subsignata die habitis, nimirum: ***An constet de Validitate. et Relevantia Processus Lucae constructi super Fama sanctitatis Vitae, Virtutum et Miraculorum in genere eiusdem Ven. Servi Dei in casu et ad effectum de quo agitur?*** Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus maturo examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore, respondendum censuerunt ***affirmative.*** Die 22 Aprilis 187 Í.

» Quibus per infrascriptum Secretarium fideliter relatis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit. Die 27 iisdem Mense et Anno.»

C. Ep. Ostien. et Velitern. Card. PATRIZI S. R. C. Praef.

Loco Signi

D. Bartolini S. B. C. Secretarius.

NEAPOLITANA

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Fr. Aloisii a Sanctissimo Crucifixo Sacerdotis Professi Ordinis Minorum Excalceatorum strictioris observantiae Sancti Petri de Alcantara Provinciae Neapolitanae.

«Pridie Idus Februarii 1857, quum Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX benigne induisent ut de Dubio signaturae Commissionis Introductionis Causae Servi Dei Aloisii a Sanctissimo Crucifixo praefati ageretur in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria, absque interventu et voto Consultorum, licet non elapso Decennio a die praesentationis Processus Ordinarii in Actis Sacrorum Rituum Congregationis, nec ipsius Scriptis perquisitis ac revisis, Emus et Rmus D. Cardinalis Alexander Barnabo huius Causae Ponens, ad instantiam Rmi Patris Iosue a Corde Iesu, Definitoris Generalis memorati Ordinis et Postulatoris huius Causae, attentis Postulatoriis Litteris Principum Regia Dignitate fulgentium, nec non quamplurium Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, aliorumque virorum Ecclesiastica vel civili dignitate illustrium, in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Vaticanum hodierna die coadunatis sequens Dubium discutiendum proposuit nimirum: ***An sit signanda commissio Introductionis huius Causae in casu et ad effectum de quo agitur?*** Et Sacra eadem Congregatio, omnibus maturo examine perpensis, auditoque voce et scripto R. **P.** D. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuit: ***Affirmative,*** seu ***signandam esse Commissionem si Sanctissimo placuerit.*** Die ***à*** Februarii 1871.

«Facta postmodum de praemissis ab infrascripto Secretario Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit, propriaque manu signavit Commissionem Introductionis Causae Ven. Servj Dei Aloisii a Sanctissimo Crucifixo praedicti. Die 9 iisdem Mense et Anno.»

C. Ep. Ostien. et Velitern. Card. PATRIZI S. R. C. Praef.

Loco Signi

D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

NEAPOLITANA SEU ROMANA

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Fr. Ioannis Baptistae a Burgundia Sacerdotis Professi Ordinis Minorum Sancti Francisci strictioris observantiae Sacri Recessus Sancti Bonaventurae de Urbe,

a Instante Rmo Patre Fr. Iosepho a Roma, Sacerdote Professo et Postulatore Generali Causarum Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei Ordinis memorati, subscriptus Cardinalis Sacrorum Rituum Congregationis Praefectus et huius Causae Ponens sequens proposuit Dubium in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis - ***An sententia Iudicum ab Emo et Rmo D. Cardinali Archiepiscopo Neapolitano delegatorum super Cultu praefato Ven. Servo Dei nunquam exhibito, seu super paritione Decretis sa. me. Urbani Papae VIII sit confirmanda in casu, et ad effectum de quo agitur?*** - Emi porro ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, auditoque voce et scripto R. **P.** D. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore, rescribere censuerunt, ***Affirmative, sententiam esse confirmandam.*** Die 10 Decembris 1870.

» Facta postmodum de praemissis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX per infrascriptum Sacrorum Rituum Congregationis Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis in omnibus ratum habere ac confirmare dignata est. Die 15 iisdem Mense et Anno (1).»

C. Ep. Ostien. et Velitern. Card. **PATRIZI** S. R. C. Praef.

Loco Signi

D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

(1) Retuli Decretum de huius causae introductione in Vol. IV pag. 554 et causae synopsim ibidem pag. 604. De processiculo, super quo latum praesens Decretum de non cultu, nihil est adnotandum; quum nihil alicuius momenti per Fidei Promotorem sit animadversum, quod publicum cultum Ven. Servo Dei exhibitum significare aliquo modo potuerit.

ROMANA SEU TAURINEN.

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Fr. Bartholomaei Menochio ex Ordine Eremitarum Sancti Augustini Episcopi Porphyriensis Apostolico Sacrario Praefectis

«Idibus Ianuarii Anni 1853, quum Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa ÏX benigne indulserit, ut de Dubio signaturae Commissionis Introductionis Causae Servi Dei Fr. Bartholomaei Menochio praefati ageretur in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria absque interventu et voto Consultorum, licet scripta eius nec perquisita nec examinata adhuc fuissent, subscriptus Cardinalis eidem Sacrae Congregationi Praefectus et Causae Relator, ad instantiam Reverendissimi Patris Fr. Nicolai Primavera Sacerdotis Professi et Postulatoris Generalis Causarum Beatificationis et Canonizationis Ordinis Eremitarum S. Augustini, attentis postulatoriis Litteris plurium Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium aliorumque Virorum Ecclesiastica Dignitate illustrium, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis ad Vaticanum hodierna die coadunatis sequens Dubium discutiendum proposuit: ***An sit signanda commissio Introductionis huius Causae in casu et ad effectum de quo agitur?*** Et Sacra eadem Congregatio omnibus maturo examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuit: ***Affirmative, sive signandam esse Commissionem si Sanctissimo placuerit.*** Die 22 Aprilis 1871.

»Facta postmodum de praemissis per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit, propriaque manu signavit Commissionem Introductionis Causae Ven. Servi Dei Bartholomaei Menochio praedicti. Die 27 iisdem Mense et Anno.»

C. Ep. Ostien. et Velitern. Card. PATRIZI S. R. C. Praef.

Loco Sigilli

D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

RHEGINEN.

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Fr. Iesualdi a Rhegio Sacerdotis Professi Ord. Minorum S. Francisci Capuccinorum.

«Quarto Kalendas Decembris Anni 1867, quum Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX benigne indulserit, ut de Dubio signaturae Commissionis Introductionis Causae Servi Dei Iesualdi a Rhegio praefati ageretur in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria absque interventu et voto Consultorum licet non elapso Decennio a dfe praesentationis Processus Ordinarii in Actis Sacrorum Rituum Congregationis et scriptis eiusdem Servi Dei non perquisitis et examinatis, Emus et Rmus D. Cardinalis Antonius Maria Panebianco huius Causae Ponens, ad instantiam R. Patris F. Amedei ab Urbeveteri Sacerdotis Professi et Postulatoris Generalis Causarum Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum, attentis Postulatoriis Litteris plurium Virorum Ecclesiastica praesertim Dignitate illustrium, in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Vaticanum coadunatis sequens Dubium discutiendum proposuit nimirum: ***An sit signanda Commissio Introductionis huius Causae in casu et ad effectum de quo agitur?*** Et Sacra eadem Congregatio omnibus maturo examine perpensis auditoque voce et scripto R. P. D. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore rescribendum censuit: ***Affirmative, sive signandam esse Commissionem si Sanctissimo placuerit.*** Die 22 Aprilis 1871.

» Facta postmodum de praemissis per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit: propriaque manu signavit Commissionem Introductionis Causae Ven. Servi Dei Fr. Iesualdi a Rhegio praedicti. Die 27 iisdem Mense et Anno.»

C. Ep. Ostien. et Velitern. Card. PATRIZI S. R. C. Praef.

Loco Sigilli

D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

TURONEN.

Confirmationis Cultus ab immemorabili tempore praestiti Servae Dei Ioannae Mariae de Maillé Beatae nuncupatae.

« In Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die habitis, per Emum et Rmum D. Cardinalem Aloisium Bilio huius Causae Ponentem, proposito Dubio - An Sententia Iudicum Delegatorum a Rmo D. Turonensi Archiepiscopo super Cultu ab immemorabili tempore praestito Servae Dei Ioannae Mariae De Maillé praefatae, seu super casu excepto a Decretis sa. me. Urbani Papae VIII sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur - Emi et Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus maturo examine perpensis auditoque voce et scripto R. P. D. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore rescribendum censuerunt. ***Affirmative*** die 22 Aprilis 1871.

» Quibus per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro, Pio Papae IX fideliter relatis, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit. Die 27 iisdem mense et anno.»

C. Episc. Ostien. et Veiitern. CARD. PATRIZI S. R. C. Praef

Dominicus Bartolini S. B. C. Secretarius

MAIORICEN.

Canonizationis Beati Alphonsi Rodríguez Coadiutoris temporalis e Societate Iesu.

Super dubio: « An constet de validitate Processus Apostolici in Archidioecesi Mechliniensi constructi super miraculo, quod supervenit post indultam eidem Beato venerationem: testes sint rite ac recte examinati et iura producta legitime compulsata in casu et ad effectum de quo agitur.»

S. Congregatio, referente Emo Card. Capalti, servatisque de more servandis, die 4 Februarii 1871, respondere censuit, ***affirmative.*** Quam resolutionem SSmus confirmavit die 9 eiusdem mensis et anni.

DIANEN.

Confirmationis Cultus ab immemorabili tempore praestiti S. D. Cono, ex Ordine S. Benedicti, Sancto nuncupato.

Super dubio: « An sententia lata a Dianensi Episcopo super cultu ab immemorabili tempore praestito eidem Dei famulo super casu excepto a Decretis s. m. Urbani Papae VIII, sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur.»

S. Congregatio, referente Emo Card. Pitra, die 22 Aprilis 1871, servatisque de more servandis, respondere censuit, ***affirmative.*** Quam Resolutionem SSmus confirmavit die 22 eiusdem mensis et anni.

NEAPOLITANA SEU PINNEN.

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Nuntii Sulpritii adolescentis e Dioecesi Pinnensi (*).

« **DECRETUM**. Instante Rmo D. Canonico Iacobo Arrighi, Postulatore Causae Ven. Servi Dei Nuntii Sulpritii praefati, die 23 Maii Anni 1870 per particulares Litteras Sacrorum Rituum Congregationis iniunctum fuit Rmis Ordinariis Archidioeceseos Neapolitanae et Dioeceseos Pinnen, ut iuxta Instructiones Sanctae Fi-

(*) De eiusmodi causa egimus in *Yol. V pag 487 et seqq.* **Occasione processiculi, de quo agit praesens Decretum, iterum Lectoribus nostris causam hanc commendamus iisdem omnino verbis quae ibidem scripsimus** *pag. 499 in m i a .*

dei Promotons in iisdem Litteris occlusas diligentissime perquirerent in respectivis Civitatibus et Dioecesibus omnia et singula scripta praelaudato Servo Dei quocumque titulo tributa. Quamvis autem religiosissime iniunctum munus expleverit Rmus Ordinarius Archidioeceseos Neapolitanae, nullum tamen scriptum praedicto Servo Dei tributum inveniri potuit; Processiculum tamen diligentiarum idem Ordinarius conficere non praetermisit illumque clausum et sigillis munitum Romam transmisit ad Sacram Rituum Congregationem. In Dioecesi autem Pinnen, unam tantum Epistolam propria manu a Ven. Servo Dei conscriptam datum est reperiri ope diligentiarum ibi institutarum, quam, una cum authentico Processiculo peractarum diligentiarum, Romam ad memoratam Sacram Congregationem pervenire curavit Rmus Ordinarius enunciatae Dioeceseos Pinnensis. Praefata autem Epistola habet ex una parte - ***Mio riveritissimo Sig. Zio*** - ex altera - ***Napoli*** 10 ***Maggio*** 1834. - Epistola continet lineas septemdecim cum dimidio et incipit his verbis - ***Son quasi due anni*** - absolvitur autem per alia - ***e son sempre*** - et cum hac subscriptione - ***Il vostro affezionatissimo Nepote - Nunzio Sulprizio Luciani.*** - Extra vero reperitur directio - ***Al Sig. Domenico Luciani - Popoli per Pescosansonesco.*** -

» Quum vero Emus et Rmus D. Card. Aloisius Bibo, huius Causae Ponens, in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis retulerit, se in hac Epistola nihil invenisse quod ulteriorem Causae ipsius cursum praepedire posset; Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, audito etiam voce R. **P.** D. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt - ***Nihil obstare quominus procedi possit ad ulteriora, reservato tamen iure Sanctae Fidei Promotori obiiciendi si et quatenus de iure.*** - Die 2 Septembris 1871.

» Facta pcstmodum de praemissis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX a subscripto Secretario fideli relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis in omnibus ratum habuit et confirmavit. Die 7 iisdem Mense et Anno.»

C. Episc. Ostien. et Velitern. Card. PATRIZI S. R. C. Praef.

Loco gg Sigilli

Dominicus Bartolini S. R. C. Secretarius*

LUCIONEN.

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Aloisii Mariae Baudouin Institutoris Congregationis Filiorum Mariae Immaculatae et Societatis Ursulinarum a iesu nuncupatarum, vulgo de Chavagnes.

DECRETUM. « Decimo Kalendas Decembris anni 1866 et decimotertio Kalendas Octobris insequentis anni 1867, quum Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX benigne induisent, ut de dubio Signaturae Commissionis Introductionis Causae Servi Dei Aloisii Mariae Baudouin praefati ageretur in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria absque interventu et voto Consultorum, licet non elapso decennio a die praesentationis Processus Ordinarii in Actis Sacrorum Rituum Congregationis, et scriptis eiusdem Servi Dei non perquisitis et examinatis, Emus et Rmus D. Cardinalis Ioannes Baptista Pitra, huius causae Ponens, ad instantiam Rmi D. Gustavi Gallot, Cubicularii Honorarii Sanctitatis Suae et Postulatoris huius causae, attentis Postulatoriis litteris plurium Virorum, Ecclesiastica praesertim Dignitate illustrium, in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Vaticanum hodierna die coadunatis, sequens Dubium discutiendum proposuit, nimirum; ***An sit signanda Commissio Introductionis huius causae in casu et ad effectum, de quo agitur?***

» Et sacra eadem Congregatio, omnibus maturo examine perpensis auditoque voce et scripto R. P. D. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuit: ***Affirmative,*** sive ***Signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit.*** Die 2 Sept. 1871.

» Facta postmodum de praemissis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX per Subscriptum Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit, propriaque manu signavit Commissionem Introductionis Causae Ven. Servi Dei Aloisii Mariae Baudouin. Die 7 iisdem mense et anno.

C. Episc. Ostien. et Velitern. Card. PATRIZI S. R. C. Praef.

Loco gg Sigilli ***D. Bartolini S. R. C. Secretarius.***

VAPICEN. In eadem S. Congregatione iudicata pariter est atque a SSmo si. gnata Commissio introductionis Causae Ven. Servae Dei Benedictae Rencurel e tertio Ordine S. Dominici, cuius Decretum -referam in sequenti fasciculo.

SSMI DOMINI NOSTRI

PII

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE IX.

ALLOCUTIO

HABITA DIE XXVII. OCTOBRIS MDCCCLXXI.

AD S. R. E. CARDINALES

IH AEDIBUS VATICANIS.

VENERABILES FRATRES

« Ordinem Vestrum amplissimum, usitati ritus solemnitate intermissa, huc convocavimus, ut illud Vobiscum pro rei gravitate communicemus quod ad consulendum spiritualibus christiani populi in Italia necessitatibus perficere decrevimus. Non opus est, Venerabiles Fratres, ut hic Vobis ea recenseamus quae pluries in Nostris Allocutionibus aut in Nostris ad universos Episcopos datis encyclicis litteris deploravimus. Compertae enim sunt omnibus atque adeo exploratae, ut summa sine impudentia denegari, aut ad invidiam levandam excusatione tegi non valeant, hostiles et ingentes iniuriae, quae iampridem et continenter in hac afflicta Italia catholicae Ecclesiae et Apostolicae Sedi inferuntur, quasque, occupata per vim hac Urbe, Nos ipsi Vobiscum pati et videre cogimur, ita ut Regii Prophetae verbis dicere iure possimus: ***Vidi iniquitatem et contradictionem in civitate, die ac nocte circumdabit eam super muros eius iniquitas, et labor in medio eius et iniustitia*** (1). Equidem, Venerabiles Fratres, his tantis exundantium malorum fluctibus iam fere obruimur: at duriora etiam perpeti pro iustitia, Deo infirmitatem Nostram confortante, haudquaquam refugimus: immo mortem ipsam libentissime oppetere parati sumus, si Deo misericordi placuerit pro Ecclesiae pace et libertate huius hostiae humilitatem excipere.

» Iamvero acerbissima semper, inter tam multas alias, doloris causa Nobis exstitit viduitas longe plurimarum sedium, quae in misera Italia iamdiu suorum Episcoporum praesidio carent; ac illa porro exinde profecta spiritualis auxilii necessitas, qua fideles populi in tam calamitosa rerum ac temporum conditione quo-

(1) Psalm. 54.

lidie magis premuntur. Cum autem ea necessitas talis evaserit* ut ei iam non possimus, caritate Christi Nos urgente, non occurrere, inspecto nempe ingenti numero viduarum Sedium et amplis frequentissimisque Italiae provinciis, quae vix duos aut tres Sacrorum Antistites numerant, inspecto diuturnae persecutionis in Ecclesiam impetu et conatibus impiorum ad fidem catholicam ex animis Italorum evellendam, inspectis maximarum perturbationum periculis, quae civili ipsi societati impendent, cunctandum amplius non esse iudicavimus, quin opem dilectis filiis italiae fidelibus, quorum etiam clamores de sua orbitate querentium ad Nos saepe pervenerunt, quantum in Nobis est, afferremus, iisque virtute spectatos praeficeremus Antistites, qui Dei gloria et negotio animarum salutis sibi unice proposito, in haec omnes suas curas et zelum adiiciant.

» Suos itaque Episcopos viduatis Italiae Ecclesiis in nomine Iesu Christi Filii Dei partim hodierna die adsignamus, partim quamprimum in posterum constituemus, confisi fore, ut Ipse, qui Nobis auctoritatem contulit et officium demandavit, propter infinitam misericordiam suam, omnibus difficultatibus, si quae huic Nostri ministerii operi opponi vellent, remotis, curis hisce Nostris pro spirituali animarum salute unice susceptis, benedicat atque obsecundet. Simul autem coram universa Ecclesia protestantium Nos cautiones eas, quae ***guarentigie*** appellantur, quemadmodum in litteris Nostris encyclicis die xv Maii hoc anno datis luculenter ediximus, omnino respuere, et aperte declaramus, Nos, in hac gravissima parte Apostolatus Nostri exercenda, potestate uti ab Ipso collata, qui est Pastorum Princeps et Episcopus animarum nostrarum, scilicet potestate a Iesu Christo Domino Nostro Nobis tradita in persona Beatissimi Petri, ***a quo,*** ut ait S. Innocentius Praedecessor Noster, ***ipse Episcopatus et tota auctoritas nominis huius emersit*** (1).

» Hac vero occasione silentio praeterire non possumus impiam quorumdam hominum in alia Europae regione temeritatem et perversitatem, qui a regula et communione Catholicae Ecclesiae misere déviantes, tum libellis omni errorum et mendaciorum genere refertis, tum sacrilegis inter se conventibus celebratis, palam impugnant auctoritatem sacrosancti oecumenici Vaticani Concilii, veritatesque fidei ab eodem solemniter declaratas et definitas \ ac

(1) **Epist, ad Conc. Carlhagin.**

praesertim supremam ac plenam iurisdictionis potestatem, quam Romanus Pontifex Beatissimi Petri successor in universam Ecclesiam divina ordinatione obtinet, nec non infallibilis magisterii praerogativam qua idem pollet, cum supremi Fidelium Pastoris et Doctoris munere fungitur in fidei morumque doctrinis definiendis.

»Quo autem hi perditionis filii contra catholicam Ecclesiam persecutionem saecularium potestatum excitent, persuadere istis fraudulenter conantur, Concilii Vaticani decretis veterem Ecclesiae doctrinam esse immutatam, ac ipsi reipublicae et societati civili grave inde periculum esse conflatum. Quibus calumniis, Venerabiles Fratres, quidnam iniquius, aut eodem tempore absurdius fingi vel excogitan potest? Nihilominus dolendum est alicubi accidisse, ut ipsi reipublicae administri huiusmodi improbis insinuationibus capti, et nullam rationem habentes offensionis populi fidelis, palam suo patrocinio tegere et favore confirmare in eorum rebellione novos sectarios non dubitarint. Haec dum presse ac breviter hodie cum moerore Nostro apud vos conquerimur, meritam omnino laudem Nos tribuere debere intelligimus spectatis regionis eius Episcopis, quos inter Venerabilem Fratrem Archiepiscopum Monacensem honoris causa ultro nominandus, qui singulari animorum coniunctione, pastorali zelo, admirabili fortitudine et eximiis scriptis, veritatis causam contra huiusmodi conatus praeclarissime defendunt ; huiusque commendationis partem universi etiam Cleri Populique fidelis egregiae pietati et religioni tribuimus, qui, Deo protegente, Pastorum suorum sollicitudini cumulate respondent.

» At Nobis interea, Venerabiles fratres, illuc convertendi sunt oculi et cordis vota, unde potest necessarium ac praesens auxilium adesse. Ne cessemus igitur noctes ac dies clamare ad Deum clementissimum, ut per merita Iesu Christi Filii sui lucem immutat errantium mentibus, qua viae suae abyssum respicientes sempiternae saluti consulere non morentur; Ecclesiae autem suae in tanto certamine spiritum fortitudinis et zeli uberrime praestare pergat ; eique maturare dignetur per oblationem sanctorum operum, per dignos fidei fructus, et sacrificia iustitiae optatos propitiationis dies, quibus erroribus et adversi talibus destructis, ac regno iustitiae et pacis restituto, laudis et gratiarum maiestati Eius debita sacrificia persolvat.»

URBIS ET ORBIS

ELOGIUM

IN HONOREM SANCTI LEONIS EPISCOPI ET MARTYRIS IN MARTYROLOGIO ROMANO

INSERENDUM

Pridie Idus Martii.

Post verba - ***gladio consumpti sunt*** - **ITEM ROMAE SANCTI LEONIS EPISCOPI ET MARTYRIS.** -

a Proposito Dubio in Ordinario Coetu Sacrorum Rituum Congregationis sub signata die ad Vaticanum habito per Emum et Rmum D. Cardinalem Aloisium Bilio huius Causae Relatorem constitutum: «An et quomodo nomen Sancti Leonis Episcopi et Martyris, cuius Corpus olim in Agro Verano apud Sanctum Laurentium colebatur, Martyrologio Romano inserendum seu restituendum sit:» Emi et Rmi Patres Sacrae eidem Congregationi praepositi audito voto ***ex officio*** R. D. Augustini Caprara Coadiutoris Subpromotoris Sanctae Fidei et Assessoris eiusdem Sacrae Congregationis scriptis pandito praeloque cuso, omnibus mature perpensis, rescribendum censuerunt: ***Afßrmative et nomen Sancti Leonis Episcopi et Martyris restituendum esse in Martyrologio Romano ad diem Pridie Idus Martii cum supradicto Elogio.*** Die 2 Septemb. 1871.

» Factaque postmodum de praedictis per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX fideli relatione, Sanctitas Sua benigne annuit, ac Elogium supradictum in novis Romani Martyrologii editionibus inseri mandavit. Die 7 iisdem Mense et Anno. »

C. Ep. Ostien. et Velitern. Card. **PATRIZI** S. R. C. Praef.

Loco Signi

D. Bartolini S. R. ***C. Secretarius»***

VOTUM

EX OFFICIO EXARATUM

IN COMPENDIUM REDACTUM

Cum pluribus iam inde saeculis Sancti Leonis Episcopi et Martyris memoria pene intercidisset, occasione novorum operum, quae Romae munificentia SSmi Domini Nostri in Constantiniana Basilica Hieromartyris Laurentii coepta fuerant, inter sodales sacris antiquitatibus explicandis exorta est controversia, num inter Sanctorum imagines, quorum corpora in ea Basilica, seu prope eam, condita fuerant, illa etiam S. Leonis Episcopi et Martyris depingi deberet. Quocirca Emo Card. Patrizi, eius sodalitii praesidi opportunum visum fuit, ordinaria qua fungitur auctoritate, inquisitionem indicere.

Constituto Promotore fiscali, expleta inquisitione et processu, eadem archeologica controversia alteram excitavit de qua in praesentia agimus.

Itaque, id quod ex eo processu emersit hanc alteram quaestionem induxit: cc An et quomodo nomen S. Leonis Episcopi et » Martyris, cuius corpus olim in agro Verano apud S. Laurentium » colebatur, Martyrologio Romano inserendum seu restituendum » sit. » Haec quaestio ex officio in S. C. dirimenda deducta est.

Quum autem secunda haec controversia tota pendere videretur, non quidem in exponendis causis ad elogii insertionem in Martyrologio ex gratia implorandam; sed potius ad insertionem in Martyrologio omissam iure restituendam; Consultor seriem quandam principalium documentorum vel monumentorum ex processu exscripsit, quae restitutionem faciendam esse persuadèrent.

Seriem autem principalium documentorum vel monumentorum his verbis Consultor exposuit :

« Non semel de huiusmodi Leone mentio occurrit in Libro Pontificali, qui, licet Anastasio bibliothecario ex integro tribui nequeat, ab eruditis tamen summo in pretio habetur, utpote qui ex au-

thenticis Romanae Ecclesiae documentis digestus fuerit. Itaque in vita Hadriani I haec leguntur; *Hic idem almificus Pater..... Basilicam S. Laurentii Martyris, ubi sanctum eius corpus requiescit, annexant basilicae maiori.... ultro citroque a novo restauravit. Immo et ecclesiam S. Stephani iuxta eas sitam,* **UBI CORPUS S. LEONIS EPISCOPI ET MARTYRIS QUIESCIT** , *similiter undique renovavit, una cum coemeterio beatae Cyriacae, seu ascensu eius.»*

» Praeterea in Leone IV: *Hic... Pontifex... donavit ecclesiae Beati protomartyris Stephani, quae ponitur foris muros iuxta ecclesiam Beati Laurentii martyris, vestem de fundato unam; et infra huius moenia* **IN ORATORIO** B. **LEONIS MARTYRIS** *fecit vestem de fundato unam. f*

» Ex his liquet apud Basilicam **S.** Laurentii, extra Urbis moenia extructam, extitisse sacellum, in quo **S.** Leonis Episcopi et martyris mortales colebantur exuviae.

» Quin etiam ex Codice Palatino vir illustris Ioannes Baptista De Rossi elogium tumulo ipsius olim appositum exscripsit, quod erat eiusmodi.

Omnia quaeque vides proprio quaesita labore
Cum mihi gentilis iamdudum vita maneret
Institui censum cupiens cognoscere mundi.
Iudicio post multa Dei meliora sequutus
Contemptis opibus, malui cognoscere Christum:
Haec mihi cura fuit nudos vestire petentes
Fundere pauperibus quidquid concesserat annus
Psallere et in populis volui modulante Propheta
Sic merui plebem Christi retinere Sacerdos
Hunc mihi composuit tumulum Laurentia coniux
Moribus apta meis semper veneranda fidelis
Invidia infelix tandem compressa quiescet
Octoginta Leo transcendit Episcopus annos.

» Qui versus Damasianum redolent stylum, quamvis fortasse Damasum ipsum auctorem non habeant, ceu sentiunt eruditi.


» At, quod summi momenti est, idem illustris vir, Ioannes Baptista De Rossi, in Bernensi Bibliotheca vetustissimum consulens Codicem Martyrologii Hieronymiani, cuius auctoritatem eru-

diti omnes maximi faciunt, hunc reperit laterculum, in quo ne-dum huius S. Leonis memoria recolitur, verum etiam eius depositionis dies indicatur.

Pridie Idus Mar.

Romae Leonis
Episcopi et Martyris (1)

» Quod autem id elogium ad Leonem Episcopum ac Martyrem, quo de agimus, pertineret, divin© fere eonsilio demonstratum est, cum superioribus annis circa S. Laurentii Basilicam subfossa humo prope collem, nedum praedicti sacelli vestigia apparuerunt, verum etiam et duo lapidis fragmenta prope eum locum reperta sunt, una cum transenna, sepulchri maxime illustris indicium. Hae duae inscriptionis laciniae simul iunctae cum tertia, quae iamdiu in horto Monachorum Camaldulensium in Monte Caelio extabat, sex posteriores reddunt versus,qui e Codice Palatino exscriptisunt, indicata praeterea eius depositionis die; nimirum.



» Quae tria sepulchralis elogii fragmenta modo in unum collecta, in superiore christiani Musaei Lateranensis porticu videre est. Itaque exinde nova Bernensi Codici accessit auctoritas, cum inibi pridie Idus Martias S. Leonis Episcopi et Martyris comme-

(1) Integrum laterculum exscriplum in Appendice VU dabimus.

moratio legatur. Eo vel magis, quod Martyrologium Lauresha-mense ad diem « ***Pridie Idus Martias*** » memoret « ***natalem S. Leonis Papae*** » (apud Georgium Martyrolog. Adonis). Quae sane indicatio diei, cum nulli e Sanctis Romanis Pontificibus eius nominis congruat, ex laudato Hieronymiano Martyrologio desumpta dicenda est. Norunt quippe omnes primis Ecclesiae saeculis illud ***Papae*** nomen, praeter Romanos Pontifices, etiam Episcopis fuisse tributum. Nullum propterea reliquum dubium, quin pluribus abhinc saeculis S. Leo Episcopus et martyr Romae in Agro Verano publicum et ecclesiasticum cultum obtinuerit, eiusque depositionis dies pridie Idus Martias celebrata sit. »

Nec mirum videri debet, Consultor inquiebat, quod in relato elogio nullum de martyrio verbum reperiatur. Animadvertit enim, neque inscriptionem integram esse ; eundemque titulum in aliis etiam desiderari quibusdam elogiis, quae apposita fuerunt Martyrum sepulchris, de quorum martyrio nemo dubitat: id ex variis causis evenire potuisse, quod non semper illico sequeretur ***vindicatio,*** qua Ecclesia Martyri nomen et cultum tribueret; praesertim vero si non de Martyre proprie dicto, qui sanguine effuso mortem pro Christo obiverit, res esset ; sed lato sensu accepto, quatenus persecutio ob gloriam christianae fidei oppresserit martyremque ideo fecerit. Quod in re nostra illustris memoratus vir Ioannes Baptista De Rossi iam coniecerat ex versu penultimo in exposita epigraphe

Invidia infelix tandem compressa quiescet.

Cum enim inscriptio illa Damasianam redoleat aetatem, neque IV Ecclesiae saeculo recentior haberi possit, Consultor suspicatus est, Leonem hunc Episcopum iis esse adnumerandum, qui, ea maxime aetate, extitere ***Martyres sine sanguine.*** Nemini enim incompertum, quot aerumnas, quot exilia, quot carceres illi tum perpessi fuerint, qui orthodoxam fidem contra arianam impietatem acriter defenderent.

Ea quidem documenta et monumenta, omni exceptione maiora, iam satis viderentur ad nomen S. Leonis Episcopi et martyris martyrologio iterum vindicandum: namque Romanum martyrologium codex est adhuc mancus et perficiendus, ceu passim

significavit ipsemet Benedictus XIV (i), qui in ipsis litteris Apostolicis datis ad Ioannem V Portugalliae Regem ***de Nova Martyrologii Romani editione,*** haec quoque tradidit: « ***Dolendum, quod e Sanctorum nominibus bene multa in variis, quaeprocusae sunt Martyrologii editionibus, fuerint praetermissa ex oscitantia atque incuria eorum, quorum intererat Acta Congregationis adire, Decreta .colligere, iisque ad novam nominum accessionem prudenter uti.*** »

ideoque eodem prorsus iure Sanctus Leo Episcopus et martyr Martyrologio Romano inscribendus ex detectis documentis et monumentis, quo ceteri eiusdem antiquitatis Sancti inserti reperiuntur (2).

Sed non satis Consultori fuit ea documenta et monumenta in medium deducere ad restitutionem eiusdem nominis in Martyrologio concludendam: ulterius ostendit, ad umbram quamvis removendam, Sancti Leonis cultum ad haec usque tempora perseverare.

Id ostendit ex eo, quod S. Leonis Episcopi et martyris corpus inter Sanctorum reliquias adhuc colatur. In eitato enim Pontificali libro de Sergio II. legimus: ***Ipse.... Beatissimus Papa.... ad honorem omnipotentis Dei, eiusdem Beatissimi Silvestri Praesulis corpus cum Beatissimo Fabiano atque Stephano et Sotere martyribus ac Pontificibus, simulque Asteria martyre, cum sacratissima filia eius sanctoque Cyriaco et Mauro, Largo et Smaragdo atque Anastasio et Innocentio Pontificibus,*** UNA CUM SANCTO QUIRINO AC LEONE EPISCOPIS; ***pariter Arthemio, Nicandro, Crescentianomartyribus cum quibus Beata Sotere atque Paulina... cum aliis multis, quorum nomina Deo sunt cognita, utrosque sub sacro altari dedicans, collocavit.***

Hoc autem documento exposito, sic Consultor prosecutus est: « Sergius itaque iunior, alias Ii, in Basilica ss. Silvestri et Martini inter multa Sanctorum corpora, sub sacro altari etiam illud cuiusdam S. Leonis Episcopi condidit. An iste Leo sit, quem superius

(1) Confer tamen Decretum S. C. recens editum, quod retuli *pag. 83.*

(2) Multa alia,eaque vetustissima,suppetunt documenta, quae superius exposita uberrime confirmant: quae ab Emo ac Rmo,D. Cardinali Aloisio Bilio in S. Rituum Congregatione fuere proposita, quorum syllabum in App. VII. exscribam, in quibus passim quoque distinguitur S. Leo Episcopus et martyr a S. Leone Magno Romano Pontifice.

allata monumenta designant, diserte non dicitur; verum, quum praeter Leones Pontifices Maximos, de quibus heic sermo esse non potest, nullus alius Leo Episcopus Romae cultus dignoscatur, hoc excepto, de quo loquimur: propterea ille, cuius corpus Sergius H in praedictam Basilicam transtulit, alius credi non potest a Leone Episcopo, in Agro Verano primitus condito. Suadent etiam temporis adiuncta, cum notum sit, propter barbarorum ineursus, Romanos Pontifices plurima Sanctorum corpora, quae in suburbanis sepulta fuerant, tum in Urbem intulisse. Cum autem non e suburbiis, sed aliunde corpora Sanctorum transferrent, idipsum in Actis' diserte adnotabant. Vehementissimum accedit indicium ex eo quod Sergius **U** corpus S. Leonis Episcopi et aliorum, quos singillatim Anastasius nominat, ***sub sacro altari collocavit, cum aliis multis, quorum nomina Deo sunt cognita.*** Itaque iste S. Leo Episcopus non ex vulgaribus, sed ex praecipuis erat, eodemque in censu habitus cum SS. Fabiano, Stephano, Sotere Romanis Pontificibus, ceterisque de quibus inibi diserta fit mentio. Iamvero horum omnium, ceu docte animadvertit ci. De Rossi, in variis suburbii coemeteriis adhue patent sepulchra e quibus eruta fuere; propter ea cum nullius alterius sepulchri S. Leonis Episcopi, praeter illud prope S. Laurentii Basilicam, memoriam transmiserit antiquitas, eius corpus qui modo ad equitias sacras Aedes colitur, aliud censeri nequit ab eo, quod sub appellatione **S.** Leonis Episcopi ac Martyris in Sacello S. Stephani ad Veranum Agrum antiquitus colebatur.

» Denique id ex parte confirmat vetusta inscriptio, quae adhuc extat prope hypogeum Basilicae ss. Martini et Silvestri, quae ita se habet: ***Temporibus Dñi Sergii Iunioris Papae recondita sunt in hoc sacro altari Beati Silvestri Praesulis corpus et B. Martini... una cum*** **SANCTO QUIRINO AC LEONE EPISCOPIS,** ***pariter Artemio*** etc... fere uti in libro Pontificali superius citato; tum vero versus finem additur: ***Haec Sanctorum corpora translata sunt de cimiterio Priscillae Via Salaria.***

» Neque difficultatem cuique facessat verbum illud ***Priscillae,*** ac si omnia et singula Sanctorum corpora, quae designantur, ex uno ***coemeterio Priscillae*** eruta fuissent. Verumtamen opportune monuerunt in suo examine clarissimi Viri Felix Profili, P. Franciscus Tongiorgi, ac superius memoratus Ioannes Baptista

De Rossi, non in solo Priscillae coemeterio, sed alfa m aliis pluribus aeque ac diversis coemeteriis ea corpora, quae ibi memorantur, composita fuisse; dicendum propterea lapidem hunc, qui Sergii II epocha est multo posterior, bene quidem quoad genericam denominationem coemeterii, non autem apodictice quoad Priscillae adiectum rem exhibere. »

Eadem in Basilica S. Silvestri et Martini extat in Navi maiori huius S. Leonis imago, quae usque ab anno 1648 apposita est, cum epigraphe S. ***Leo Episcopus.*** Praeterea ab anno 1478, prouti authentica documenta demonstrant, Carmelitae Officium ac Missam de **S.** Leone Episcopo constituerunt, non secus ac de aliis (Martyrologio Romano insertis), quorum ***corpora ibi requiescunt,***idque etiamnum obtinet, quamquam Carmelitae ex facili errore eum appellaverint ***Episcopum et Confessorem,*** ac die. 20 Februarii celebrent, eum confundentes cum S. Leone Confessore Catanensi in Sicilia ea die in Martyrologio adsignata (Vid. Baron. Martyr, ad dictam diem), quique nostro S. Leone multo recentior: in veteri tamen eiusdem Ordinis Kalendario anno 1564 Romae edito ad diem 11 Aprilis legitur ***Leonis PP. et Mart. du. c. con. S. Mar.*** eum scilicet appellarunt ***martyrem*** in conventu S. Martini; sed eum fortasse confundebanl cum S. Leone Magno, qui praeterea martyr non fuit. Quod Officium et Missam celebrare perrexerunt saltem usque ad annum 1575, ut Carmelitarum liturgici libri ostendunt: mutatio autem contigisse videtur anno 1628.

Breviter denique colligens Consultor, quae hactenus exposuerat, in medium deduxit doctrinam in themate applicandam. Tradit enim Benedictus XIV in opere ***de canoniz.l. i p.*** 2. c. 18 n. 6, 7: « Ad praescripta itaque allatorum Decretorum describenda sunt » in Martyrologio Romano nomina Canonizatorum, idque sive lo- » quamur de illis, qui post editionem Martyrologii a Summo Pon- » tifice subinde referuntur in album Sanctorum, sive loquamur » de aliis, ***qui aliquo ex modis ab Ecclesia approbatis fuerunt ca- » nonizati, et quorum nomina nondum fuerunt apposita in Mar- » tyrologio ipso Romano.*** Quod autem in Martyrologio Romano » describenda sint nomina illorum, qui post editionem Martyro- » logii subinde a Summo Pontifice referuntur in album Saneto- » rum, patet ex quotidiana disciplina et exemplis . . . . Quod pa- » riter in Martyrologio Romano describenda sint nomina illorum,

» qui aliquo ex modis ab Ecalesia approbatis fuerunt cano » nizati, ***licei eorum nomina nunquam antea descripta fuerint in » praedicto Martyrologio,*** probatur, tum quia pro his eaedem pror- » sus militant rationes, quae militant pro aliis, qui subinde a » summis Pontificibus referuntur in album Sanctorum, tum quia » non desunt exempla idem comprobanda. Descriptum quippe » fuit in Martyrologio Romano nomen S. Leonis III, quod in edi- » tionibus tempore Gregorii et Sixti fuerat omissum, ut habetur » ex Decreto C. SS. RR. apud Bollandianos ad diem 12 Iunii » tom. 1 etc. »

Quod ad rem nostram magis quoque aptari videtur illud est, quod idem Pontifex, loquens de Sancto Syricio, ***ibidem*** §. 49, scriptum reliquit: « Quod vero satis mirari non possumus illud » est, Syricii pontificis nomine, quod vetusta aeque ac probata » exhibent quamplura Martyrologia, quae a Bollandianis comme- » morantur ***tom.*** 3 ***Februarii pag.*** 232, nosque infra indicabimus, » Romani Martyrologii codicem tamdiu caruisse. » Et allatis ra- tionum momentis, quae Syricii causae favebant, concludit tandem §. 94: « Etsi iudicium, quod de Sancti alicuius nomine Martyro- » logii tabulis inscribendo, aut in Martyrologium, unde expun- » ctum fuit restituendo, instituitur, multum differat ab eo iudi- » cio, in quo solemnis Canonizationis agitur causa.... in hac ta- » men, quam pro Sancto Syricio agitavimus, controversia, eadem » fere ratio ac methodus, quae in causis Canonizationum obtinet, » a nobis servata est.... Nil ergo prohibet, quominus causa satis » cognita ac validissimis rationibus ac monumentis, quae Syricii » sanctitatem demonstrant, probe discussis, Syricii nomen Mar- » tyrologio Romano inscribendum sit; quod idcirco inscribendum » decrevimus atque mandavimus. »

Haec profecto, Consultor concludebat, talia sunt, quae in rem nostram descripta esse videantur; ad propositum proinde dubium respondere opinabatur: ***affirmative, ad diem pridie idus Martii, cum elogio: Romae S. Leonis Episcopi et martyris.***

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Ad normam vigentis iuris, in causis Servorum Dei, aliam esse novam insertionem Sanctorum in tabulas Martyrologii Ro-

mani, ex causis legitimae Canonizationis, faciendam; aliam esse vindicationem Sanctorum, qui in eisdem tabulis fuerunt omissi,

II. Novam insertionem locum non habere, nisi post definitam solemnem Canonizationem ad normam vigentis disciplinae vel, si de Sanctis agatur in Decretis Urbani VIII exceptis, post recognitum Ecclesiae consensum, quo universim aliquis Servus Dei uti Sanctus in Ecclesia habeatur; quod contingere potest per amplissimam cultus diffusionem **(1).**

III. E converso vindicationem locum habere, si aliquis Servus Dei apud antiquitatem uti Sanctus habitus universim fuerit, quamvis eius memoria ex humanis causis postea interciderit atque ex eisdem causis in emendatis Romani Martyrologii tabulis eius elogium praetermissum.

IV. Ut demonstretur, apud antiquitatem Servum aliquem Dei fuisse universim habitum uti Sanctum, satis esse, ut in Romana ecclesia uti sanctus fuerit habitus.

V. Huius iudicii gravissima argumenta esse inscriptionem in vetustissimis Romanae Ecclesiae Martyrologii tabulis, designata die obitus ad eius celebrandam memoriam: erectionem sepulchri in titulum seu Oratorium, in quo conventus fidelium haberentur ad eandem memoriam celebrandam: et reliqua cultus signa, quae suppetant, ad ostendendum, Romanam Ecclesiam sine ullo discrimine in uno eodemque Sanctorum Martyrumque censu Servum aliquem Dei habuisse.

VI. Hisce enim positis, eodem prorsus iure, quo reliqui Sancti in Martyrologii tabulas relati sunt, qui fuerit praetermissus, reintegran debere.

VII. In themate haec omnia abunde de S. Leene Episcopo et Martyre habuisse locum; ideoque iure meritoque Martyrologio Romano restituendum.

(1) **Confer causam beatae Iulianae** *pag. 52*, **et ea quae ibidem adnotavimus Cornelionensis quam retulimus in** *vol. V, pag. 65*.

APPENDIX VU.

DOCUMENTA VETUSTISSIMA CORAM S. C SS. RR. DEDUCTA AB EMINENTISSIM CAUSAE RELATORE DE ELOGIO S. LEONIS EPISCOPI ET MARTYRIS IN MARTYROLOGII ROMANI TABULAS RESTITUENDO.

MARTYROLOGIUM HIERONYMIANUM BERNENSE (*)

PRID . ID . MAR .

Eufrosi . Frenimi

Nicomedis
Felicissimi. Dativi
et Frontino

in Africa
Alexandri . Dione

Nicomedia
Petri . Mämeri
Et Naboris Martyr
Comes . Frontonis

Thesaionica
Dionisii . Alexandri
Palatini . Eufrosi . Fronimi

ROM . LEONIS . EPI
ET MARTYRIS

Antiochia
Hicomedi . Epionis

Rome . Innocenti. epi

(*) De Martyr. Bemen. cf. Clar. I. B. De Rossi, *Roma sotterr.* tom. IL pag. XII. et seqq.

A

MARTYROLOGIA ET CALENDARIA ANTIQUISSIMA

***In quibus ad d. II. Id. Martii seu Prid. Idus Martii describitur nomen S. Leonis cum duplici appellatione* Episcopi et Martyris *et nota topographica* Romae.**

Ap.Martène *(Thesaurus novus anecdot.* t. III p. 1553) qui illud refert ad saeculum circiter octavum. Vid. *AdmoniU praev.* ib. p. 1546.

I. Martyr, vetus sub nom. S. Hie-* ronymi compactum, ex MS. monasterii S. Germani Antissiodorensi:

II. Idus Martii. Eufrosi, Petri. Romae Leonis Episcopi et Martyris.

m. Idus Aprilis. Romae Leonis Papae.

Ap. Martène (loc. cit. p. 1565), qui in *Admon. praev.* affirmat, Martyr. Morbaeense nec antiquitate nec merito Antissiodorensi inferius esse.

II. Antiquum Martyrol. Morbacen. ex MS. codice Morbacen. Monasterii.

MARTIUS.

Pridie Idus Romae Leonis Episcopi et Martyris.

APRILIS.

III. Idus. Romae Leonis.

Ap. Boiland. *Acta SS.Iun.* tom. VII. edit. Ven. p. 371. Cod. August, refertur ad saec. XII. Vid. *Praef, editoris,* ib. p. 352.

III. Martyrologium Augustanum Monasterii S. Udalrici.

II. Id. Mart. Eufrasiae, Alexandri, Petri, Pronimi, Peoais, Innocentii, Felicissimi. Romae Leonis Episcopi et Martyris.

III. Idus Aprilis. Romae Leonis papae et confess.

Ap. Bollano. 1. c. p. 378. Nihil tuto de huius Martyr, aetate definire se posse ait Sollerius.

IV. Martyrologium Labbeanum:

n. Id. Mart. Eufrosi, Alexandri, Petri Martyris, Pronimi, Pionis, Innocentii, Felicissimi. Romae, Leonis Episcopi et Martyris.

HI. Id. Aprilis. Romae Leonis papae et confessoris.

B

MARTYROLOGIA ET CALENDARIA ANTIQUISSIMA

In quibus ad d. IL Idus seu Pridie Idus Martii recolitur memoria S. Leonis cum duplici appellatione **Episcopi** *vel* **Papae et Martyris**, *sine ulla nota topographica.*

Ap. Martène, ***Vet. Script, et Mon. ampi. Collect,*** **t. VI., p. 640. MS. pertinere videtur ad saec. X. Vid.** ***Observat, praev.*** **ib. p. 635.**

I. Pervetustum Martyrologium Monast. S. Maximini apud Treviros Bedae nomen praeferens:

MARTIUS.

II. Idus. Natale S. Leonis papae et martyris. Felicis et Daviti (sic).

APRILIS.

III. Idus. Natale S. Siagrii e S. Leonis papae.

Ap. Florentinum, ***Vetustius Occid. Eccl. Martyr,*** **p. 1050.**

II. Martyr, parvum Hieronymianum ex pervetusto membranaceo libro Bibliothecae Canonicorum Lucensium:

MARTIUS.

u. Idus. Leonis Episcopi et martyris.

APRILIS.

III. Idus. Leonis Papae ¿.¿que Doctoris.

Ap. Zaccaria, *Anecdotorum Medii Aevi Collectio,* **p. 188. Cf.** *Admomt. praev.* **p. 182.**

III. Kalendarium Brixianum XIII. saeculo elaboratum et Missali praepositum , quod ad Cathedralem Brixianam Basilicam pertinebat :

Martius. II id. Leonis pp. et mar.

Aprilis III. id. Leonis pp.

—i— Tl Tt *-'-~——

C

MARTYROLOGIA ET CALENDARIA ANTIQUISSIMA

***tu quibus ad d. II. Idus Martii describitur nomen S. Leonis eum una tantum appellatione vel* Martyris, *vel* Episcopi, *vel* Papae.**

Ap. Martèné, *Vet. Script, et Mon. ampi. Collect,* **t. VI. p. 680. Calen. Verdinen. scriptum esse videtur saeculo XII. Vid. ib.** *Observat, praev.* **p. 635.**

I. Calendarium Verdinense:

MARTIUS.

II. Idus. S. Donati et Leonis Mart.

Aprilis (desideratur in Codice).

Ap. Florentinum, Op. cit. p. 1050.

II. Martyrologium Bedae, seu potius Indieulus ex Beda contractus , ex Codice haedino Lucensi:

MARTIUS.

II. Idus S. Leonis Episcopi.

Aprilis (deest).

A **p.Martène,** *Thesaurus Novus Anecdot.* **tom. III. pag. 1596. Calend. Jtoc Corbeiense exscriptum esse videtur saec. X ex vetustiore Codice Atrebatensis monast. S. Vedasti. Vid.** *Admon. praev.* **p. 1547.**

III. Antiquum Calendarium CorDeiense ex MS. Codice Corbeiensi:

MARTIUS.

II. Idus Natalis S. Leonis papae.

APRILIS.

III.Idus. Romae depositio sancti Leonis papae. In via Aurelia depositio S. Iulii papae.

Ap.Georgium, Martyr.Adonis p. 690.

IV. Kalendarium Lawreshamense et Cod. Palat. Vatic. 485 saec. IX inclinan tis:

MARTIUS.

n. Id. Natale sancti Leonis Papae.
(alio charactere sed fere suppari).

APRILIS.

HI. Id. Nat. sancti Leonis Papae.

Ex Act. SS. Martii, ed. Ven. to. II, p. 342. Ad d. Pridie Idus Martias inter *Praetermissos.*

« S. Leo Papa officio novem lectionum in Missali Mozarabico. Refer-
» tur etiam in Martyrol. MS. Atrebatensi, Breviario MS. Montensi. At in
» aliquibus MSS. appellatur *Episcopus et Martyr Romae.* In alio MS. *Leo*
**** Martyr.* Omnia illa constituemus ad diem S. Leonis Magni XI Aprilis.»**

VAPICEN.

*Bealißcalionis et **Canonizationis Servae Dei Benedictae Rencurel e Tertio Ordine Sancti Dominici.***

« DECRETUM. Decimoctavo Kalendas Decembris anni 1867 et **xvi** Kalendas Aprilis anni 1870, quum Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX benigne induisent, ut de dubio Signaturae Commissionis Introductionis Causae Servae Dei Benedictae Rencurel e Tertio Ordine Sancti Dominici ageretur in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria absque interventu et voto Consultorum, licet non elapso decennio a die praesentationis Processus Ordinarii in Actis Sacrorum Rituum Congregationis, et scriptis eiusdem Servae Dei non*perquisitis et examinatis, Emus et Rmus D. Cardinalis Hannibal Capalti loco Emi et Rmi D. Cardinalis Luciani Bonaparte huius Causae Ponentis absentis, ad instantiam Rmi Patris D. Alexandri Vincentii Jandel Magistri Generalis Or-» dinis Praedicatorum et Postulatoris Causae huius, attentis Postulatoriis Litteris plurium Virorum, Ecclesiastica praesertim Dignitate illustrium, in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Vaticanum hodierna die coadunatis, sequens Dubium discutiendum proposuit, nimirum - ***An signanda sit Commissio Introductionis huius Causae in casu et ad effectum, de quo agitur?***

» Et Sacra eadem Congregatio, omnibus maturo examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuit: ***Affirmative,*** seu ***Signan* dam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit.*** Die 2 Septem* bris 1871.

» Facta postmodum de praemissis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX a subscripto Secretario' fideli relatione, San-r ctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit, propriaque manu signavit Commissionem Introductionis Causae Ven. Servae Dei Benedictae Rencurel. Die 7 iisdem mense et anno. »

C. Episc. Ostien. et Velitern. Card. PATRIZI S. R. C. Praef.

Loco Signi

D. Bartolfni S. R. C ***Secretarius.***

DECLARATIO

De formula: CORDE CONTRITO, *quae indulgentiarum parlialium concessionibus apponi solet*

« Iuxta Apostolicae Sedis praxim in plenariae Indulgentiae concessionibus apponitur clausula : ***Christifidelibus, qui vere poenitentes, confessi, sacraque Communione refecti*** etc. Haec clausula iuxta declarationem alias datam exprimit conditionem, itt ut confessio inter opera iniuncta recensenda sit, et nemo Indulgentiam plenariam, etsi in statu gratiae reperiatur, lucrari possit,, nisi sacramentalem confessionem faciat et cetera iniuncta opera adimpleat.

» Iam vero in Indultis, quibus partiales Indulgentiae conceduntur, nulla mentio fit de Sacramentali Confessione, sed adhibetur clausula « *corde saltem contrito* » Hinc apud nonnullos quaestio orta est, an praescripta contritio requiratur dumtaxat uti mera dispositio, nempe ut quatenus aliquis in statu peccati mortalis reperiatur, ac propterea incapax lucrandae cuiusvis Indulgentiae, per perfectam contritionem cum proposito Confessionis ad statum gratiae restituatur, et capax fiat Indulgentias assequendi: vel potius clausula illa « *corde saltem contrito* » inducat veram conditionem; scilicet tamquam pars operis iniuncti contritio ipsa habenda sit, ita ut ad Indulgentiam lucrandam etiam ab iis actus contritionis emittendus sit, qui in statu gratiae et charitatis reperiantur.

» Ut hac in re Christifideles tutam regulam habeant, Sacra Congregatio suprascriptum dubium solvere non dedignetur.

» S. Congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita, re sedulo diligenterque perpensa, proposito dubio respondendum censuit prout respondet: ***Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.***

» Et facta relatione SSmo Domino Nostro Pio PP. IX in audientia habita a me infrascripto' Cardinali Praefecto die 17 De-

cembris 1870, Sanctitas Sua Resolutionem Sacrae Congregationis approbavit et confirmavit.

» Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die i 7 Decembris 1870.»

A. Card. Bizzarri *Praefectus.*

A. Colombo S. I. C. Secretarius.

OPINIONES CONSULTORUM

Tres Consultores in scriptis suam significarunt opinionem de modo exposito dubio: duo Consultores quoad conclusionem in idem devenerunt quamquam diversam tenuerint viam: alius enim totus erat in consideranda intrinsece ea formula ***corde contrito,*** atque in medium deducebat catholicam doctrinam de dolore perfecto et imperfecto, atque denique ex congruentia opinabatur, sufficere statum gratiae, quin ille, qui indulgentias sub ea clausula concessas velit acquirere, indigeat actuali contritione.

Alter vero viam iuridicam inivit ad quaestionem solvendam: idest inquirendo huius clausulae originem et causas propter quas in facto ea clausula inducta fuerit: haec autem via ad quaestiones eiusmodi solvendas, uberiorem lucem affundit.

Eie itaque Consultor animadvertit, in Litteris in forma Brevium aut Rescriptis indulgentiarum iuxta hodiernum stylum duas clausulas legi solere: 1 quando agitur de plenaria Indulgentia adhiberi solere formulam: ***vere poenitentibus, confessis*** etc. 2 quando agitur de partiali Indulgentia plerumque praecipi, ut opera iniuncta fiant ***corde contrito*** vel ***corde saltem contrito*** aut ***contriti.***

Communem autem esse theologorum doctrinam, ut ad Indulgentias consequendas requirantur 1 status gratiae: 2 accuratum implementum iniunctorum operum.

Verum, media ad statum gratiae consequendum, qui fuerit amissus, consistere in sacramentali confessione, cum qua sufficiens est dolor ille, qui attritio dicitur iuxta Concilium Tridentinum: vel consistere in sola contritione perfecta cum voto sacramentalis confessionis, quod implicite in ea iam contineri videtur: ***si quis diligit me sermonem meum servabit.***

Summos Pontifices, fidelibus consulentes, in Indulgentiis conferendis, prae oculis habuisse eorum conditionem, qui essent in gravi peccato; consulentes simul, ut omnes plene intelligerent status gratiae necessitatem ad Indulgentias lucrandas: unde passim legi in eiusmodi concessionibus: ***existentibus in gratia et charitate.***

Necesse itaque fuisse, arguebat Consultor, ut in huiusmodi concessionis Brevibus vel Rescriptis mentio facienda esset de duobus mediis, quibus acquiritur deperditus status gratiae.

Immo ad lucrum Indulgentiarum tutandum constitutum quoque esse, ut Confessio sacramentalis retineretur tamquam opus ihiunctum, atque inter opera iniuncta ad Indulgentiam lucrandam iuberetur.

Sane, quum praeterlapsis saeculis raro admodum concederentur indulgentiae plenariae, et concederentur frequentius indulgentiae partiales, pro his partialibus Indulgentiis consequendis requisitam fuisse sacramentalem Confessionem : multas ex. gr. reperiri Indulgentias viginti vel quadraginta dierum a Ioanne xxii impertitas, sed semper cum obligatione Confessionis.

Temporis progressu maiori facilitate plenarias Indulgentias fuisse concessas, et pro his consequendis firmam pariter mansisse iniunctipnem Confessionis: atque etiam aetate nostra rarum admodum evenire, ut in concedenda plenaria indulgentia non iniungatur Confessio. Atque ut indulgentiarum consecutio facilior redderetur^ hoc opus Confessionis iniunctum, quoad tempus illud implendi declaratum esse sufficiens, si ex consuetudine illud quavis hebdomada frequentaretur (1), ad omnes indulgentias plenarias consequendas, quae intra hebdomadam occurrerent: immo indulgeri quoque pro dioecesibus in quibus Ordinarii id petant, ut easdem indulgentias occurrentes illi consequi valeant, qui confiteri soleant singulis quindecim diebus: vel etiam, ob Confessariorum inopiam, ut octo diebus ante Festum, qui non consueverint, confiteri utiliter valeant ad consequendam die festo plenariam indulgentiam (2).

(1) Confer Decretum quod retuli *p. 497 et seqq.* nec non Decretum quod retul' in *vol. I. pag. 446 et seqq.*

(2) Hic Consultor alludit ad Decretum Urbis et Orbis editum die **12** Ianuarii **1822,** quod his verbis est conceptum. « Cum » non pauci ad hanc S. Congregationem » Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepo-

Dubitari autem non posse, Ecclesiam, quae planam facilemqué viam sternere voluit ad consequendas plenarias Indulgentias, faciliorem pariter reddere voluisse consecutionem partialium Indulgentiarum, quae et multo frequentiores sunt et propter opera exsecutione facillima, ut iaculatoriaë preces.

Inde evenisse praesumendum, ut multiplicatis Indulgentiae plenariae concessionibus, iniuncta pro ea consequenda manente sacramentali confessione, eiusmodi iniunctionem fuisse omissam pro consequendis Indulgentiis partialibus, manente semper dispositione necessario praerequisita status gratiae.

Eiusmodi praesumptionem confirmabat Consultor in facto, quod praxis invaluerit apponendi in concessionibus partialibus indulgentiarum clausulam: ***in forma Ecclesiae consueta,*** quae elau-

» sitam supplices libelli porrecti fuerint, » praesertim e Gallia ob Confessariorum » inopiam, pro obtinenda facultate sacra- » mentalem Confessionem peragendi per » plures dies ante Eucharisticam Com- » munionem ad Indulgentias acquirendas » praescriptam; nec non ut explicetur, » an ad easdem lucrandas liceat sacra » Synaxi refici in pervigilio diei festi, » pro quo declarantur concessae; eadem » S. Congregatio habita in Palatio Qui- » rinali sub die 15 Aprilis proxime prae- » teriti, auditis Consultorum votis orani- » busque mature expensis, censuit *licere » ad praefatum effectum Eucharistiam » sumere in pervigilio festivitatis:* quo » vero ad petitam explicationem respon- » dendum censuit: *Firmo remanente De- » crelo* 9 *Decembris il 63* (hoc Decre tum habes pag. 198 in nota) *pro iis » fidelibus, qui ad confessionem saltem » semel in hebdomada accedunt: pro ce- » (eris autem fidelibus, in locis, in qui- » bus ob inopiam Confessariorum ne- » queunt fideles frequenter confessione sa » er amentali expiari; postulantibus com- •>> municetur dictum Decretum, et, facto » verbo cum SSmo, extendatur ad omnes » utriusque sexus Christifideles, unde Con- ¡> fessio peracta infra hebdomadam ante » festivitatem suffragari possit ad Indul- » gentiam lucrandam, expletis aliis con » ditionibus iniunctis, et dummodo nul- » lius letalis culpae post peractam con- » fessionem commissae conscii sint, nihil » innovando circa Indulgentias ad for- » mam Iubilaei concessas',ut in citato De- » er et o 9 Decembris 4763.*

» Factoque verbo cum SSmo ia au- » dientia habita per me infrascriptum Secretarium die 11 Iunii 1822 Sanctitas » sua S. Congregationis votum benigne » approbavit ac publicari mandavit, Ba- » tum etc. die 12 Iunii 1822. »

Circa hoc Decretum motum fuit Dubium in quadam *Mechlinien.die* 15 Decembris 1841, his verbis expositum: « An » verba *infra hebdomadam* significent » octo dies tantum, quae festivitatem im- » mediate praecedunt; an vero hebdomá- » datai illam totam et integram, quaeaHte » festum decurrit, ita ut ex. gr. Confes- » sio facta die dominica suffragetur ad » lucrandam Indulgentiam die sabbati » hebdomadae sequentis in quam diem » festum incideret, tametsi tunc trèsde- » cim dies inter Confessionem et festi- » vitatem intercessissent » Cui S.Congregatio respondit: *affirmative quoad primam partem; negative quoad secundam.*

sula adhuc identidem adhibetur; testabatur enim, se consuluisse varias multasque Litteras in forma Brevium, ab anno 1600 usque ad annum 1700, in quibus pro Indulgentiis plenariis reperietur clausula, ***vere poenitentes confessi*** etc. pro partialibus autem clausula ***in forma Ecclesiae consueta,*** vel etiam nulla clausula. Huic clausulae, vel etiam huius clausulae carentiae, alteram successisse: ***corde contrito, corde saltem contrito*** etc.

Inde coniiciebat satis probabiliter Consultor, formulam, ***corde contrito,*** nil aliud significare, quam id quod in alia formula exprimebatur, idest: ***in forma Ecclesiae consueta,*** qua significantur consuetae dispositiones ad indulgentiam lucrandam quarum prima est status gratiae, inde intentio lucrandi Indulgentiam, devota recitatio, et si quid est aliud huiusmodi.

Atque ex eo confirmabat, quod si actus perfectae contritionis requireretur singulis vicibus ad lucrandam partialem Indulgentiam pro iis, qui iam fuerint in statu gratiae, iniungeretur conditio, quae neque pro plenariis Indulgentiis lucrandis iniuncta reperitur; quum pro his consequendis non opus sit, ut, impleta sacramentali Confessione, actus contritionis repetantur pro singulis indulgentiis plenariis consequendis. Ideoque sub hoc aspectu difficilior reddita esset consequutio partialium Indulgentiarum.

Quare concludebat, per eam formulam, ***corde contrito, corde saltem contrito,*** nihil aliud significari videri, quam primam necessaria mque dispositionem ad Indulgentiam lucrandam, idest statum gratiae. Quasi vero Pontifex diceret: quamvis ego vos non cogam ad Confessionem sacramentalem peragendam; attamen scitote, eiusmodi partialem Indulgentiam lucrifieri non posse nisi in gratia Dei comperiamini: ideoque si in hoc statu gratiae non sitis, illum ***saltem*** curate per contritionis perfectae actum, antequam opus iniunctum peragatis, cui indulgentia partialis coniuncta est.

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I, In iis quae requiruntur ad Indulgentias lucrandas, alludesse dispositiones, aliud esse opera iniuncta quibus operibus Indulgentia adnectitur.

II. Inter dispositiones primum locum habere statum gratiae: non enim Indulgentiae remittunt aeternam poenam; sed tantum

temporalem poenam peccatis debitam in hac vel altera vita luendam: ideoque supponunt graves culpas, si quae fuerint, remissas, atque proinde gratiae statum.

III. In Indulgentiis plenariis concedendis solere tamquam iniunctum opus praescribi ipsam sacramentalem Confessionem , qua omissa, non lucraretur Indulgentiam, qui in statu gratiae reperietur, etsi ceteris operibus iniunctis faceret satis.

IV. In Indulgentiis partialibus concedendis, sacramentalem Confessionem non solere praescribi: sed e converso passim indicari contritionem cordis.

V. Eiusmodi indicationem vel iussionem, non opus iniunctum, cui colligatum quoque sit Indulgentiae lucrum, significare; sed medium veluti subsidiarium loco sacramentalis Confessionis, quae peragi actu non possit, ad statum gratiae obtinendum.

IV. Ideoque formulam, ***corde saltem contrito,*** necessitatem indicare prospiciendi, eo modo quo possit, gratiae statui, sine quo Indulgentiae lucrifieri non possun-t.

VI. Quare eam formulam non conditionem, cui tamquam iniuncto operi, colligetur Indulgentia, significare ; sed suggerere tantum opportunius medium ad eam consequendam dispositionem, quae semper praerequiritur pro Indulgentiarum lucro.

VII. Illis ergo, qui iam in statu gratiae reperiantur, opus non esse, ut actum contritionis emittant, ad indulgentias lucrandas (1).

(1) Quaeri hic ulterius posset: quid, si in Indulgentiis plenariis lucrandis aliquis satisfecerit sacramentali confessioni tamquam operi iniuncto, attamen intra utile tempus pro ceteris conditionibus adimplendis committeret gravem cuidam: deberet ne necessario sacramenta**lem** confessionem iterare ad consequendam indulgentiam, an satis esset, ut actum perfectae contritionis diceret ?

Respondendum videtur, satis esse, ut actum contritionis eliciat, dummodo inter opera iniuncta, quibus non satisfecerit, non reperiatui sacra communio; quae ex urgentiori ratione sacramentalem confessionem postularet. Ratio autem ex superius dictis descendere videtur: namque Confessioni, ut operi iniuncto, satisfactum est; superest tantum ut in statu gratiae peccator se collocet, quem consequi potest per perfectam animi contritionem, votum continentem confessionis sacramentalis quamprimum peragendae.

Haec confirmari videntur per Decretum S. C. in *Mechlinien,* editum die 15 Decembris 1841: ad dubium enim his verbis conceptum: « Quaeritur, utrum cum » in Bulla vel Brevi, quo conceditur In» dulgentia, Confessio, tamquam conditio » *sine qua non,* praescribitur, necesse sit, » ut sacramentalis absolutio poenitenti» bus detur ad indulgentiam lucrandam:» S. Congregatio respondit : *negative.* Ra-

EX S, CONGREGATONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM.

CONCORDIAE

Die 2 Septembris 1870.

Compendium facti. Anno 1855 Titius testamento haeredibus suis legem dixit eligendi, et vacationis tempore renovandi in perpetuum, quatuor Presbyteros cognitae probitatis, quibus decentem habitationem adsignare deberent, quique in quatuor Oratoriis testatori pertinentibus quotidie, iuxta eius intentionem, Missam celebrarent in Oratorio unicuique adsignato, christianam doctrinam pauperes docerent, infirmis adsistentiam praestarent, Parocho, in rebus religioso cultui pertinentibus, auxilium ferrent.

Voluit insuper, ut quoties ex quavis legis dispositione legatum huiusmodi vel in totum vel partem locum habere nequivisse!, pars ea, quae executioni mandari non posset, in haereditatis bona rediret haeredibusque accrescerei.

Secuta Titii morte et publicato testamento, haeredes se paratos esse declaraverunt ad eius voluntatem exequendam. At Episcopus, huius dispositionis exsequutionem difficultatibus implexam videns ob Presbyterorum carentiam, haeredibus proposuit duas tantum Capellanías servare, duabus suppressis: in quarum locum redditus annuus libellarum 2800 substitueretur: huius vero summae, libellae 800 Parocho cederent, reliquae 2000 Instituto Scholarum christianarum et Congregationi S. Philippi Nerii assignarentur ad pueros pauperes educandos.

Facultates a H. Pontifice petitae sunt, atque anno 1859 benigne obtentae. Eo tempore haec partialis voluntatis commutatio habita

tio huius Resolutionis alia esse non potest, quam quod per Confessionem satisfactum est operi iniuncto, quamquam peccator absolutionem obtinere non potuerit: manet lamen ipsi necessitas consulendi statui gratiae, per perfectam animi contritionem, si velit Indulgentiam consequi.

Haec mea opinio invocari tamen certo non posset, quando aliquis generali Indulto uteretur, confitendi peccata sua ante praescriptum tempus: in his enim Indultis conditio «ducitur: *et dummodo nullius letalis culpae post peractam Confessionem commissae conscii sint.* Confer allegatum Decretum *pag. 199 in nota,* et alterum modo deductum *pag.%%* et 391 *iv nota.*

est tamquam expleta: sed solemnis scriptura desiderabatur adhuc, quae ea de causa dilata est, quod Episcopus rem componere deberet cum instituto scholarum christianarum.

Interea in eo Regno perduellio locum habuit, et legis promulgatio, qua praescriptum est, ***exsequatur regium*** super provisionibus ecclesiasticis, et regiae adprobationi esse subiiciendas testamentarias dispositiones Institutis ecclesiasticis factas.

His rebus supervenientibus inter partes convenit, privata scriptura Conventionem firmare, tempus expectantes, quo solemnitates iuridicae adhiberi possent.

Sed duo nova eius Gubernii Decreta supervenerunt, quibus et ***regium exsequatur*** super provisionibus ecclesiasticis nova dispositione praescriptum, et ab integro Regno est expulsum Institutum scholarum christianarum.

Tunc haeredes Curiae episcopali significarunt, novis his legibus impossibile esse legatum pium exsequi et resolutivam clausulam in testamento expressam locum sibi vindicare. Haec eorum sententia novum robur accepit a subsequentibus aequissimis illius Gubernii legibus, quibus religiosi Ordines, Capellaniae et Beneficia ecclesiastica suppressa fuerunt.

Verum instante in dies Episcopo, nova Concordia composita est inter ipsum et Titii haeredes, atque transactio stipulata die 28 Novembris 1868, reservatione adiecta Beneplaciti Apostolici, quod Episcopus a S. C. Epis, et Regul. implorare sategit.

In eadem Concordia, studio quodam concinnata, ut civilium legum effectus declinarentur, mentio facta est de iisdem legibus; quasi vero vi harum legum legatum testatoris cessavisset: proindeque Missarum legatum enunciatum fuerat tamquam positum in facultate haeredum, et proprietas integri ipsius legati pro educatione puerorum etc. penes haeredes existeret, ususfructus vero penes Episcopum pro tempore.

De more nonnullis animadversionibus de eadem proposita Concordia utrimque ex officio factis, res iudicanda in S. Congregationem deducta est sub huiuscemodi dubitandi formula.

Dubium

« An et quomodo adprobanda sit proposita Concordia in casu.»

RESPONSIO. S. Congregatio Episcoporum et Regularium re cognita die 2 Septembris 1870 respondit:

« Ad mentem: mens est, ut inter partes contrahentes redigatur syngrapha bonae fidei ex qua pateat, quod non obstantibus iis quae ad commodum ob praesentes rerum circumstantias dicta sunt quoad reservationem dominii bonorum investiendorum favore haeredum* (N N.) *et quoad modum adimplendi onera Missarum; dicta tamen proprietas spectat ad Ecclesiam et onus Missarum est stricte obligatorium et non facultativum. Addatur insuper in eadem syngrapha declaratio, qua constet, quod ob praedicta rerum adiuncta solummodo facta fuerit in primo Concordiae articulo mentio quarundam legum, quae Gubernio* (N.) *contra Ecclesiam latae sunt; quia secus nulla de iis facta fuisset commemoratio, eo quod mala iis inest vis et efficacia. »

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Leges civiles contra Ecclesiam latas omni vi carere et efficacia.

II. Civili enim potestati nulla inest auctoritas leges ferendi in iura et res Ecclesiae; quare sive hae leges sint Ecclesiae fa vorabiles, sive sint adversae, ex se omni vi erunt destitutae (1).

(1) Hoc est iuris canonici principium, quod sponte fluit ex iuris publici principiis; atque scriptum reperitur in Decretalibus iuxta ss. canonum traditionem; salis in praesentia sit commemorare Rescriptum Innocentii III, quod legitur in *c. **10.** de Rescriptis,ub* sententiam quandam vi legis civilis, executioni demandatam de rebus ecclesiae, sic Pontifex revocavit: « *Nos attendentes, quod laicis (etiam religiosis) super ecclesiis et personis ecclesiasticis nulla sit attributa facultas: quos obsequendi manet necessitas non auctoritas imperandi: a quibus si quid motu proprio statutum fuerit, quod ecclesiarum etiam respiciat commodum et favorem, nullius firmitatis existit, nisi ab Ecclesia fuerit adprobatum. Unde statutum Basilii de non alienandis praediis rusticis vel urbanis, monasteriis et ornamentis Ecclesiarum, illa reprobatum fuit potissima ratione, quod auctoritate non fuit Romani Pontificis roboratum. Quod a Senatore factum fuerat in praeiudichm monasterii non conventi nec confessi vel convicii in irritum revocantes, easdem possessiones restituendas sibi sententialiter definimus.»*

Sed non raro contingit in rebus iuribusque ecclesiae ut leges civiles ab op-

III. Quare in themate pium legatum non fuisse vi legum civilium resolutum, quamquam testator edixerit, illud resolvi favore haeredum si cuiusvis legis dispositione non potuisset exsecutioni mandari.

IV. Non enim testator legati resolutionem cum eventu legum, quae illud forte abolere praesumerent, colligavit; sed e converso cum impossibilitate illud exequendi vi quarumlibet legum dispositionis ; ne videlicet in manus alienas sua bona devenirent sine satisfactione legati.

V. Quare huiusmodi manente testatoris mente, impedimenta ex legibus civilibus obvenientia ab haeredibus superari, ea ratione qua possent, debuisse.

VI. Neque eiusmodi modalem legati transformationem ob urgentia rerum adiuncta factam appellari posse voluntatis commutationem sensu iuridico acceptam: sed potius voluntatis exsecutionem prout iniqua rerum adiuncta paterentur **(1).**

pressis invocentur: quisque autem videt, eas invocari, non ut, tamquam leges valore praeditae, admittantur; sed ut a graviori vexatione in facto per ipsas leges liberentur. Quod si quis aliquid contra statuta ss. canonum, vi tamen civilis legis sibi attribueret, iniuste atque invalide detineret; quum nullum titulum lex civilis tribuere possit, quo quis Ecclesiae iuribus fruatur.

(1) Ex hoc evenisse puto, quod S. Congregatio Rescripto non adiunxerit consuetum mandatum, *fact o verbo cumSSño.* Namque quando agitur de voluntate pii disponentis commutanda, cognitis causis aequae commutationis, mandat Remo S. Congregationis Secretario, ut referat SSmo Patri Resolutionem, ut si velit eam commutationem adprobet:non enim est in facultate S. Congregationis commutare **vel** etiam derogare voluntati pii disponentis. Voluntas enim pii disponentis habet vim legis, cui praeter Pontificem **nemo** potest derogare.

Sed in themate aliqua voluntatis commutatio auctoritate Pontificis facta locum iam habuerat: modalis autem transformado a rerum adiunctis postea imperata, ut legatum quoad fieri possit salvaretur, redibat in legati observantiam. De qua re sic scripsit Card. De Luca, *Annot. ad Conc. Trid disc.21.* « Improprie >: autem iste commutationis terminus » adhiberi videtur; quoniam posita im- » possibilitate adimplendi id, quod dis- » ponens voluit, suppletio vel subroga- » tio potius, quam commutatio dicenda » videtur, ne secus dispositio caducata » remaneat, ex ea congrua ratione, quod » pia dispositio principaliter directa di- » citur in Deum propriamque animam, » unum vero vel alterum opus dicitur » accidentaliter destinatum, ut ubi im- » pleri potest servetur defuncti volun- » tas, ubi vero non, id sequatur, in eo, » in quo sequi potest. Commutationes » autem sunt illae, quae continent omni- » modani commutationem pro voluntate » vel arbitrio, etiam in casibus, in qui- » bus impleri possint eo modo, quo per » disponentes volitum est, adeo ut spe- » ciem dispensationis vel derogationis » redoleant. »

NULLITATIS TESTAMENTI

Die 2 Septembris 1870.

Compendium facti. Initio huius saeculi Livius quidam, natione Hispanus, in Coenobio Fratrum Minimorum S. Francisci de Paula Hispaniae solemnem professionem emisit, Romam inde est translatus.

Non constat, an bonis sibi pertinentibus praesentibus vel futuris ante religiosam professionem renunciaverit: constat vero eius patrem et matrem morti proximos, Livium Religiosum una cum aliis filiis haeredem instituisse.

Cognito testamento patris, qui decessit anno 1821, Livius fratri testamentario exsecutori scripsit, ut valorem portionis suae cognosceret, simul ei significans, se nullam supplantationem aequo animo laturum.

Anno subsequenti 1822, eius quoque mater decessit, quae instituens etiam Livium Religiosum haeredem, hanc clausulam in testamento adiunxerat: ut portio haereditaria Livii Religiosi maneret apud exsecutorem testamentarium, donec de hac haereditaria portione Livius disponeret.

Tempore paternae maternaeque mortis, deposuisset iam Livius religiosas vestes nec ne, ex documentis in causa adductis non satis constat. Notum sed est, eum anno 1825 penes S. Co. grcgationem super Regularium Disciplina institisse, ut facultatem obtineret disponendi *de illis bonis, quae suis sacerdotalibus labo ribus vel alio quovis licitò modo sibi pertinerent;* et in eodem supplici libello exposuisse, *sibi Apostolicum Saecularizationis perpetuae Indultum iam fuisse concessum.* Quae supplices preces fuerunt dimissae Rescripto pro gratia *iuxta petita dummodo aliquod legatum relinquat favore Conventus ubi magis moram fecit, alias alicuius suae provinciae.*

Post haec Livium tamquam rerum suarum dominum se gessisse satis est compertum. Immo anno 1845 insistens civili Hispanae legi latae anno 1837, quae ordinabat, religiosos utriusque sexus rodintegran in civilibus iuribus; bona provenientia ex haereditate parentum sibi vindicavit.

Itaque anno 1864 testamentum condidit, quo inter ceteras

dispositiones iussit bonis suis in Hispania existentibus Capellaniam cum onere Missae, quotidianae ab Archiepiscopo N. erigendam, atque conferendam alicui ex suis agnatis.

Livio denique vita functo, eius nepotes, unice superstites, testamentum patrui cognoscentes, supplicem libellum S. Congregationi Epis, et Reg. porrexerint, quo arguentes, nequivisse Livium, tempore paternae maternaeque mortis Religiosum, haereditaria bona acquirere; neque Regulare Coenobium, cui ius fortasse haereditatem adeundi pertinuisset, quidquam unquam obmussitasse; et legem civilem anni 1837 effectum retroactivum habere non potuisse, petebant, ut S. Sedes dignaretur quaestionem dirimere antequam praescripta Capellanía erigeretur.

Remissis eiusmodi precibus ad Archiepiscopum N. pro informatione et voto, atque ut partes audiret, nec non referret, num petitio iura aliis quaesita laederet, ipse his omnibus satisfaciens votum suum pro validitate testamenti emisit: atque inter cetera animadvertit: parentes Li vii certo scisse Religiosum professum cum esse, et cohaeredem illum bonorum cum aliis filiis instituisse ; unde coniicere licere, eos voluisse Livium partem haereditatis habere vel pro suis usibus cum licentia Superiorum Ordinis applicandam, vel ut posset sustentari si extra claustra degere cogeretur, prout tunc temporis probabile videbatur.

Rogatus quoque fuit Procurator Generalis Ordinis S. Francisci a Paula, qui declaravit, nullo iamdiu existente Minimorum coenobio in Hispania a tempore suppressionis, nihil excipiendum se habere quaecumque fuerit S. Congregationis Resolutio.

Disceptatio syneptica.

EA QUAE CONTRA TESTAMENTI VALIDITATEM ANIMADVERSA SUNT EX OFFICIO. Qui ex officio Consultationes S. Congregationi proponendas scribit, animadvertit, vulgati iuris esse, quicumque solemnem professionem emittat in Religione quavis adprobata, statum mutare atque illico transire in omnimodam Superiorum Regularium potestatem; Ferraris *Biblioth. can. verbo Regularis professio* 10(i; ideoque^ Professum aequiparandam servo aut arrogato, qui personam propriam quodammodo non habet: licet autem Regularis Professio non destruat vincula sanguinis et successionis, tanun

Professum omnia sua iura in monasterium transferre ; unde Regulam iuris *Quidquid Monachus acquirit non sibi, sed monasterio acquirit;* item *ex cap. Cum ad Monaster , de Stat Monach.,* Concilium Trid. *sess.* 25 *de Regul. c,* 2, Clemens VIII Decretis gener, de Reformatione Regularium, *Nullus omnino §.2.*

In facto, posita renunciationis existentia, prout asserebant instantes, Livium in monasterii potestatem transiisse, quin ullum in monasterium ius suum transferret, nec quidquam proinde monasterium acquirere potuisse.

His praeiactis, ex communi iure esse praescriptum, neminem testamento acquirere posse, qui *testamenti factionem* saltem *passivam* non habeat, hoc est acquirendi potestatem, *Inst. de haered. qualit. et diff'. §. In extraneis,* ubi Iustinianus tradidit: *In extraneis haeredibus illud observatur, ut sit cum eis testamenti factio.... et id duobus temporibus inspicilur, testamenti quidem facti ut* con*stiterit institutio, mortis vero testatoris ut effectum habeat.* » Voet ad *Pandect. lib.* 28 *tit.* 5. *n.* 21, aliique. In facto autem constare, Livium, utriusque testamenti confectionis tempore, et mortis utriusque parentum, professum solemniter iamdiu fuisse, et, prout asserebant instantes, in monasterio adhuc mansisse; ideoque nullam testamenti factionem habuisse: proindeque neque Livium ex persona propria succedere potuisse, neque monasterium ob renunciationis existentiam.

Neque regeri posse, renunciationem iura ipsi renunciationi posteriora comprehendere nequivisse: veriorem enim esse sententiam, quae docet, etiam spem futurorum iurium renuncian posse : ergo easdem haereditatis portiones, utpote in renunciatione virtualiter comprehensas haeredibus institutis accrescere.

Verum, facta quoque hypothesi, renunciationem non existere, vel ipsam, bona post emissam renunciationem supervenientis, non comprehendere, semper redire, haercditatcs monasterio unice cedere debere, quo haereditates Livii non adeunte, nec eas aliquo modo sibi vindicante, ipso iure ad institutos haeredes devolvi. Iniuste ergo Livium religiosum eiusmodi haereditates sibi vindicasse, deque iis, tamquam de re propria, disposuisse.

Minus etiam obesse, Livium obtinuisse Saecularizationis Indultum, quasi vero ex hoc indulto inferri possit capacitas acquirendi: canonem namque iuris esse, capacitatem extra tempus lege

praestitutum supervenientem ad effectum quemlibet, nihili esse ad eundem effectum, S. Rota in *Albanen. Capellaniae* 9 *Decembr.* 1822 §. 5 *coram Gamberini* et alibi. Eo magis si capacitas superveniens cedat in praeiudicium aliorum iurium, Rota *ibidem;* (a.d. de Luca de *Renunciat. disc.* 17, *n* 17, ubi scripsi t; « Ve-
» rior videtur opinio, ut ista restitutio saeculo, quae ex facti)
» Papae provenerit non debeat habere oculos retro, neque tollere;
» ius tertio quaesitum, nisi expresse voluntas accedat, ad instar
» iorum, quae sub *tit. de Regni.* etc. habentur circa potestatem
» Papae tollendi ius tertii, ut id in dubio praesumendum non sit)
» sed semper gratia vel aliud factum Principis intelligi debeat
» sine praeiudicio. »

Demum, Livium Indultum perpetuae saecularizationis consequutum esse, erui tantum ex supplicibus eius precibus oblatis S. Congregationi anno 1825; sed eiusmodi Indultum nullimode* afferri, nec eius extensionem esse notam ; atque omnino praesumendum habuisse consuetam clausulam, qua datur quidem fa^cultas vivendi extra claustrum, sed votis firmis manentibus *in substantialibus cum novo statu compatibilibus;* ideoque vi huius Indulti neque acquirere et bona possidere potuisse (quod voto paupertatis opponeretur), sine novo atque necessarios. Sedis Indulto, quemadmodum quotidiana praxis S, Congregationis ostendit.

Quod si anno 1825 Livius obtinuit facultatem *testandi* vel *disponendi ;* atque proinde si eiusmodi facultas implicite alteram quoque contineret bona acquirendi, eam tamen limitatam fuisse *ad ea bona quae suis sacerdotalibus laboribus vel quovis alio licito mudo sibi pertinerent:* Pontificium enim Indultum nullam omnino fecisse mentionem de portionibus haereditatis: neque eiusmodi mentionis carentiam suppleri posse praesumptione : praesumptionem immo in contrarium militare, sive ut aliorum praeiudicium evitetur; sive ob clausulas eiusmodi Indultis apponi solitas, *dummodo non agatur de bonis sub speciali renunciatione comprehensis ;* sive ob facultatem, quae identidem conceditur, adeundi haercdilates, obligatione Indultario imposita de his disponendi pro illis, ad quos bona vi renunciationis pertinerent.

E¿ QUAE PRO VALIDITATE TESTAMENTI ADNÓTABANTUR. AdnOtaÒatUr pariter ex officio, renunciationem esse actum mere facultativum

ₑt a tironum voluntate pendere, quod et declaravit **S.** Congregatio Epis, et Reg. Decreto 31 Aprilis 1756.

Iam **verOj** posita huius actus libertate, non esse eius existentiam praesumendam, sed luculenter probandam, tum in genere, tum in specie; et num ipsa fuerit translati va vel extinctiva, ui id quod consequatur, cognosci possit. Etiamsi **eniiiKin** genere probaretur, amplissimam renunciationem locum habuisse, in specie obstare semper iuris criterium, quo esset receptum, huiusmodi quamvis amplissimas renunciationes, haereditates intestatas, non eas, quae testamento de vol verentur, comprehendere, Marin, ***lib. % resol.*** 194, Surd. ***decis.*** 14, Rota ***decis.*** 543 ***part.*** 5 ***recent.*** Sed-eum nihil huiusmodi ab Actoribus afferretur, nihil videri impedire, quominus successio saltem testata in bonis parentum, si non in persona Livii religiosi, in persona monasterii consisteret.

Sed postea monasterium a successione mansisse exclusum ob obtentum a Livio Saecularizationis perpetuae Indultum: vi enim huius Indulti, quemadmodum professus a monasterio solvitur, ita quoque eundem videri recuperare suam iuridicam personalitatem quoad iura sanguinis et successionis, eo fere modo, quo iuxta Romanam iurisprudentiam captivi qui in patriam ['egrederentur, ***pòstliminio*** recuperabant omnia iura per captivitatem suspensa, /: 32 § 1 ***ff. de haered. instit.*** ubi legitur: « ***Is qui apud hostes est, recte haeres instituitur, quia iure posiliminii omnia iura civitatis in personam eius in suspenso retinentur.*** » Card. de Luca ***de fideicom. disc*** 68 n, 22, et alii.

At vero, quum Religiosus professus non solum non sit habilis ad acquirendum in persona propria dum in monasterio manet, sed sub superiorum potestate etiam extra claustrum, vi perpetui voti paupertatis, simplex saecularizationis Indultum potuisse quidem Livium iuvare quoad usum iurium recuperatorum per subtractionem a potestate superiorum Regularium; non tamen quoad plenam possessionem liberumque dominium; ad quem effectum necessariam fuisse novam dispensationem a paupertatis voto, Pyrrus Corradus ***in praxi dispens. I.*** 10 ***c.*** 4 ***n.*** 1, Card. de Luca ***de testament, disc.*** 9 aliique.

Sed Livium praeter saecularizationis Indultum obtinuisse **quoque** facultatem, ***testandi vel disponendi de illis bonis, quae suis***

sacerdotalibus laboribus aut quovis alio licito modo sibi pertinerent: quae quidem facultas, etsi mentionem non faceret de iure acquirendi, eam tamen omnino supponere!: ex qua etiam coniici posse, hoc acquirendi ius eidem Livio iam fuisse concessum cum ipso saecularizationis Indulto. Quamobrem quamquam Livius non posset iura consequi, quae fortasse aliis iam essent quaesita (non enim praesumitur Pontificem per Indulta iura aliis quaesita laedere velle), in eius tamen fuisse potestate consequendi id quod sibi pertineret, quod aliis non esset devolutum, Barbosa ***de iur. eccles, univ. I.*** l. c. 42 ***n.*** 247, aliique.

Iamvero portiones haereditarias paternam et maternam Livii, tempore relati Indulti non fuisse a monasterio acquisitas.' nec portionem hereditariam maternam monasterio, adire volenti, cedere potuisse ob clausulam testamenti adiectam, ***donec Livius de ea non disposuisset:*** nihil ergo dubii superesse videri, quominus Livius acquirere portiones suas et iis capellaniam fundare potuerit.

Tandem, si per hypothesim exceptiones supplicantium admitti vellent, eas non esse validas in eorumdem supplicantium persona. Vel enim esse impugnandum valorem dispositionum parentum Livii, vel ius eiusdem Livii ad haereditatem consequendam. In primo casu impugnari iudicium testatorum a supplicantibus iam accepto habitum, quod fieri nequiret, /. 10 ***ff. de inöff. testam. « Illud notissimum est, eum, qui legatum percepit, non recte de inofficioso testamento dicturum, nisi id totum alii administravit.*** » Item 5 ***ff. de his, quae ut indignis.*** In secundo, monasterii iura in medium deducentes exceptionem de iure tertii opponerent, quae nullum contra possessorem valorem haberent, ***I.*** 53 ***ff. de acquir. vel amittend. poss. « Adversus extraneos vitiosa possessio prodesse solet »*** et alibi.

Quod si iudicium ferretur contra Livium, non supplicantibus, sed Religioni Fratrum Minimorum ius super Livii portionibus delatum intelligi. Nec praescriptionem obiici posse contra Fratrum Minimorum iura, multoque minus renunciationem a Procuratore Generali factam; siquidem, ceteris omissis, vulgati iuris esse, ***contra ignorantem et non valentem agere non currit praescriptio:*** et renunciationem iuris, quod ad Religionem pertineat, speciem alienationis secumferre, quae, absque solemnitatibus prae-

scriptis sive in Ordinis constitutionibus, sive ex communi iure, valorem non haberet.

His aliisque animadversis, propositum est resolvendum

Dubium

« An constet de nullitate dispositionis testamentariae Regula-
» ris *(Livii)* quoad institutionem Capellaniae, ita ut et cui defe-
» renda sint relativa bona in casu. »

RESOLUTIO. S. Congregatio Episc, et Reg. causa cognita die 2 Septembris 1870 respondere censuit:

Negative in omnibus, et Archiepiscopus curet exsecutionem voluntatis testatoris, et communicetur ex officio.

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Generatim renunciationem bonorum sive in genere sive in specie ante professionem solemnem factam non praesumi, sed probari luculenter debere (1).

II. Renunciatione autem bonorum non facta, bona Religiosi professi ipso iure monasterio cedere, si monasterium ius possidendi habeat.

III. Idem verum esse, sive agatur de bonis actu ad Professum pertinentibus, sive de bonis adventitiis vel in spe positis.

IV. Professo e religione exeunte per saecularizationis indultum, atque proinde a potestate Superiorum Regularium soluto, iure fere postliminii, suam iuridicam personalitatem recuperare, ad vindicanda coram civili lege ea iura sanguinis et successionis, quae aliis non fuerint, antea quaesita.

V. Usum tamen proprietatemque bonorum habere non posse ob votum quod ei obstat paupertatis; quum illud firmum maneat etiam post saecularizationis Indultum.

(1) Quid iuris, si constaret renunciationem fuisse factam in genere et in specie bonorum patrimonialium in favorem fratrum ? Poterat ne Livius a monasterio solutus ea patrimonialia bona iuridice vindicare?

Videtur posse: ratio est, quod causa i enunciationis cessaverat per egressum e Religione, cessante autem causa renuncialionis, renunciatio cessabat quoad ea bona quae non fuerant aliis quaesita, quaeque veluti in suspenso manebant, adstipulante quoque voluntate testatorum, qui Livium, etsi religiosum professum noscerent, cohaeredem instituerant. Confer Resolutionem S. C. Concilii de Regulari ad Episcopatum evecto, quam re tui i in *vol. 1 pag. 227 in nota,* quam quam non integre ea Resolutio ad nostram facti speciem possit aptari.

VI. Quare ad usum habendum bonorum, quae honestam sustentationem excedant, nec non ad facultatem de bonis disponendi, praesertim per testamentum, necessaria Regulari saecularizato esse alia Pontificia Indulta; quae esse videntur quaedam partiales dispensationes super voto paupertatis, quaeque strictae sunt interpretationis **(1).**

VII. In themate Livium, religiosum saecularizatum, potuisse vindicare patrimonialia bona, quum ea nec monasterio nec suis fratribus essent quaesita, iisque ope Apostolici Indulti uti, atque de iisdem disponere sive per testamentum sive alia ratione, prout ferebatur Indulti tenor.

VIII. Eundem, sua Religione per universam Hispaniam extincta , ita de bonis disposuisse per testamentum, ut capellaniam pro agnatis instituens neque Ecclesiam neque suam familiam defraudayertt.

EX S. «EGATI0« COMMI TRIDENTI!.

DECRETORUM

Die ***3*** *Septembris* ***1870.***

Compendium facti. In Abbatia N. nullius dioecesis, extat oppidum L, in quo antiquis temporibus sex existebant sodalitates, quae evanuerunt, titulis dumtaxat manentibus, quin earum indoles et natura cognoscatur. Neque enim constat, an canonice fuerint erectae, an statuta haberent, an saccum proprium sodales induerent, an morale corpus constituerent.

Certum illud est, quod onera Missarum et quarumdam piarum institutionum, sub variis earundem sodalitatum titulis, superfuerunt: quae quidem onera, superextantibus quibusdam fundis ei, redditibus, a Presbyteris ab Abbate deputatis implebantur.

(1) Confer quae scripsi in *vol.IV f. 388 ei seqq* ubi egi de iuribus Regularis saecularizati coram Ecclesia spectatis.

Anno 1828 ex his sodalitatibus duae, quae sub titulis S. Mariae Angelorum et SSmi Rosarii veniebant, Sempronio Clerico in titulum S. Ordinationis cum supplemento patrimonii collatae sunt ab Abbate, per Bullam abbatialem his conceptam verbis: a Cum capellanía ad altare SSmi Rosarii in ecclesia parochiali
» Terrae L, nostrae iurisdictionis, necnon S. Mariae Angelorum ru-
» rali ecclesiae dictae Terrae, quarum collatio, provisio et omni-
» moda dispositio ad nos, quoties vacent, pertineat pleno iure,
* quas admodum Rev. D. Antonius P, dum viveret, obtinebat,
» per illius obitum vacaverint, et vacare noscantur ad praesens,
» nos volentes dilectum nostrum Clericum *(Sempronium)* in mi-
» noribus ordinibus constitutum apud nos de sufficienti literarum
» scientia et morum honestate aliisque meritis commendatum,
» horum intuitu favore prosequi gratiae, capellanías SSmi Rosarii
» et S. Mariae Angelorum sic vacantes, *quarum annui redditus*
» summam in totum exaequant scutatorum triginta praefato Cle-
» rico Sempronio *cum omnibus iuribus, honoribus, oneribus ac per-*
it tinentiis .suis auctoritate nostra et omni alio meliori modo quo
» possumus tenore praesentium conferimus, assignamus ac provi-
» demus, donec et quousque in ecclesia parochiali ministerio, cui
» in sua ordinatione fuit adscriptus, inserviat. Si autem arbitratu
» suo alio se conferat, et relicta priori ecclesia alteram assumat,
» statim capellaníarum possessione privatus censebitur, tituloque
» alio pro decenti sua sustentatione tenebitur provideri. »

Verum anno 1847, qui id temporis Abbas ordinarius erat, supplici oblato libello S. C. Concilii, narrato statu omnium sex sodalitatum, seu potius expositis oneribus et redditibus earundem, significavit hos redditus et bona passim deperire quod darentur ab Abbatibus in administrationem, et Presbyteris solverentur tantum eleemosynae Missarum; atque tenues redditus iam non responderent oneribus. Quare consilium suum patefecit, eas sic dictas sodalitates erigendi in sex capellanías ad nutum amovibiles, ab Ordinario conferendas Ecclesiasticis cum iure eas administrandi et percipiendi integros redditus, conditione imposita omnia onera adimplendi, quae eisdem inhaererent. Significavit praeterea, neminem esse cuius id interesset, atque supplicavit pro Apostolico Beneplacito.

Eiusmodi preces accepto habitae fuerunt, ita ut S. Congre-

gatio Concilii rescripserit, ut Ordinarius Abbas hac super re *gereret, statueret atque decerneret, quidquid pro suo arbitrio magis in Domino expedire iudicaverit.*

Huic Rescripto inhaerens Ordinarius, statim sodalitatum suppressione decreta, sex eodem tempore capellanías erexit ad nutum amovibiles conditionibus nonnullis appositis. In eodem enim erectionis Decreto iniunctum est, ut in capellaniarum utilitatem impenderentur redditus et credita anno 1847 anteriora, quae adhuc exigenda essent, ita ut Capellanus nominandus, tamquam ab Ordinario delegatus exigere deberet credita non adhuc exacta a die 1. Ianuarii 1845, et, subtractis oneribus, superextanles redditus erogare teneretur in refectionem fundorum Vel altaris ad capellaniam spectantis, obligatione adiecta reddendi harum rerum accuratam Ordinario rationem. Pro creditis vero, quae annum 1845 antecederent, sibi reservabat Ordinarius idem peragere, ut omnes singulique proventus impenderentur in extinctionem aeris alieni atque in restaurationem fundorum vel in pios usus.

Capellanías autem S. Mariae Angelorum et SSmi Rosarii, quae iam collatae fuerant, ut vidimus, Sempronio, iterum Ordinarius eidem contulit, eas amovibiles esse declarans ad suum succcssorumque suorum nutum, etiam sine causa.

At Sempronius, qui eas capellanías cum supplemento patrimonii in titulum S Ordinationis obtinuerat *cum omnibus iuribus, honoribus, oneribus et pertinentiis,* nullum sibi praeiudicium illatum fuisse nec inferri posse nova hac collatione existimasse videtur, et pro certo tenuisse, se conditionibus novae erectioni appositis obligatum non esse.

Verumtamen, qui anno 1863 Ordinarius Abbas erat, sacram Visitationem peragens novaeque erectionis leges Sempronium haud exsecutum esse comperiens, administratione capellaniae S. Mariae Angelorum spoliavit et bona Lucae cuidam administranda commisit.

Haec quoad capellaniam S. Mariae Angelorum. Quo vero ad alteram SSmi Rosarii hodiernus Ordinarius Abbas sacram Visitationem per Vicarium Generalem et ipse peragens anno 1868, vidensque idem Vicarius, 1 superextantes Missarum redditus suos fecisse Sempronium, quin unquam rationes redderet: % altare

SSmi Rosarii fatiscens et indecorum factum fuisse, omniaque sacra indumenta ab usu removenda: 3 ex legibus primae et secundae erectionis scatere putans capellaniae redditum non quidem Capellano administratori, sed ipsi capellaniae cedere debere; terminum Sempronio praefixit mensium duorum ad rationum redditionem exhibendam, et Depositario locorum piorum superextantes redditus consignandos, secus eius administrandi munus intelligeretur revocatum, quin tamen aliquo modo laesionem paterentur eius iura super eadem capellanía tunc acquisita cum in titulum S, Ordinationis eius favore fuit constituta.

Hisce mandatis non obtemperante Sempronio, reclamationes anonymae motae sunt per quosdam oppidanos, ut videtur (qui se dicebant sodales superstites SSmi Rosarii), contra ipsum Sempronium tamquam omnia bona sibi usurpantem, quin fundos fa>-tiscentes sacrasque supellectiles reficeret et superextantes redditus redderet adversus Ordinarii Decretum.

His reclamationibus bis repetitis atque ad Ordinarium pro informatione remissis, Ordinarius inter cetera sequentes dubiorum formulas S. Congregationi dirimendas proposuit: « an erectiones factae vigore facultatum anni 1847 sint capellaniae cum obligatione tot Missarum quot sustinere possint redditus, ita ut superextantes redditus onerum fixorum cedere debeant capellae: seu potius sint Beneficia, ita ut satisfactis oneribus reliquum cedat Capellano.

Disceptatio «ynoptiea.

EA QUAE EX OFFICIO ANIMADVERSA SUNT PRO SUSTINENDIS ORDINARII DECRETIS CONTRA SEMPROMUM. Comperti iuris esse, animadvertebatur, administratores ecclesiarum atque piorum locorum administrationis rationem Ordinario reddere debere, Clementina, ***Quia contigit §. ut autem, de religiosis domibus;*** Concilium Trid. ***sess.*** 22 ***c. 9 de Refor.*** atque conformem esse constantem S. C. praxim.

Administratores vero toties ab administrationis exercitio suspendi vel removeri posse, quoties rationem reddere nolint vel in isto adimplendo munere ex negligentia aut dolo defecerint, de qua re sic inter ceteros scripsit Pignatelli ***Consult, can. tom.*** 8 ***consult.*** 17 ». 9 « Cum per S. Concilium Tridentinum ***c.*** 9 ***sess.*** 22 ***» de Ref.*** sit dispositum, quod administratores teneantur singulis

» annis reddere administrationis rationem Ordinario loci, sublatis » quibuscumque privilegiis et consuetudinibus in contrarium, se- » quitur, quod si recusaverit reddere rationes, vel dolose in ad- » ministratione se gesserint, aut neglexerint, seu aliter defecerint,)) possit Ordinarius, ex causis a iure probatis, illos ab admini- » stratione removere, alias inanis esset facultas a Concilio Ordina- » riis tributa. » Item Ferraris ***Biblioth. can.*** verbo ***Administratio.***

Ex hac ergo universali iuris praescriptione iam Sempronium rationem reddere debere, atque proinde eum nolentem rationem reddere potuisse removeri.

Sed praeterea teneri quoque ex eo, quod ab anno 1828 ad annum 1847 ipse considerari potuisset tamquam simplex administrator bonorum, quae pertinebant ad sodalitates, quum hae iuridice non essent adhuc suppressae; nec non ex eo, quod anno 1850 decretum esset, ut quisque capellanorum librum haberet in quo bona accurate describi debuissent reddituumque statum; cui S. Visitationis Decreto Sempronius non paruerat.

Sempronium autem non solum huiusmodi rationum redditionem numquam exhibuisse; sed et in suae administrationis gestione dolose sese gessisse: legem secundae erectionis pessumdasse, iuxta quam superextantes redditus in capellaniae profectum cedere debuissent: iure igitur meritoque administratione capellaniae S. Mariae Angelorum expoliatum esse et altera capellaniae administratione modo privandum.

Nihil autem officere, quod capellaniae anno 1828 in titulum S. Ordinationis cum patrimonii supplemento fuerint assignatae ; siquidem in themate dubitari posse, an legitima fuerit ipsa huius tituli constitutio, iuxta ea quae tradit Monacelli ***For. leg. in app. ad*** 1 ***part.*** scribens: « Quia ut plurimum dioeceses Beneficiis non » abundant, sed pauca vel exigui redditus habent, quaerunt saepe » Episcopi, an capellaniae perpetuae, quae ex suorum disponen- » tium legato cum sua dote et onere Missarum frequenter relin- » quuntur absque formali erectione, cum auctoritate et Decreto » Ordinarii, possint dici saltem lato sensu Beneficia, ad hoc, ut » cjuis ad illarum titulum valeat promoveri, etiam necessitate » Ecclesiae vel commoditate non concurrente. Et videtur respon- » flendum quod non ; quia hae capellaniae dicuntur legata pia et » illarum bona laicalia, ut firmavit Rota ***coram Dunozzetlo iuniori***

» ***decis.*** 101 ***n. I et*** 2. Et ratio est, quia non dantur ut ecclesia-
» stica bona ratione ministerii sacri et iuris spiritualis, sed pro
» operibus praestitis et Missis celebratis tamquam merces et sa-
» larium, ***cap. Clerici quaest.*** 3, nec requisita substantialia ad
» constituendum Beneficium ecclesiasticum concurrunt de quibus
» habes apud Gonzalez ***ad regid.*** 8, ***gloss.*** 5 ***n.*** 6 ***et seq.*** (1). »

In themate autem capellanías Sempronio collatas anno 1828, non aliud fuisse quam legata pia cum onere Missarum, quae olim sodalitatibus S. Mariae Angelorum et SSmi Rosarii relicta fuerant.

Quare nihil obstare videri, quominus administratio utriusque capellaniae Sempronio auferretur.

DEFENSIO SEMPRONIA Sempronius per suum Defensorem monebat, esse in facto compertissimum, se anno 1828 capellaniam in titulum S. Ordinationis obtinuisse: atque in hoc constituendo titulo omnia adamussim intercessisse, quae ad legitimam tituli constitutionem requirantur: quum clarissime pateret, hasce vel capellanías, vel pia legata, quorum fundationes in tenebris latent, ab Ordinariis ut proprie dictas capellanías perpetuas habitas fuisse, quae toties essent collatae quoties vacaverint : easdemque fuisse sibi collatas ***cum omnibus iuribus, honoribus et oneribus ac pertinentiis suis:*** quarum integri redditus, quum ad taxam pro congrua sustentatione non assurgerent, supplemento paterni patrimonii augeri debuerint.

Hypothesi autem facta, eas esse ad nutum amovibiles, rem eandem in themate redire: quum enim omnimoda ipsarum collatio et provisio ad Ordinarium pertineret, qui easdem in titulum S. Ordinationis adsignavit, eas perpetuas in themate fecisse, quum titulus S. Ordinationis indole sua sit perpetuus.

Contendebat praeterea, Rescriptum anno 1847 a S. C. C. subreptionis et obreptionis vitio fuisse obtentum, praesertim quod ipsemet Sempronius extaret, cuius, tamquam capellaniarum possessoris, res interesset; de quo tamen nec verbum nec volanti in supplici libello significatum esse : quae quidem si nota S. Con-

(1) Adverle tamen, haec dici potuisse, quo tempore scripsit Monacelli: sed praesertim aetate nostra,capellaniae perpetuae si adsint optime conferuntur in titulum s. Ordinationis, etiam necessitate vel commoditate ecclesiae non concurrente. De qua re videsis quae adnotavi in causa *Excardinationis, Vol.* *V* ***p HH.***

gregationi fuissent, non omnimodo Ordinarii arbitrio remissa essent: neque Decretum anno 1847 ab Ordinario latum rem mutare potuisse in praeiudicium iuris Sempronio iamdiu quaesiti.

Neque obstare silentium vel acceptationem eiusdem Decreti a Sempronio factam ; quum neque ipse potuisset sua voluntate S. Ordinationis titulum ex perpetuo temporaneum facere.

Ceterum falso laborare supposito Decretum Vicarii Generalis in S. Visitatione latum anno 1868, de onere capellanis imposito, lege novae erectionis, erogandi in bonum capellaniarum quidquid detractis oneribus superfuisset ; quandoquidem in eo Decreto nil aliud esset praescriptum, quam in bonum capellaniarum impendere fructus, qui annum 1847 praecesserant, non adhuc exactos.

His absolutis ad diluendas accusationes Defensor processit : falsum esse inqüiebat sacra utensilia fuisse destructa, templum fatiscens, altare indecorum: quod si refectione indigerent, eiusmodi reparationes non a Sempronio tantum esse faciendas, sed per contributum a possessoribus quoque aliarum capellaniarum; praesertim vero ex pio quodam legato, hac de causa relicto, cuius redditus ad scuta ta 50 annua assurgeret.

Ceterum Sempronium plures expensas sustinuisse, ut capellaniarum fundos meliores redderet, ac non semel tribunal. « adivisse, ut morosos debitores ad solvendum impelleret.

Alias vero accusationes supponere, Sempronium simplicem esse administratorem in quem incumbat onus rationem reddendi ; cum e converso, ipse esset omnium proventuum vere et proprie usufructuarius: hoc unum a Sempronio exigi posse, idest, plenam onerum satisfactionem, quibus duae capellaniae gravarentur; eiusmodi oneribus autem adamussim satisfecisse, quod et ipsi Ordinarii testati erant.

His aliisque deductis, propositum est resolvendum

Dubium

« An Decreta edita in sacris Visitationibus ab Abbatibus sub * annis 1863 et 1868 sustineantur in casu. »

RESOLUTIO. S. Congregatio Concilii, in comitiis habitis die 3 Septembris 1870 causa cognita, respondere censuit: ***Affirmative iuxta modum: modus est, quod Ordinarius deputet administratorem***

pro bonis de quibus agitur, qui, satisfactis oneribus personalibus per Sacerdotem (Sempronium) ***aliisque prout de iure, superexlantes redditus tradat eidem Sacerdoti*** (Sempronio).

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. In capellanus conferendis vel piis legatis vel quovis alio iure in fundis aut redditibus consistente, quod relictum fuerit sive cum onere Missarum sive alio pio vel ecclesiastico opere, quando canonice prout de iure conferantur, Capellanum vel Lega tarium , cui canonice titulus vel officium collatum est, ius habere ad omnia bona vel redditus, qui causa praescripti oneris relicti sunt (1).

II. Vulgati enim iuris est universale principium, ***ut ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur.***

III. Non esse confundendam collationem canonicam, prout de iure factam, cuiusvis pii legati, capellaniae vel Beneficii, cum traditione eorundem in administrationem : ea enim, quae, non constituto Capellano vel Beneficiario seu usufructuario in administrationem ex aliqua urgente vel extraordinaria causa alicui oeconomo vel administratori dantur, vacare censentur, quamquam Oeconomus vel Administrator consulat onerum satisfactioni.

IV. Onera autem legatorum, Capellaniarum vel Beneficiorum, alia esse principalia, quae directe incumbunt in Capellanum vel Beneficiarium, quorum onerum causa legata vel Beneficia conferuntur, quae ***personalia,*** ut S. Congregatio ea dixit, appellari possunt; alia esse communia quae indirecte in Capellanum vel Beneficiarium incumbunt cum legato, capellanía vel Beneficio cohaerentia, quaeque idcirco onera ***realia*** possunt appellari.

V. Onera realia consistere solere in fundorum manutentions, in titulorum reddituum conservatione, supellectilem decore, altarium ecclesiarumque refectione ad normam iuris (2).

(1) Dixi canonice *prout* **de** *iure:* namque canonica collatio proprie dicta locum habet, quando agitur de Beneficiis, quae libere per Episcopum conferuntur, vei **de** capellanus ecclesiasticis, quae Beneficia imitantur: reliqua quae pertineat ad censum legatorum piorum dici possunt lato sensu *conferri canonke,* quando in his conferendis servautur quae, sive ex institutione legatorum servanda sunt, sive ex consuetudine, sive ex quavis alia ratione; ideoque adiunxi *prout* ***de*** *iure,* quae verba omnia continent, quae servari in singulis casibus debeant.

(2) Confer causam *Reparationis ecclesiae,* quam retuli in ***Vol V pag. (¡37:*** et alteram in ***Vol.. III pag. 421;*** confer causam *Paroeciae \uVol.* ***I pag 151*** ct

VI. Colliges praeterea, a Beneficiario, Capellano, vel Legatario, qui dolose aut negligenter bona administret, vel reddere administrationis rationem Ordinario detrectet, posse auferri administrationem.

VII. Administratione tamen sublata, eidem pertinere tum redditus pro personalibus oneribus satisfaciendis, tum reliquos, qui superfuerint, satisfactis oneribus realibus atque administrationis expensis: per subtractionem enim administrationis non aufertur titulus sive legati sive Beneficii.

VIII. In themate capellanías Sempronio collatas ecclesiasticas fuisse, tum quod tales iampridem consideratae essent, nullo iure laeso, per collationis Bullas; tum quod novo Ordinarii Decreto erectae essent (1): easdemque non in administrationem , sed in titulum fuisse eidem canonice collatas.

IX. Nullam ideoque fuisse rationem, cur superflui capellaniae redditus ei denegari deberent: eo magis quod in titulum S. Ordinationis capellaniae ei collatae essent (2).

X. Neque videri Sempronium obligatum secundo erectionis Decreto, in iis quae eius ius quaesitum per Bullas primae collationis laederent.

aliam *Capellae pag. 4A9* ibidem , nec non causam *Oneris Missarum* in *Vol. IV pag. 528.*

(1) Meo quidem iudicio,,existimo Ordinarium non indiguisse Apostolica facultate ad erigendas eas capellanías prout fecit in secundo Decreto. Iam enim ea pia legata, si ita ad minimum appellari velint, ut capellaniae considerabuntur, et canonice collatae erant; omnem habebant capellaniae ecclesiasticae indolem iuxta ea quae adnotavi in *Vol. II pag. 327* et in *Vol. V pag. 560* et alibi. Desiderabatur quidem primaevum Ordinarii Decretum: sed ad quid opus erat primaevo erectionis Decreto, quando Ordinarius testabatur , legata aut capellanías, nullo laeso iure, iamdiu fuisse in plena Ordinarii potestate? Testabatur quidem idem Ordinarius , eas consucviss« dari in administrationem: sed haec consuetudo mihi videtur fuisse abusus. Non enim apparet causa cur bona destinata ad pium opus darentur non in titulum, sed per modum regulae in administrationem: hoc in potestate Ordinarii non videtur fuisse, quod, si facere vellet, facultate Apostolica indigeret.

Brat officium Ordinarii declarare, aut si ita placet, erigere novo Decreto eas Capellanías, ut certa lege conferantur, earundemque bona servarentur.

Quare mirum non est, si Rescriptum, quod anno 1847 Ordinarius a S. C. C. retulit, tam amplam ei expresserit facultatem, ut scrupulus quivis fortasse removeretur.

(2) De titulo s. Ordinationis confer causam relatam in *Vol. V pag.* / / 5 , quae aliquam partem similem habet cum praesenti facti specie.

XI. Negligentiam tamen adversus Sempronium militasse quod non faceret satis oneribus realibus rationique Ordinario reddendae.

XII. Quare subtracta administratione, satisfactis per administratorem realibus oneribus ad normam iuris, redditus, tum pro oneribus personalibus, tum qui superessent, Sempronio pertinuisse.

DECLARATIONIS RESCRIPTI

-Die 8 Septembris 1870.

Compendium fact s. Sempronio Praeposito Parocho Collegiatae Ecclesiae N. post chorale servitium per annos quadragintaduos constanter et laudabiliter praestitum, concessum fuit iubilationis Indultum sub hac consueta clausula: ***ut quamvis in posterum non inserviat, nihilominus fructus omnes et distributiones quotidianas suae Praebendae percipere valeat, perinde ac si choro et divinis officiis personaliter interesset.***

Huius rescripti causa (erat primum iubilationis exemplum in ea Collegiata), orta est controversia inter dictum Parochum ceterosque Collegiatae Canonicos, circa praefati indulti effectus; praesertim vero super natura distributionum et Missarum oneribus quibusdam.

Ad S. C. C. Praepositus confugit quatuor quaestiones proponens : 1 quaenam proprie ac realiter essent distributiones, quas ad formam Indulti ab eadem S. C. sibi concessi percipere valeret: 2 an inter quotidianas distributiones illae essent numeïandae, quae ab anniversariis perpetuis proveniunt: 3 an inter easdem distributiones comprehenderentur quae itidem proveniunt ab anniversariis adventitiis aliisque paratis Missis : 4. an Praepositus hebdomadalis servitii obligatione, ac proinde a Missis ferialibus celebrandis absolutus, teneatur congruam eleemosynam illis darie Canonicis, qui eas Missas celebrant, quas per turnum ipse canere debebat ante iubilationis Indultum : vel potius ad eosdem Canonicos haec onera pertineant: et quid de aliis Missis,

quae in omnibus anni solemnitatibus vel de adventitiis funeribus, quae a Praeposito celebrari intra annum solebant?

Pro informatione et voto rogatus Efmis Episcopus, ut, audito Capitulo in scriptis, referret de consuetudine ecclesiae collegiatae atque transmitteret particulas Constitutionum Capitularium ad rem facientes, transmisit Capituli votum, suamque opinionem his verbis significavit: « Distributiones quotidianam quae primum » respiciunt dubium, in eo Capitulo ut apparet ex eius Constitutionibus, sunt redditus qui proficiscuntur tam ex bonis stabilibus, quam ex fructibus, qui retrahuntur ex duobus molendinis frumentariis, quae bona massam communem constituunt, » et a Canonico camerario ad effectum solvendi fallentias admi » nistrantur.

» Quoad eas distributiones, quae ab anniversariis proveniunt, » sive perpetuis sive adventitiis, quae in secundo versantur du- » bio, Constitutiones capitulares ita se habent: ***In anniversariis » perpetuis, in quibus consuetae dantur eleemosynae inter prae » sentes distribuendae, nec non in illis adventitiis, sive Missis sive » solemnibus functionibus in quibus offertur eleemosyna partienda » iam pro Sacrificio, quam pro adsistentia, interesse minime te- » nentur Canonici ; ideoque absentes nulla mulctantur poena, nisi » distributionis amissione, de qua vero in utrisque anniversariis » participat Praepositus in animarum curam legitime occupatus.***

» Capitulum vero, super enunciatis dubiis in scriptis auditum, » haud renuit tribuendas in posterum Praeposito distributiones, » quae ab anniversariis perpetuis habentur, eo quod haec, ut » asserit, divinorum officiorum partem vere constituant, et quo- » tidianis adnumerentur distributionibus: eas vero ab adventitiis » provenientes anniversariis tunc eidem autumat tribuendas, cum » eo tempore, quo haec celebrantur, parochiale ipse peragat » officium.

» Hisce expositis, mentem meam aperire rogatus, haud du- » bitarem, quin Praepositus orator, qui iubilationis Indulto fuit » merito donatus, ac proinde ius habuit privilegiis omnibus ab » eodem Indulto manantibus gaudendi, praeter distributiones quo- » tidianas, quae in Rescripto indicantur, eas quoque percipere » valeat, quae ab anniversariis proveniunt perpetuis seu fixis, » cum non ipsi obstent nec capitulares constitutiones, nec Te-

» statorum ne Benefactorum voluntates, a quibus cautum mi-
» nime fuerit, ut interessentes tantum participare de illis de-
» beant, ut decrevit iste idem S. Ordo sub die 28 Novembris 1661.
» Circa vero emolumenta anniversarium adventitiorum, quae
» ut plurimum ita conceduntur, ut solis interessentibus distri-
» buantur, tunc ea percipere putarem oratorem, cum illis adsi-
» stere a parochialis muneris exercitio fuerit impeditus.

» Relate ad postremum dubium, super quo silere potius
» maluit Capitulum, quam votum expromere, oratorem haud
» teneri arbiträrer, nec per se nec per alium eas explere Mis-*
» sas, quas Celebrare adstringebatur per turnum in sua hebdo-
» mada ante iubilationis Indultum, quod resolutum pariter con-
» stat ab ista S. C. die 23 Martii 1697: idque aequitati vide-
» tur congruere, cum memoratum Indultum, quod veluti prae-
» mium quadragenarii servitii ecclesiae laudabiliter praestiti me-
» ruit orator, nonnisi beneficium ei reddere debeat, quod in eo
» maxime versatur, ut a quocumque choralis servitii onere, quo
» antea gravabatur, ex concessae iubilationis privilegio extet in
» posterum penitus exemptus.»

Animadversiones ex officio

Facta animadversione, nullo ss. Canonum iure constitutum esse privilegium iubilationis, ceu Auctores communiter tradunt; sed tamquam praemium ex consuetudine inductum, adnolatum est, iubilatum, a lege quoque residendi exemptum, praesentibus ita connumerari, ut non solum omnes illas distributiones lucretur, quas tamquam fructus ceteri Canonici lucrentur ratione servitii et laboris, ut probat Pignatell. *consult, can.* 4 *t.* 4, Moneti *de distrib. p* 2 *q.* 3 *n* 44, Pyrr. Corrad. *de dispens.* Z. 5 c. 6 *n.* 18, sed illas etiam, quae ex aliorum Canonicorum fallentiis promanant, ut ex *Spoletana et Realina, Punctalurarum,* 3 Aprilis 1841. Proposito enim in hac causa dubio: « An Canonicus Franciscus Et-
» tore participare debeat de punctaturis seu fallentiis aliorum
» Canonicorum si choro non intersit: » responsum prodiit: *affirmative, cum nihil obstet vel ex ¿tatatis, vel ex consuetudine.*

Circa emolumenta, quae ex anniversariis proveniunt, animadversum est, adesse auctores, qui Resolutionibus S. Congregationis allegatis, negcnt eiusmodi emolumenta iubilato non

interessent deberi, ut Pigliateli, *tom.* 4 *òonsult.* 224 *n.* 21, Ursaya *tom.* 3 p. 4 *disc.* 4; id tamen fortasse intelligendum de anniversariis omnino adventitiis, vel in quibus testatoris voluntas resistat (1): hanc enim distinctionem probatam esse, ceu in *Romana Iurium Canonicalium* 5 Maii 1703. Cum enim in ea dubitaretur : « An Canonico Strada, cui ex causa infirmitatis fuit » concessum indultum vacandi a choro aliisque officiis divinis, » illud etiam suffragari valeat pro Laudemus, Quindenniis, Ca» pitulis, Processionibus, ac pro quibusvis functionibus in eccle» sia peragendis, ita ut lucrari debeat omnia emolumenta cu» iusvis generis et speciei, communia nuncupata, ac etiam vi» ctualia et candelas: » responsum fuit: *affirmative etiam quoad Laudemia, exceptis anniversariis aliisque obventionibus non fixis, et in quibus diversimode fuerit a testatoribus dispositum.* Item in *Aquipendien. Indulti,* die 1 Aprilis 1719: « an idem *(iubilalus)* » participare debeat de emolumentis adventitiis anniversarium » et associationum cadaverum, si functionibus non intersit in» casu: » responsum prodiit: *affirmative ad primam partem, dummodo non obstet voluntas testatoris vel dantis ; ad secundam partem negative.* In *Novarien Iubilationis,* die 2 Octobris 1677, *Libr. Decret.* 29 *p.* 627 *et* 536: « an duo Canonici iubilati collegiatae » ecclesiae S. Gaudentii Novariae frui debeant emolumentis an» niversariorum quae fiunt intra annum, licet non assistant: » rescriptum fuit, *affirmative:* quae quidem Resolutio confirmata fuit die 28 Novembris 1681, *lib. Decr.* 32 *p.* 14, his verbis: *in decisis quoad anniversaria fixa, et in quibus non est cautum a testatoribus, ut interessentes tantum participare deberent.*

Ad celebrationem Missarum quod attinet aliaque peragenda a iubilato onera, distinguebantur ea quae peculiariter Praebendae sint adnexa a ceteris oneribus quae incumbant in universum Capitulum: si de primis oneribus agatur, teneri iubilatum ad ea explenda, ut traditur in *Praenestina distributionum* die 11 Martii et 1 Aprilis 1862 : si de ceteris agatur, eundem non teneri, idque ex multis Resolutionibus erui. Sane in *Aquipendien.*

(1) Resolutiones, quibus hi auctores innituntur, editae sunt medio saeculo decimoséptimo, quo tempore non adhuc firmata erat horum Indultorum natura, sed ea saepe pendebat ab Indulti verbis, quae modo erant ampliora, modo strictiora.

die 23 Martii 1697, *lib. Decr* 47 *p.* III, quaesitum est: « An » Canonicus iubilatus teneatur vel per se vel per alium ad ce- » lebrationem Missae conventualis per turnum: » et responsum fuit: *negative.* Item in *Senen.* die 12 Martii 1839.

Rursus in *Praenestina Dubiorum iubilationis* die 5 Septembris 1835 propositis dubiis.

«I. Utrum Canonici iubilati Terrae Cavarum teneantur ca- » nere et applicare Missas conventuales et feriales de turno in » casu : et quatenus negative :

II. » An teneantur tot alias Missas lectas ad Massam com- » munem non pertinentes applicare iuxta morem Praenestinae » Cathedralis in casu.

III. » Utrum iubilati Canonici sint censendi exempti a cele- » bratione Missae ad auroram, et ultimae circa meridiem in die- » bus festis in casu: » S. Congregatio respondit: ad I *negative:* ad II *negative:* ad III *affirmative.*

His itaque expositis proposita sunt resolvenda

Dubia

I. » An et quae distributiones debeantur iubilato in casu.

II. » An iubilatus sive per se, sive per alium explere debeat, » Missas, quas ante iubilationis Indultum celebrare adstringeba- » tur per turnum et in solemnitatibus in casu.

RESOLUTIO. S. Congregatio Concilii, causa cognita, die 3 Septembris 1870 respondere censuit:

Ad I. *Affirmative iuxta votum Emi Episcopi nisi obstet voluntas disponentis.*

Ad II. *Negative pro Missis de turno; affirmative pro his, quae taxative Archipresbytero a statutis vel consuetudine sint attributa.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Iubilationis Indulta rationem habere praemii et remunerationis retribuendae illi Beneficiario, qui iugiter, et laudabiliter cuivis peculiari ecclesiae per quadragenarium chorale servitium inservient (1).

II. Ideoque praesumptionem militare favore iubilati percipiendi omnes fructus omnesque distributiones omniaque emolu-

(1) Confer Appendicem VIII *pag.* *Í29* §. *In casu.*

menta, quae percipiunt reliqui chorales per suam praesentiam in quibusvis functionibus.

III. Eiusmodi iuris praesumptionem limitationes accipere in anniversariis fixis, si resistat disponendum voluntas: vel in functionibus omnino adventitiis, in quibus emolumenta indole sua conferenda sunt tantum actu praesentibus.

IV. In eiusmodi adventitiis functionibus maxime valere statuta capitularia vel consuetudinem.

V. Canonicum iubilatum, qui sit Capituli Dignitas vel Per^-sonatus per iubilationem non censeri exemptum ab iis peragen*-dis peculiaribus functionibus, quae taxative inhaereant Dignitati vel Personatui sive ex statutis sive ex consuetudine: sunt enim peculiaria onera, quae gravant tantum Dignitatem.

COMMUTATIONIS VOLUNTATIS

Diebus 9 Iulii et 13 Augusti 1870.

Summaria precum. Anno **1598** perillustris mulier, familiae G pertinens, testamentum condidit, quo ecclesiasticam capella-! niam instruebat in Castro P, legibus appositis, quibus, **1** iuspatronatus sibi suisque haeredibus reservari, expresse prohibens ne unquam ad eam capellaniam vocarentur, qui quovis modo vel ad familiam C pertinerent, vel originem ducerent e Castro P, aut e quolibet alio ex feudis ipsius familiae: **2** onus imponebat Missam quotidie celebrandi, quae Missae nunc ad **120** in unoquoque anno reductae sunt: **3** excipiendi fidelium confessiones: **4** christianam doctrinam diebus festivis pueris tradendi.

Imminutis capellaniae redditibus (qui fuerint ab initio latet: sed hodie vix seu tata septuaginta attingere videntur) hac fortasse de causa, cum anno **1814** nullus reperietur, qui ad tramites fundationis idoneus dici posset, capellanía collata fuit cuidam Clerico R, in Castro P nato, qui eam usque ad elapsum annum possedit. Rebus modo eodem in statu manentibus ac anno **1814,** Dux X, qui omnium iurium familiae C successor extitit, Titium Clericum nominavit, qui sextumdecimum annum

agit aetatis suae, studiisque in Seminario operam dat; sed in Castro P natus, et Presbyter non est.

His de causis Titius preces obtulit R. Pontifici, ut testatricis voluntati derogare hac in parte dignaretur: Episcopus pro informatione et voto rogatus, clericum nominatum commendans, monebat; satius esse pro necessitate et utilitate fidelium eius votis indulgere, dummodo sibi idoneum sufficeret Presbyterum regularem (deerant enim in eo oppido saeculares Presbyteri), qui omnia munera a testatrice praescripta exerceret, usquedum orator Presbyter factus ea implere posset.

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. EX officio adnotatum est, Canonem esse iuris utriusque vulgatissimum morientium voluntates ad unguem esse servandas; can. ***Ultima voluntas* i 2 *q.* 2;** 1. ***Omnium*** C. ***de testam,*** ita ut, nonnisi iusta et necessaria causa interveniente, commutatio voluntatis sit facienda; Trid.sess. **22 *c.*** 6 ***de Ref.***

In themate nihilominus iustam et necessariam causam existere videri, ut testatricis voluntati derogetur. Nullum enim inveniri, qui vellet capellaniam hanc suscipere et oneribus adnexis satisfacere, si illi excluderentur, qui Presbyteri actu non sunt et in Castro P. nati. Hanc rationem satis validam visam fuisse temporibus praeteritis, ut anno 1814 derogatio pro Clerico R locum habuerit. In praesenti eadem recurrere rerum adiuncta pro institutione Clerici Titii postulantis.

His precibus propositis die 7 Iulii 1870 **S.** Congregatio Concilii distulit responsum ad proximam Congregationem: Rescriptum enim prodiit; ***dilata ad proximam.*** Id factum est, ut ab Episcopo exquireretur, utrum pauper esset orator. Habita autem notitia de maxima Titii paupertate atque precibus repropositis in sequenti Congregatione habita die 13 Augusti 1870, S. Congregatio respondere censuit: ***Adimpletis per alium Sacerdotem ab Episcopo adprobandam capellaniae oneribus, pro gratia dispensationis et habitationis, donec tamen orator ad aetatem pro recipiendo Presbyteratu pervenerit, facto verbo cum SSmo.***

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

Voluntates pie disponendum ad unguem esse servandas, eisque, Auctoritate Apostolica, non amplius derogari, quam iusta causa exigat.

APPENDIX VIII.

DE IUBILATfONE

Tamdiu per universae Italiae ecclesias consuetudo invaluit, ut illi, qui chorali servitio sunt addicti, postquam expleverint continuum ac laudabile quadragenarium chorale servitium, a S. Sede implorent iubilationis Indultum , quo a servitio chorali eximantur: et S. Sedes, iuxta invectam consuetudinem, idem Indultum concedit.

Sed causa huius Indultorum generis, multae quaestiunculae saepe moventur, quae modo respiciunt huius consuetudinariae legis intellectionem, modo causas ea Indulta obtinendi, modo interpretationem eorumdemque extensionem.

Quare expedit ampliori quadam ratione de hoc Indultorum genere agere iuxta praxim S. Congregationis Concilii, per quam haec iubilationis Indulta obtinentur.

u Si quotidianum (ita Bened. XIV » *inoper. de Syn. dioec. I. 43 c. 9 v n. 45)* et non interruptum Chori *n* servitium communi hominum iudi- *n* cio laboriosum et grave censetur, *n* multo sane gravius atque molestius » progressu temporis visum est, nul- » lum, quoad vixeris, serviendi finem » videre, quantumvis diuturno anno- » rum curriculo cum assiduitalis et » diligentiae laude inserviveris.Equi- •*n* dem nullus est in iure canonico » textus, quo privilegium exemptio- » nis a choro concedatur Canonicis, » qui multorum annorum spatio ope- » ram suam eidem choro laudabilj- » ter praestiterunt, uti recte obser- » vat Navarras *in cons. 42 I. 3, de » Chr. non res-*. Cum tamen animarl- » versum fuerit in Mosaica lege L«- *n* vitam illum, qui a vigesimo quinto » ad quinquagesimum aetatis annum » in templo ministerium suum ac- » curate implevisset, ab omni dein- » ceps opere et labore liberum et *n* immunem declarari , ut legitur *n Numer. c. 8.* Veteranis autem mi- » litibus honestam missionem et a » belli laboribus immunitatem, ipsa » civilium legum aequitate conces- si sani) fuisse, uti colligitur, ex */. A » muneribus ff de Vae. ct excus, n mun* et ex */. /. C. de Veteran, n lib. 42.* Cumque praeterea in Con- » gregatione Concilii, non improban- di dum, sed tolerandum olim visum *v* fuerit Capituli cuiusdam statutum *v* expresse permittens, at, si quis » Canonicus per annos quadraginta » chorum laudabiliter frequentasset, » ab eius servitio deinceps, sine fru- » ctuum et distributionum iactura » abstinere posset, eaque Congre- » gationis sententia et Resolutio a feh » rec. Gregorio XIII. approbata et » confirmata fuerit, sicut videri potest » apud Gargiam *de Benef. p. 3 c. % r) §. 4 n. 244,* hinc consuetudo uni-

» versalis invaluit, ut Canonici, et alii » qui chori servitio addicti sunt, si » per annos quadraginta laudabilem •*n* illi operam impenderint, ab eodem » in posterum frequentando absol- » vantur, fructus tamen atque distri- » butiones eodem, quo antea, modo *v* percipiant. »

Super haec idem Ben. XIV, cum adhuc esset in minoribus officio fungens Secretarii S. C. Concilii, in causa cui titulus, *Dubia iubilationum,* proposita dfe 24 Septembris anno 1718, in §. *Et quod,* animadverterat, quod praxis concedendarum iubilationum penes S. C. C. inolevit etiam quoad Capitula, quorum in statutis illiusmodi privilegio stabilitum haud extet. Subinde tradidit, quod *u* praxis memorata non ab- » solute ac simpliciter sibi vindicat *9* locum, sed in hypothesi, in qua » plene doceatur de servitio praestito *r*> spatio annorum 40 et quidem cum * qualitate *contìnui et laudabilis,* uti » non solum colligitur ex formula In- » dutti, sed etiam desumitur ex Re- » scriptis huius S. Congregationis, » io quibus, vel denegata fuit iuhi- » latio, non obstante servitio anno- » rum 40, ex quo ipsum non fuerat *a* continuum et laudabile, quemad- » modum contigit in *Romana héù » lotionis* 6 Augusti 1712, *lib 62 » Decret,* vel iubilatio, quamvis con- » cessa, fuit revocata, quia ostensum «fuit servitium annorum 40 non » fuisse continuum et laudabile, ut *n* pariter contigit in *Maceraten.* IM« » *bilationis* proposita die 22 Februa- r i i 1698, et resoluta die 8 Martii » eiusdem anni,/¿¿. *48 Decretorum. »*

Quae praxis Benedicti XIV tempore inolita erat, eadem servari non desivit subsequentibus temporibus. Ubi enim primum in Secretaria S. C. C. supplices pro iubilatione obtinenda libelli exhibentur, ante omnia remittuntur Ordinario *pro informatione et voto, gui, audito Capitulo, referat de continuo ac laudabili 40 annorum expleto chori servitio.* Posteaquam vero Ordinarii responsio pervenerit, constiteritqufc de conditionibus enunciatis, iubilatio conceditur cum ea, quae sequitur, formula: « *S. Congregatio benigne commisit Episcopo... ut, veris existentibus narralis, constitoque prius sibi, quod Orator per 40 annos supradictae cathedrali ecclesiae continuo ac laudabiliter inservient, pro suo arbitrio et conscientia* (1), *illi gratis indulgeat, ut quamvis m*

(i) Qui legat eiusmodi Rescripti formulam, vel alias similibus verbis conceptas, quique iuridicam praxim Romanae Curiae non noscat, existimare facile posset rem totam esse, remissam arbitrio Ordinarii ita, ut ipse inquirere debeat, et pro libito iubilationem concedere. E converso ob eiusmodi Rescriptorum formulas, quamquam res videatur pleno arbitrio Ordinarii commissa, Ordinarius facere non potest quominus Rescriptum exsequatur, excepto casu, in quo noscat, per subreptionem vel obreptionem',-Rescriptum illud fuisse obtentum, iuxta normas quas tradidit Innocentius IH *cap 20 de Rescriptis.* Hoc enim in casu exequi He-

posterum non inserviat, nihilominus fructus omnes et distributiones quotidianas sui Canonicatus percipere valeat perinde ac si choro et officiis divinis personaliter interesset. »

Ut autem constet de conditionibus superius enunciatis S. Congregatio satis non habet, si Ordinarius supplici oratorum libello propitium sese ostendat: namque S. C, testimonium Capituli praeterea requirit super continuo et laudabili oratorum chorali servitio: neque sufficeret solius Archivistae fides, aut alterius de Capitulo seorsim considerati; neque fides quidem Secretarii si eandem fidem nomine Capituli rite congregati non relaxet.

Testimonium eiusmodi a Capitulo perhibendum emergere debet ex accurata inquisitione et examine libri punctaturarum, fallenliarum, dis-

scriptum pro sua conscientia non posset: et iterum rem S. Congregationi referre deberet, quae, novo constituto examine, aut, Rescriptum revocat, aut si de obreplione vel subreplione non satis constet, illud confirmat. Confer quae scripsi in *Vol. IH pag 524 et 3 * 8 in notis* Consuli quoque potest in Thesauro S. C C. causa *Piacentina Institutionis,* diei 24 Augusti 1850.

Ad rem faciunt quae scripsit Emus Card. Bizzarri in *Collectanea in usum S.C. Ep et Reg. pag. 666.* « S. Congregatio sub triplici forma solet Rescripta expedire: » 1" in forma ut aiunt *gratiosa;* raro tamen et in aliquibus casibus tantum Haec » forma locum habet, quando gratia directe conceditur sine ulla commissione pro » exsecutione; ex.gr *S. Congregatio petitam gratiam Oratori benigne impertita » est.* 2" In forma *absolute commissaria,* si S. Congregatio gratiae concessionem » remittat omnino arbitrio et conscientiae exsecutoris; ex. gr. *S Congregatio » oratoris preces remisit arbitrio et conscientiae Jipiscopi cum facultatibus neces, •» sartis ei opportunis.* In hoc casu concessio gratiae dependet ab arbitrio Epi- » scopi, qui eam potest vel concedere vel denegare, prout in Domino iudicaverit. » 3* In forma *mixta,* nempe S. Congregatio annuit pro 'gratia, eam tamen abso- » Iute non concedit, sed committit exsecutori, tit inquirat, an preces veritate ni- » tantur; ex.gr *S. Congregatio benigne annuit et propterea mandavit committi » Episcopo, ut, veris existentibus narratis, Oratori petitam gratiam pro suo arbi- » trio et conscientia concedat.* Iuxta hanc Rescripti formam exsecutor non potes- » pro suo libito gratiam concedere vel denegare; sed si prudenti suo arbitrio » idest iudicio, et conscientia iudicaverit vera esse, quae narrata sunt, Rescri- » pium exsecutioni demandare debet; secus exsecutionem denegare tenetur, *k"* AIi- » quando deputat exsecutorem, qui *merus* dicitur. Is paries iudicis non assumit, » ut *mixtus,* nec agnoscit de subreptione; sed si evidentem subreptionem ad- » vertat nude tantum ab exsecutione se abstinet: talis est exsecutor hac Rescripti » formula deputatus : *S. Congregatio, re diligenter perpensa, benigne annuit, ac » propterea mandavit commini Episcopo, ut petitam gratiam oratori concedat.* » Unde patet, mero exsecutori committi nudum seu merum exercitium exsecu- » Monis absque exercitio iurisdictionis. Quae de Episcopo exsecutore dicta sunt » ad alios etiam exsecutores extendi debent, eaque conformia sunt iuri prout » tradunt Pirbing in *Ius can. I. i. lit. 5 de Rescriptis n. 128.* Card. Petra *ad Const. » Pauli II sect. 5* n. 51, *58 et* 59. etc.«

tributionum, seu quocumque alio nomine nuncupetur. Si ex illo colligitur, oratorem numquam, absque canonica causa, toto 40 annorum spatio defuisse, eius servitium et diligens et continuum habetur, ideoque iubilationis Indulto locus facillime fit. Sin vero aliter se res habeat, in unum colligi et cumulari debent singulae in omnes horas fallentiae seu puncta negligentiae, quae ab oratore in decursu 40 annorum admissae fuerint, ut ex totali hoc punctorum numero cognosci possit, quantum servitii adhuc deficiat, ut laudabiliter et continuo per 40 annos completum dici possit.

Si fallentiarum liber non extet sive quia deperditus, sive quia forte nunquam confectus fuerit (quamvis omnia Capitula, si suo fungi velint officio, facere nequeant, quin habeant, ac diligenter asservent), tum ad continuum ac laudabile servitium comprobandum confugium haberi debet ad argumenta aequipollentia, qualia sunt testimonia Canonicorum, aetate provectiorum, aliorumque de ecclesia hominum, qui omni fide digni sint, quique ea de re sese memoriam ac scientiam servare testentur.

Quod si argumenta isthaec non undequaque suppetant, tunc datur locus praesumptionibus, ut in *Brictinorien.* 20 Decembris 1823 *per summaria precum* apud Gamberini §. *Constare;* item in *Sutrina,* 21 Februarii 1824 *ibid. §. Archipresbyter,* nec non in *Civitatis Castellana**, 17 Sept. 1841 §. *Primo.* Quibus in causis etsi intervenisset defectus dictae probationis, oratores tamen Indultum iubilationis obtinuerunt.

Dixi, quod si quando Orator utcumque negligens deprehensus fuerit, totalis cumuletur fallentiarum numerus, ut quod adhuc deficit innotescat. Hoc in casu S. Congregatio solita est rescribere: *expleto cuadragenario laudabili servitio recurrat;* ut in *Beneventana,* 3 Septembris 1825 proposita *per summaria precum:* item in *Sutrina,* 22 Septembris 1855, in qua Canonicus N. Canonicatum adeptus fuerat die 12 Aprilis 1802, et anno 1852 iubilationem efflagitavit, et S. C. respondit; *recurrat expleto quadragenario servitio et compensatis fallentiis,* quas numero plures eum debere constabat. Enixius deinde instante oratore, supplex libellus in plena Congregatione repropositus est. At Emis Patribus visum fuit, fallentias nondum ad integrum compensatas fuisse, ideoque Rescriptum prodiit: *pro gratia iubilationis post Reges* (1), idest post Festum Epiphaniae sequentis anni 1856; et ita passim.

In hac materia iubilationum peculiarem attentionem meretur allegata superius causa, quae inseribi-

li) Videsis quae de eiusmodi formulis, quibus differtur Resolutio, adnotavi in *Yol. III. pag .AU.*

tur, *Dubia Iubilatìonum*, coram S.C. primo proposita die 24 Septembris 1718, atque resoluta die 17 Decembris eiusdem anni: in ea enim ex officio plures quaestiones propositae fuerunt, quarum Resolutiones pro norma S. Congregationis habendae essent. Expedit haec dubia eorumdemque Resolutiones heic exponere.

I. *u* An indulgenda sit iubilatio Canonicis et Beneficiatis, qui spatio annorum 40 ecclesiis inservierunt, licet dicto temporis spatio cum debitis licentiis et Indultis abfuerint ab ecclesiis vel ex causa infirmitatis vel ex causa studiorum, vel pro suo ecclesiae servitio, vel ratione munerum, pro quibus obtinuerunt Indulta abessendi pro diebus et horis, vel Indulta simpliciter et absolute abessendi ab ecclesia durante officio ipsis commisso.

II. » An indulgenda sit iubilatio illis, qui inservierunt spatio annorum 40, sed partim in una ecclesia, partim in alia, aut tamquam Canonici in ambabus, aut tamquam Beneficiati in una et Canonici in alia: nec non illis, qui in una et eadem ecclesia per totum tempus inservierunt, sed partim tamquam Clerici Beneficiati, partim tamquam Beneficiati, et aliquando partim tamquam Beneficiati partim tamquam Canonici, vel partim tamquam Coadiutores et partim tamquam Principales et Titulares.

III » An indulgenda sit iubilatio illis, qui inservierunt spatio annorum 40, non obstante parvo numero aliorum, qui remanent addicti ecclesiae servitio; et quis sit parvus numerus inservientium in casu et ad effectum de quo agitur?

IV » An, non obstante iubilationis Indulto, iubilatus cogi possit ad inserviendum, si Divinus cultus detrimentum patiatur

V » An, obstante iubilationis Indulto , iubilatus teneatur ad residendum, licet non teneatur ad interessendum. »

S. Congregatio die dicta respondit:

Ad I. *Affirmative, quoad absentes ex causa infirmitatis cum debitis licentiis et Indultis, vel pro suae Ecclesiae servitio, vel cum Indultis ahsendi pro diebus et horis; negative autem quoad absentes ex causa studiorum et quoad habentes Indulta simpliciter et absolute absendi ab ecclesia, durante officio ipsis commisso.*

Ad II. *Negative ad primam partem; affirmative ad- secundam.*

Ad III. *Dabitur Resolutio in casibus particularibus.*

Ad IV. *Affirmative.*

Ad V. *Negative iuxta Decreta.* Videlicet iuxta Decretum editum in quadam causa *S. Angeli in Vado* die 15 Aprilis 1690 *lib. 4 Decretorum pag.* 256, et in alia causa *Patavina* die 9 Iunii 1714 *lib. 64 Decret, pag.* 217, in quibus iubilatum nec ad interessendum nec ad residendum in Beneficii loco teneri firmatum fuerat.

Sed praeter huiusmodi praecipuas controversias ex officio propositas atque resolutas, aliae ut assolet, deinde subortae sunt et in peculiaribus casibus definitae.

Interdum accidit, ut ecclesiae cathedrales vel collegiatae propter vim maiorem, cui resisti non possit, clausae manere debeant: sic ex. gr. hoc ineunte saeculo plurimae ecclesiae ob politicas vicissitudines clausae extiterunt *usque* dum, pace ecclesiae restituta, eaedem publico cultui apertae non sunt: hoc intervallum luctuosi temporis ad effectum consequendae iubilationis utile existimasse S. Congregatio visa est in *Montisfalisci Iubilationis,* die 14 Iunii 1817 et in *Firmana lubil.,* 9 Aprilis 1853.

In *Militen. Iubilationis,* die 18 Augusti 1804, agebatur de ecclesia, quae terraemotu quassata, aliquo tempore clausa est, ut refici posset. Eedintegrato chori servitio, quidam ex Canonicis, qui cum aliis servitium hoc resumpserat, aliquanto post quadragenarium annum attigit ex quo Canonicatum fuerat adeptus: a S. C. postulavit iubilationis Indultum etiamsi in quadragenario illo spatio, tempus, quo ecclesia non patuit, comprehenderetur. S.Congregatio Indultum concedendum esse resolvit, addita tamen clausula, *in casu de quo agitur:* ex qua peculiari clausu> la, vix deduci potest, pro consequenda iubilatione tempus posse suffragari , quo ecclesiae obserantur, ut earumdem restaurationi fiat locus.

Canonici iuxta Concilii Tridentini veniam trimestribus in singulos annos vacationibus perfruunlur,aut, quod in idem ferme recidit, pluribus in locis alternis hebdomadis choro inserviunt. Quaeri itaque posset, an absentiae tempus in duobus hisce casibus contra iubilandurn imputan debeat.

At huiusmodi controversiam dirimit quotidiana experientia, quae tempus huiusce absentiae utpote a iure permissae subduci non solere docet, ac aperte traditur in Folio causae *Praenestinae lubil.* die 17 Decembris 1808 §. *Cum Orator, et Narnien.* 27 Iunii 1857 §. *Hisce.*

Quid autem si servitium chorale in festis diebus tantummodo persolvatur ceu fit in pluribus collegiatis ecclesiis? Iubilationem nihilominus concedi solere demonstrat tum praxis S. Congregationis, tum speciatim Resolutio in *Montisfalisci lubil.* 6 Decembr. 1794, in qua agebatur de causa Collegiatae Gradularurn ubi chorale pensum ad festos dies tantummodo coercetur. In ea porro causa multae a Capitulo ipsoque Ordinario difficultates obiiciebantur, quas inter servitium ad dies festos tantummodo coercitum: attamen S.Congregatio, re expensa rescripsit: iubilationem concedendam esse iuxta Resolutionem ad dubium IV in causa *Dubia Iubilationum* anni 1718.

In Firmana lubil. die .13 Septembris 18f>2 per *summaria precum* proposita agebatur de quodam Canonico, qui laudabiliter per an-

nos 32 choro inservierat: postmodum gravi diutinoque morbo divexatus fuerat usque ad annum ab adepto Canon icatu quadragesimum. Hic iubilationis Indultum postulabat. S. Congregatio iubilationem minime concedendam edixit, ac potius Indultum abessendi a choro, durante infirma valetudine, elargita est.

In hac materia iubilationis nihil frequentius occurrit, quam disquisitio, an iubilatus teneatur sive per se, sive per alium, ac proprio sumptu, canere et applicare Missam conventualem aliasque Missas, aliave onera in Capitulum incumbentia adimplere. Iamvero regula generalis stabiliri potest, Canonicum Iubilatum ad praedictas obligationes persolvondas non teneri.

Item quaeri solet, an iubilatus admittendus sit ad lucrandas distributiones nedum ordinarias, sed etiam extraordinarias, quae proveniunt ex fallentiis absentium, ex anniversariis, funeribus, associationibus aliisque adventitiis sacri sanctionibus.Si agatur de fallentiis et anniversariis aliisque functionibus perpetuis ac fixis, pro parte affirmativa standum est, dummodo voluntas disponentis non obstet: si véro agatur de functionibus omnino adventitiis, incertis ac prorsus extraordinariis, negativae sententiae generatim inhaerotidum est: emolumenta enim inde proficisci otia videntur a Benefactoribus tradi tantum actu praesentibus. Eiusmodi Regulae multis innituntur Resola» tionibusaS. C. passim editis. Consuli nominatim potest causa *Lucana Exemptionis* diei 30 Ianuarii 1838, quae per extensum excribitur a cl. Angelo Lucidi in opere *De visitatione ss. Liminum, vol. III pag.* ķ5> *et seqq.* Ibi porro ad §. *Ceterum n. %9* ita traditur: *u* Ceterum seclusis start tutis vel consuetudine, ex allegatis Resolutionibus *(quae plena mari m in antecessum allatae fuerant)* » inferri posse videtur, hanc fuisse » S. Congregationis disciplinam , ut » nimirum Canonicos iubilatos exem» pios putaverit a celebratione et » applicatione Missarum Conventua» lium vel Capitularium sive per se *n* sive per alium. Quoad emolumen» ta autem, participes eos faciendos *n* existimaverit emolumentorum pro» venientium ex anniversariis fixis, » nisi aliter caverint testatores; dene» gaverit vero eisdem portionem erno*n* lumentorum proficiscendum ex fürt ncralibus et anniversariis incertis *n* et ex aliis extraordinariis ac incer*V* t is pariter functionibus. »

Haec confirmationem accipiunt ex responsione ad dubia ibidem proposita, quae ita se habebant.

I *u* An et ex qua distributionum *n* quota detrahenda sit eleemosyna » pro Missis conventualibus, quarum *n* applicatio Canonico iubilato per » turnum incumberet in casu.

II *n* An praedicta eleemosyna as*n* signari debeat ad rationem taxae *v* synodalis, seu potius taxae a €api» tuio constitutae in casu.

III » An Canonico iubilato, licet »•noi's intervenienti, debeatur portio

» emolumentorum provenientium ex » associatione cadaverum et ex re- » spectivis funeralibus in casu.

IV » An debeatur portio emolu- » mentorum provenientium ab an- » niversariis fixis in casu.

V » An debeatur portio emolu- » mentorum provenientium ab anni- si versariis incertis et extraordinariis » in casu.

VI *v* An debeatur portio emolu- •*n* mentorum provenientium ex Mis- *n* sis cantatis-adventitiis, quae occa- » sione festorum ad Benefactorum » petitionem celebrantur a Capitulo in » ecclesiis civitatis et territorii in » casu.

Quibus S. Congregatio respondit die dicta.

Ad I *Deducta prius integra quota quotidianarum distributionum Canonico iubilato debita, ex reliquo detrahendam esse eleemosynam pro Missa conventuali.*

Ad II *Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.*

Ad III *Negative in omnibus.*

Ad IV *Affirmative dummodo non obstet voluntas testatorum.*

Ad V et VI *Negative.*

Praeter onera, quae Canonicis aliisque Beneficialis chori servitio obstrictis insunt, quaeque omnibus communia sunt ratione chori, unaquaeque Praebenda, ut plurimum, alia specialia onera habet adnexa a fundatoribus, qualia sunt ex. gr. celebrationes Missarum pro suffragio fundatorum. Iamvero nullum dubium est, ad huiusmodi onera iubilationis ^ beneficium non extendi, quae proinde fideliter, ut antea, adimpleri debeant durante itidem iubilatione, ceu traditur in *Constantien. Iubilationis* die 4 Maii 1737 § *Ceterum,* in *Montisfalisci Iubil.* 10 Septembris 1853, in qua S. C. noluit comprehendi satisfactionem quarumdam Missarum praescriptam ex peculiari legato in rurali aedicula celebrandarum: de eadem re consuli possunt causae *Civitatis Castellanae,* die 15 Iulii 1820, *Pistorien.* 7 Aug. 1773 *§ Iubilationis,* ubi allegatur *Praenestina Distributionum* 11 Martii et 1 Aprilis 1662.

Non raro contingit, ut Canonicatui adnexa sit cura animarum. Quo in casu S. Congregatio iubilationem post laudabile 40 annorum servitium elargitur quoad chori servitium dumtaxat: namque iubilatio ad unos Béneficiâtes quoad chori servitium coercetur neque ad Parochos aliosve Ecclesiarum Rectores vel Episcopos porrigitur.

Quid autem si Canonicatui adnexa sit obligatio coadiuvandi Parochum in cura animarum, proni non raro accidit in Collegiatis? S. Congregatio in *Spoletana* 24 Novembris 1770 uni ex quatuor Mansionariis Parochum adiuvandi onere gravatis, Indultum iubilationis concedi iussit, deletis conditionibus a Capitulo impositis, quas inter ea numerabatur, quae «suppetias Parocho ferendas respicit. Idipsum accidit in allegata *Montisfalisci* diei 10 Septembris 1853. Nihilominus eadem

S Congregatio in alia *Montisfalisci* iubilationem coercuit ad servitium chorale dumtaxat. Notandum tamen, quod Canonicatui speciali modo onus inhaerebat adiuvandi Parochum, ita ut alii Canonici concurrere non de« berent, nisi quum Parochus principalis et alter Canonicus, de quo agimus, aliter impediti forent.

De Praebendis, quibus dignitas adnexa est vel aliqua honorificentia ob quam Praebendatus ad aliquas solemnes chorales fnnctiones adstringatur, per iubilationis Indultum ab hisce non solvitur ut vidimus superius in causa *Declarationis Rescripti* die 3 Septembris 1870 *pag. 418.*

Hic tamen casus non est confundenda cum alio in quadam causa *Ariminen:* die 3 Martii 1855, in qua agebatur de quodam Mansionario, cui officium erat iniunctum Magisterii cantus in choro. Alii sex Mansionarii in choro recensebantur, qui canendi onus perferre debebant. Quamvis Episcopus animadvertisset, ob idem officium Magistro Cantus quoddam emolumentum supra ceteros inesse, atque eius absentiam, si alius eius vices non suppleret pro cantus directione, chorali servitio ac dignitati detrimentum afferre posse: attamen S. Congregatio iubilationem concedi decrevit *cum perceptione integri emolumenti Magistro cantus debiti.*

Disciplinam hoc Indulto donandi Beneficiato» quadragenario annorum servitio cum laude defunctos a Gregorio XIII confirmatam fuisse vidimus, in casu, quo statutum capitulare huiusmodi Beneficiatos, licet absentes, suis fructibus gaudere debere decreverat. Quid vero fiet si e converso statutum capitulare hoc genus exemptionum prohibuerit, et Beneficiati ex praescripto suarum Constitutionum sese servaturos iureiurando adpromiserint? Istiusmodi controversia disceptata fuit a S. C. C. in *Gerunden, lubil.* 11 Februarii, 1772 et confirmata die 2 Maii eiusdem anni, nec non in *Caurien. Indulti* 30 Martii 1805. In *Gerunden,* dubia proposita sunt:

I « An obstent statuta ecclesiae » cathedralis Gerundensis anni 1536 » ac 1537 et respective illorum iu- » ramentum ad effectum obtinendi *v* iubilationem, ita ut sit consulen— » dum SSmo pro absolutione ad » cautelam in casu.

II » An sit concedendum Indultum iubilationis in casu.»

S. C. respondit: ad *I.Negative, et non indigere.* Ad II *aßrmative.*

Caurien., eadem dubitandi formula proposita, eadem responsione dimissa fuit.

In causa superius allegata quae inscribitur *Dubia Iubilationum* die 17 Decembris 1718, in responsione ad dubium II S. C. resolverat, Beneficiatos, qui chorale servitium partim in una ecclesia partim in alia compleverint pro 40 annos, gaudere non debere Indulto iubilationis. Hunc rigorem posterius invecta praxis emollivit: namque multis Resolutionibus statutum est, quod si quis Beneficia-

las chorali servitio per annos 40 defunctus cum laude fuerit, nedum in ecclesiis eiusdem civitatis vel oppidi, sed eliam in ecclesiis eiusdem dioecesis, iubilationis gratiam promercri possit. De hac re consuli potest *Perusina* 8 Apr. 1784, *Recanatesi.* 23 Nov. 1805, *Verulana,* 17 Sept. 1842. Neque obstaret, si quis difforme servitium praestitisset, ex. gr. partim uti Capellanus seu Mansionarii vel Beneficiarius, partim uti Canonicus, ut in *Romana* 12 Decerni). 1699 quae allegatur in *Derthonen.* 14 Maii 1768. Hinc quando ex informatione Episcopi et testimonio respectivorum Capitulorum de laudabili ac assiduo 40 annorum emenso chori servitio constet, iubilationem S. Congregatio indulgere non dubitat.

Si autem agatur de servitio in diversis dioecesibus praestito S. Congregatio iubilationem denegat. Adsunt tamen rarissimi casus, quibus Summus Pontifex ex speciali et extraordinaria gratia servitium in diversis dioecesibus praestitum coniunxerit et ad effectum indulgendae iubilationis valere concesserit.

Saepe inveniuntur Capitula , in quibus instituti sunt aliqui officiales vario nomine nuncupati, ut Mansionarii, Clerici, qui chori servitio sunt addicti ; et officia eisdem imposita sunt ad nulum emovibilia nec veri Beneficiarii qualitate potiuntur. Non aro fit, ut huiusmodi Officiales, postquam aliquot annis choro operam dederint, ad choralia Beneficia in eadem ecclesia evehantur, ei nihilominus continuent computare servitium donec post annos 40 Indultum iubilationis a S. Congregationis expostulent.Sed certissima eaque constans est S. Congregat., disciplina, ut servitium in choro praestitum cum qualitate alia, quam ex vero Beneficio in titulum perpetuum coilato derivante, considerare non soleat, causa elargiendac iubilationis; qua de re consuli potest causa *Romana* diei 18 Decembris 1847.

in dubio III ad causam superius allegatam, *Dubia Iubilationum,* quaerebatur, an iubilatio indulgenda sit, licet parvus in choro reliquus sit choralium numerus: et S. C. rescripsit: *dabitur Resolutio* m *casibus particularibus*. Hinc est, ut hac in controversia, diversae pro casuum diversitate declarationes a S.C. prodierint ; quandoquidem cum non unus idemque sit omnium ecclesiarum status, illud sequitur, ut quod in una ecclesia certus quidam numerus satis esse ad cultum divinum agnoscitur, non sufficere in alia censeatur ; de hac re consuli potest causa *Praenestina^* die 27 Maii 1784, et *Civitatis Castellanae,* 15 Iulii 1820, quibus afferuntur exempla, ut, non obstante parvo, qui relinquebatur, numero, S. Congregatio iubilationem concessit. At vero in eiusmodi casibus in Rescripto iubilationis addi solet clausula: *cum facultate tamen revocandi ad servitium, quatenus divinus cultus detrimentum patiatur.* Quae quidem clausula semper subintelligitur, licet

non exprimeretur. Namque in potestate Ordinarii est revocare ad servitium chorale iubilatos in casu urgentis necessitatis, ne servitium divinum grave detrimentum patiatur.

In responsione ad Dubium II in allegata causa *Dubia lubtl.* statutum est, ut servitium ab aliquo Beneficiario praestitum, partim in qualitate Coadiutoris, partim Titularis suffragari posset ad effectum consequendae iubilationis. Aliquibus abhinc annis casus evenit plane rarus, ut quidam Iosephus Bianchi Canonicus Coadiutor in ecclesia S. Mariae Transtiberini almae Urbis, Coadiutum suum superstitem nactus fuerit usque ad duos et quadraginta annos post aditam Coadiutoriam. Namque Coadiutor cum pensione scutat. 40, quotannis a Coadiuto persolvenda, nominatus fuit die 17 Februarii 1780 et anno 1822 S. C. adivit, ut iubilatione donaretur. Sedulo discussus fuit hic articulus, et propositis Dubiis: I «Aa *v* Canonico Coadiutori, vivente adhuc *n* Coadiuto, concedendum sit Indul- ti tum iubilationis in casu. II An » constet de continuo et laudabili 40 » annorum servitio Canonici Bianchi, » ita ut sit ei concedendum Indul- » tum iubilationis in casu: » S. Congregatio die 30 Martii 1822 respondit: Ad I *Negative:* ad II *Attentis peculiaribus circumstantiis supplicandum SSmo pro gratia eius iubilationis.*

Non est rarum, quod aliquis Beneficiatus rude iam donatus aliud Beneficium chorale assequatur: quaeri itaque potest, an Indultum pro primo Beneficio obtentum pro secundo etiam suffragetur? Qua super quaestione afferam diversos casus, qui reapse evenerunt. In *Fulginaten.* 22 Nov. 1689, quidam Canonicus Decanus iampridem iubilatus Prioraturn consecutus est : S. Congregationem sciscitatus est, an prius Indultum sibi suffragantur etiam respectu ad Prioraturn, et S. Congregatio responsum affirmativum edidit.

In *Senen.* 16 Martii 1726, quidam Fabius post septem annos a iubilatione obtenta in Metropolitana Senarum ad Decanatus dignitatem evectus est. S. Congregatio hac etiam in causa primum Indultum eidem suffragari edixit; adiecit tantum, ut inserviret in festis solemnioribus, quibus diebus Decani praesentia in choro desiderabatur: quod est iuxta Regulas quas superius indicavi.

In *Recanaten.* proposita die 29 Martii 1817 et resoluta die 29 Novemb. eius anni, quidam Rossi iam iubilatus Arohidiaconatum obtinuit, et in Bulla provisionis additum est Decretum cassationis Indulti iubilationis: ipse tamen, pluribus in casu rationibus concurrentibus, expostulare iubilationem non dubitavit: et S. Congregatio respondit: *attentis peculiaribus circumstantiis consulendum SSmo pro gratia, exclusis tamen functionibus , si quae sint, peculiariter Archidiaconatui addictis.*

Hisce tribus casibus agebatur do novo Canonicatu obtento in eadem ecclesia. De diversa ecclesia recens

in Urbe habemus exemplum , quo Dominicus Borghi, vir pietatis laude conspicuus, iampridem Canonicus in perinsigni Basilica S.Laurentii in Damaso et iubilatus, ex munificentia SSmi D. N. Canonicus S. Mariae Maioris renunciatus est; ideoque iubilatio iam accepta, an adhuc valeret quaesivit: quoniam autem animadvcrteretur, non de eadem agi ecclesia (I) prout eveniebat in tribus memoratis casibus, ad omnem removendam difficultatem gratiam prout ex integro eiflagitavit. Re delata ad SSmum Patrem , post acceptam relationem Emi Archipresbyteri et Capituli Liberiani, in audientia diei 17 Augusti 1868 SSmus rescribi mandavit: *pro gratia Iubilationis iuxta petita, et in reliquis cum solitis clausulis.*

Antequam finis huic articulo imponatur, moneri debet, ultimis hisce annis in eiusmodi Indultis elargiendis S. Congregationem manum quodammodo contraxisse. In comperto enim est, in politicis subversionibus, quae per haec tempora nedum civiles, sed et maxime ecclesiasticas res susdeque verterunt, Capitula, ubique fere, ita numero Canonicorum aliorumque choralium imminuta fuisse, ut vix et ne vix quidem divinae psalmodiae adimplendae sufficiant. Quae quidem res si perseverarent, in causa esse possent, ut eiusmodi consuetudo donandi iubilationem in Italia quoque tandem cessaret: et loco indulgendi iubilationem, Indultum causa infirmitatis concedatur, ut fieri solet in reliquis nationibus, in quibus consuetudo donandi iubilationem non viguerit aut cessaverit. Indultum enim iubilationis differt ab Indulto causa infirmitatis, quod illud habet praemii et remunerationis rationem; hoc autem ob senescentem aetatem et alias infirmae valetudinis causas conceditur, neque amplius protenditur praeter id quod infirmitas fere exigat. Recole, si placet, quae de horum Indultorum natura pro re nata in his ephemeridibus scripsi.

Speramus potius fore, ut cessantibus infirmitatis causis, ceterae Nationes cum Italia tandem iubilent.

(1) Est aliquatenus durum, ut ea ecclesia Beneficiarium remuneran debeat, cui ipse nunquam inservivit: et est contra ius, quamquam postea emollitum, quod firmatum fuerat in Responsione ad dubium II in causa saepe citata *Dubia Jubilationum;* ideoque specialis gratia hoc in casu necessaria esse videtur.

IX *I* MMttUTIOII S, (11KOÜ1SITIONIS.

SUPER CONSTITUTIONE *APOSTOLICAE SEDIS*

INSTRUCTIO

ad quaesita Ordinarii N.

« Ad Supremam hanc Congregationem nonnulla dubia delata sunt ab Amplitudine Tua proposita, quibus Feria IV die 15 Iunii labentis anni 1870 ita responsum est.

» ***In quarto dubio,*** plura a Te congesta sunt. Et primo quidem anxium Te exhibebas circa magistratus catholicos et Gubernii servos, qui immunitatem asyli ecclesiastici violant, veritus nimirum ne omnes excommunicationi subiaceant, quae in Constitutione- ***Apostolicae Sedis,*** **12** Octobris **1869,** est quinta inter excommunicationes latae sententiae R. Pontifici reservatas eaque est tenoris sequentis:— Immunitatem asyli ecclesiastici violare iubentes aut ausu temerario violantes —. Qua Te anxietate ut eximerent Emi Patres, audito etiam SSmi oraculo, monitum Te voluere in ea formula verba, ***ausu temerario,*** utrumque membrum complecti **(1).** Ex quo intelligas eum tantum excommunicationem incurrere, qui ab aliis minime coactus, prudens ac sciens immunitatem asyli ecclesiastici aut violare iubet, aut exequendo violat, quem porro utpote omnis excusationis èxpertem excommunicationi subiacere mirum esse non debet.

» Deinde similem aperiebas sollicitudinem quoad eosdem Magistratus et Gubernii servos ***trahentes clericos ad suum tribunal propter violationem legis civilis sive*** alio modo, quos omnes timebas* excommunicatione esse irretitos quae in dicta Constitutione, ***Apostolicae Sedis,*** est septima inter excommunicationes iatae sententiae R. Pontifici speciali modo reservatas. Sed in ea

(1) **En nciatus articulus in Constilutione,** *Apostolicae Sedis,* **ita legendus est: « Immunitatem asyli ecclesiastici » ausu temerario violare iubentes aut «violantes.»**

formuÄa attendere debes verbum ***cogentes,*** quod sane indicat, excommunicationem eos **non** attingere, qui subordinati sint, etiamsi iudices fuerint, sed **in** eos tantum esse latam, qui a nemine coacti vel talia vel alios ad agendum cogunt, quos etiam indulgentiam nullam mereri facile perspicies.

» Mirum autem visum est, quod tertio loco de iisdem censuris addebas, ***an revera excommunicationem incurrunt illi, qui vix ideam habent legum a longo tempore obsoletarum sive in Anglia sive in Gallia.*** Agitur enim de Constitutione, ***Apostolicae Sedis,*** quae **non** a longo tempore, sed die **12** Octobris anno 1869 edita est, et **in** qua Summus Pontifex expresse monet censuras omnes, quae **in** ea -continentur, — **non** modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac nostra Constitutione conveniunt, verum etiam ex hac ipsa Constitutione Nostra, **non** secus ac si primum editae ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere —. Non igitur adeo recentis legis, regulariter loquendo, ignorantia obtendi potest, cum fuerit ea Constitutio et pro tota Ecclesia **in** Urbe promulgata, et ad omnes Ecclesiae partes reapse propagata et ubique iam celebretur.

» Quarto loco quaerebas, an **ii** qui praedictas censuras incurrerunt, admonendi sint, quod porro minime constabat, utrum de interno an de externo foro quaereres. Sed **si** de interno res est, licet Theologi doceant, aliquando (hoc est debitis factis exceptionibus, de quibus iidem agunt) dissimulat cum poenitente posse, cum duo haec simul concurrunt, bona fides et indubia praevisio, nullum ex admonitione fructum perceptum **iri:** heic tamen apertum est, sive **ob** personarum qualitatem, quae excommunicationi subiiciuntur, sive **ob** qualitatem Constitutionis eamdem censuram inferen tis, quae recentissima est ac plane notoria, difficile dari posse bonam fidem quae admonitionem omitti posse suadeat. Quod si de externo foro sermo sit, distinguendum grit inter pastoralem admonitionem ac iudicialem sententiam, qua reum, de quo agitur, excommunicationem incurrisse declaratur. Sententiam hanc declaratoriam, utrum ferri expediat definiri generatim **non** potest, sed facti personarumque circumstantiis sedulo expensis dignosci debet. Ad pastoralem vero admonitionem quod attinet, quid Theologi doceant probe nosti, qui, **si** deficiente probabili spe emendationis ac fructus, prudentiaque metu gravioris

cuiuspiam mali concurrente, differri admonendi officium, quod ex proprio munere Pastorem urget, posse consentiunt; nihilominus monent, si scandalum a Pastoris silentio oriatur, intermitti illud non licere.

» Quod denique quinto loco addebas, *utrum habeas facultatem absolvendi a praedictis excommunicationem,* censuerunt Emi Patres, id a Te quaeri ob clausulas derogatorias, quae in Constitutione, *Apostolicae Sedis,* leguntur; nam ceteroqui, quid facultatum Tibi datum sit, nosse ipse debes. Itaque decreverunt, ut declaratio circa praedictas clausulas de mandato Sanctitatis Suae ab hac Suprema Congregatione edita Tibi communicetur, quae est tenoris sequentis: *colla delta Costituzione il Santo Padre non ha punto inteso di recare la menoma alterazione alle facoltà di qualsiasi natura dalla S. Sede innanzi alla promulgazione della medesima accordate sieno esse quinquennali o straordinarie o relative al presente Giubileo e vuole che rimangano nel pieno loro vigore durante il termine nelle rispettive concessioni od indulti pr e finito* **(1).**

» In quinto dubio non satis Te intelligere indicas, cur in Constitutione, *Apostolicae Sedis,* sub numero quarto excommunicationum latae sententiae, quae Romano Pontifici reservantur, ea quoque recensetur, quae est *contra non denunciantes occultos coryphaeos ac duces sectae massonicae aut carbonariae aliarumve eiusdem generis sectarum , quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam seu clandestine machinantur,* eaque dubii ratio a Te proponitur, quod *nomina praesidendum et membra cuiusque Logiae publice typis dentur.* Sed ne in re tam gravi, quaeque tanti interest incolumitatis Ecclesiae, salutis animarum publicaeque tranquillitatis, quempiam indormire sinas, persuadere Tibi debes **p** non sine gravissimis causis Romanum Pontificem e sua

(1) Haec declaratio communicata fuerat Patribus Vaticani Concilii, qui id peterent, per Emum Cardinalem Bizzarri: eaque responsio data fuit per S. C. de Propaganda Fide atque longe lateque vulgata. Ita autem latine sonat: « Per » Constitutionem SSmus Pater nullatenus intendit, ne minimum quidem, detrimentum inferre facultatibus cuiuscumque indolis, quae a S. Sede ante » promulgationem eiusdem Conslilutio- » nis concessae fuerint, sive hae quin- » quennales, sive extraordinariae, sive » respicientes praesens Iubilaeum, atque » vult ut in suo pleno vigore perma- » neant, tempore perdurante in dictis » concessionibus sive Indultis praefi- » nito». »

specula ex qua totam Ecclesiam omnesque simul circumstantias circumspicit, excommunicationem illam iampridem latam, multo mitiòribus terminis cohibitam retinuisse. Quamquam haud difficile cuique erit aliquam per se causam videre iniunctae denunciationis, licet, ut ais, *praesidendum ac membrorum nomina,* saltem in Secta Massonica et Carbonaria, *publice typis dentur.* Ceteris enim praetermissis, quis sane dicere aut nosse valeat, utrum qui in publicis ephemeridibus apparent, specie tantum ac nomine tenus coryphaei ac duces sint, veri autem machinationum artifices directoresque delitescant ? Aut quis etiam divinet, utrum perpetuo et constanter ducum nomina evulgare velint? Vides igitur, non inutiliter neque sine causa praeceptum esse, ut coryphaei saltem qui occulti sint denuncientur.

» At quaeris cui et a quibus fieri eiusdem denunciationes in missionibus debeant. Obscurum esse minime potest, a quibus faciendae sint. Generale quippe est praeceptum omnibus fidelibus iniunctum. Cui vero sunt faciendae manifestum quoque est, nimirum ei, qui pro pastorali officio vigilare et cavere debet, ne oves sibi concreditae in lupos incurrant, neve peste inficiuntur; cuiusmodi est quicumque episcopale vel quasi-episcopale munus in Missionibus gerit, Vicarius videlicet vel Praefectus Apostolicus, vel ab eis ad hunc effectum delegatus. »

SUPREMAE SACRAE CONGREGATIONIS

Instructio ad probandum obitum alicuiits coniugis (1).

« Matrimonii vinculo duos tantummodo, Christo ita docente, copulari et coniungi posse : alterutro vero coniuge vita functo, secundas, imo et ulteriores nuptias licitas esse, dogmatica Ecclesiae Catholicae doctrina est.

» Verum ad secundas, et ulteriores nuptias quod attinet, cum de re agatur, quae difficultatibus, ac fraudibus haud raro est ob-

(1) Eiusmodi S. Inquisitionis Instructio, ad probandum obitum alicuius coniugis, est omnium recentissima.

noxia, hinc Sancta Sedes sedulo curavit modo Constitutionibus generalibus, saepius autem responsis in casibus particularibus datis, ut libertas novas nuptias ineundi ita cuique salva esset, ut praedicta matrimonii unitas in discrimen non adduceretur.

» Inde constituta Sacrorum Canonum, quibus, ut quis possit licite ad alia vota transire, exigitur quod de morte coniugis certo constet, uti cap. ***Dominus, de secundis nuptiis,*** vel quod de ipsa morte recipiatur ***certum nuncium*** uti in Cap. ***In praesentia, de Sponsalibus, et matrimoniis*** (1). Inde etiam ea quae explanatius traduntur in Instructione, ***Cum alias,*** 21 ***Augusti*** 1670 a Clemente X sancita, et in Bullario Romano inserta, super examine testium pro matrimoniis contrahendis in Curia Emi Vicarii;**l>** bis, et ceterorum Ordinariorum. Maxime vero quae propius ad rem facientia ibi habentur nn. 12 et 13 (2).

» Et haec quidem abunde sufficerent si, in eiusmodi causis peragendis, omnimoda et absoluta certitudo de alterius Coniugis obitu haberi semper posset; sed cum id non sinant casuum propemodum infinitae vices (quod sapienter animadversum est in laudata Instructione his verbis : ***Si tamen huiusmodi testimonia haberi non possunt, Sacra Congregatio non intendit excludere alias probationes, quae de iure communi possunt admitti, dummodo le-***

(1) In capite ***Dominus, De secundis nuptiis***, ita Lucius III scripsisse legitur universis christianis in captivitate Saracenorum positis : « Super matrimoniis, quae quidam ex vobis (nondum habita obeuntis coniugis certitudine) contraxerunt; id vobis respondemus, ut nullus amodo ad secundas nuptias migrare praesumat, donec ei constet , quod ab hac vita migraverit coniux eius. Si vero aliquis vel aliqua id hactenus non servavit et de morte prioris coniugis adhuc sibi existimat dubitandum, ei quae sibi nupsit debitum non deneget postulanti; quod a se tamen noverit nullatenus exigendum. Quod si post hoc de prioris coniugis vita constiterit, relictis adulterinis complexibus, ad priorem coniugem revertatur. »

in capite ***In praesentia, De sponsalibus,*** ita rescripsit Clemens III Caesaraugustano Episcopo:« In praesentia nostra quaesisti, quid agendum sit de mulieribus, quae viros suos càusa captivitatis, vel peregrinationis absentes , ultra septennium praestolatae fqerint nec certifican possunt de vita vel de morte ipsorum, licet super hoc sollicitudinem adhibuerint dijigentem; et pro iuvenili'aetate seu fragilitate carnis nequeunt continere, petentes aliis matrimonio copulari. Consultationi tuae taliter respondemus, quod quantocumque annorum numero ita remaneant, viventibus viris suis, non possunt ad aliorum consortium canonice convolare: nec auctoritate Ecclesiae permittas contrahere, donec certum nuncium recipiant de morte virorum. <>

(2) Hanc integram Instructionem infra habes in Appendice IX*

(jiiimae sint, et sufficientes), sequitur, quod stantibus licet principiis generalibus praestitutis, haud raro casus eveniunt, in quibus Ecclesiasticorum Praesidum iudicia haerere solent in vera iustaque probatione dignoscenda ac statuenda; immo pro summa illa facilitate, quae aetate nostra facta est remotissimas quasque regiones adeundi, in omnes fere orbis partes homines divagentur, eiusmodi casuum multitudo adeo succrevit, ut frequentissimi hac de re ad Supremam hanc Congregationem habeantur recursus, non sine porro partium incommodo, quibus inter informationes, atque instructiones, quas pro re nata, ut aiunt, peti, mittique necesse est, plurimum defluit temporis, quin possint ad optata vota convolare.

» Quapropter Sacra eadem Congregatio huiusmodi necessitatibus occurrere percupiens, simulque perpendens in dissitis praesertim missionum locis, Ecclesiasticos Praesides opportunis destitui subsidiis, quibus ex gravibus difficultatibus extricare se valeant, e re esse censuit., uberiorem edere Instructionem, in qua, iis, quae iam tradita sunt, nullo pacto abrogatis, regulae indigitentur, quas in eiusmodi casibus haec ipsa S. Congregatio sequi solet, ut illarum ope, vel absque necessitate recursus ad Sanctam Sedem, possint iudicia ferri, vel certe, si recurrendum sit, status quaestionis ita dilucide exponatur, ut impediri longiori mora sententia non debeat. Itaque

» 1. Cum de coniugis morte quaestio instituitur, notandum primo loco, quod argumentum a sola ipsius absentia quantacumque (licet a legibus civilibus fere ubique admittatur) a Sacris Canonibus minime sufficiens ad iustam probationem habetur. Unde sa. me. Pii VI ad Archiepiscopum Pragensem die 11 Iulii 1789 rescripsit, solam coniugis absentiam, atque omnimodum eiusdem silentium *satis argumentum non esse ad mortem comprobandam,* ne tum quidem cum edicto regio coniux absens evocatus (idemque porro dicendum est, si per publicas ephemerides id factum sit) nullum suimet indicium dederit. *Quod enim non comparuerit,* idem ait Pontifex, *non magis mors in causa esse potuit, quam eius contumacia.*

» 2. Hinc ad praescriptum eorumdem sacrorum Canonum, documentum authenticum obitus diligenti studio exquiri omnino debet; exaratum scilicet ex regestis Paroeciae, vel Xenodochii,

vel militiae, vel etiam, si haberi nequeat ab auctoritate ecclesiastica, a Gubernio civili loci in quo, ut supponitur, persona obierit.

» 3. Porro quandoque hoc documentum haberi nequit; quo casu testium depositionibus supplendum erit. Testes vero duo saltem esse debent, iurati, fide digni, et qui de facto proprio deponant, defunctum cognoverint, ac sint inter se concordes quoad locum, et causam obitus, aliasque substantiales circumstantias. Qui insuper, si defuncti propinqui sint, aut socii itineris, industriae, vel etiam militiae, eo magis plurimi faciendum erit illorum testimonium.

» 4. Interdum unus tantum testis examinandus reperitur, et licet ab omni iure testimonium unius ad plene probandum non admittatur, attamen ne coniux alias nuptias inire peroptans, vitam coelibem agere cogatur, etiam unius testimonium absolute non respuit Suprema Congregatio in dirimendis huiusmodi casibus, dummodo ille testis recensitis conditionibus sit praeditus, nulli exceptioni obnoxius, ac praeterea eius depositio aliis, gravibusque adminiculis fulciatur; sique alia extrinseca adminicula colligi omnino nequeant, hoc tamen certum sit, nihil in eius testimonio reperiri, quod non sit congruum, atque omnino verisimile.

» 5. Contingit etiam, ut testes omnimoda fide digni'testificentur, se tempore non suspecto mortem coniugis ex aliorum attestatione audivisse, isti autem vel quia absentes, vel quia obierint, vel aliam ob quamcumque rationabilem causam examinari nequeunt; tunc dicta ex alieno ore, quatenus omnibus aliis in casu concurrentibus circumstantiis, aut saltem urgentioribus respondeant, satis esse censentur pro sequutae mortis prudenti iudicio,,

» 6. Verum, haud semel experientia compertum habetur, quod nec unus quidem reperiatur Testis qualis supra adstruitur. Hoc in casu probatio obitus ex coniecturis, praesumptionibus, indiciis, et adiunctis quibuscumque, sedula certe et admodum cauta investigatione curanda erit; ita nimirum, ut pluribus hinc inde collectis, eorumque natura perpensa, prout scilicet urgentiora, vel leviora sunt, seu propiore vel remotiore nexu cum veritate mortis coniunguntur, inde prudentis viri iudicium ad eamdem mortem affirmandam probabilitate maxima, seu morali certitudine permovere possit. Quapropter quandonam in singulis casibus ha-

beatur ex huiusmodi coniecturis simul coniunctis iusta probatio, id prudenti relinquendum est iudicis arbitrio; heic tamen non abs re erit plures indicare fontes ex quibus illae sive urgentiores, sive etiam leviores colligi, et haberi possint.

» 7. Itaque in primis illae praesumptiones investigandae erunt, quae personam ipsius asserti defuncti respiciunt, quaeque profecto facile haberi poterunt a coniunctis, amicis, vicinis, et quoquo modo notis utriusque coniugis. In quorum examine requiratur ***ex. gr.***

» ***An*** ille, de cuius obitu est sermo, bonis moribus imbutus esset; pie religioseque viveret; uxoremque diligeret; nullam sese occultandi causam haberet; utrum bòna stabilia possideret, vel alia a suis propinquis, aut aliunde sperare posset.

» ***An*** discesserit annuentibus uxore et coniunctis; quae tunc eius aetas et valetudo esset.

» ***An*** aliquando, et quo loco scripserit, et num suam voluntatem quamprimum redeundi aperuerit, aliaque huius generis indicia colligantur.

» Alia ex rerum adiunctis pro varia absentiae causa colligi indicia sic poterunt.

» **Sí** ***ob militiam abierit,*** a duce militum requiratur quid de eo sciat; utrum alicui pugnae interfuerit; utrum ab hostibus fuerit captus; num castra deseruerit, aut destinationes periculosas habuerit ***etc.***

» ***Si negotiationis causa iter susceperit*** inquiratur, utrum tempore itineris gravia pericula fuerint ipsi superanda: num solus profectus fuerit, vel pluribus comitatus: utrum in regionem ad quam se contulit supervenerint seditiones, bella, fames, et pestilentiae ***etc. etc.*** lî

» ***Si maritimum iter fuerit aggressus*** sedula investigatio fiat a quo portu discesserit; quinam fuerint itineris socii; quo se contulerit; quod nomen navis quam conscendit; quis eiusdem navis gubernator; an naufragium fecerit; an societas quae navis cautionem forsan dedit, pretium eius solverit; aliaeque circumstantiae, si quae sint, diligenter perpendantur.

)> 8. Fama quoque aliis adiuta adminiculis argumentum de obitu constituit, hisce tamen conditionibus, nimirum; quod a duobus saltem testibus fide dignis, et iuratis comprobetur; qui de-

ponant de rationabili causa ipsius famae; an eam acceperint a maiori, et saniori parte populi, et an ipsi de eadem fama recte sentiant; nec sit dubium illam fuisse concitatam ab illis, in quorum commodum inquiritur.

» 9. Tandem, si opus fuerit, praetereunda non erit investigatio per publicas ephemerides, datis Directori omnibus necessariis personae indiciis, nisi ob speciales circumstantias saniori, ac prudentiori consilio aliter censeatur.

» **10.** Haec omnia pro opportunitate casuum Sacra haec Congregatio diligenter expendere solet; cumque de re gravissima agatur, cunctis aequa lance libratis, atque insuper auditis plurium Theologorum, et iuris prudentum suffragiis, denique suum iudicium pronunciat, an de tali obitu satis constet, et nihil obstet quominus petenti transitus ad alias nuptias concedi possit.

» **11.** Ex his omnibus Ecclesiastici Praesides certam desumere possunt normam quam in huiusmodi iudiciis sequantur. Quod si non obstantibus regulis hucusque notatis res adhuc incerta et implexa illis videatur, ad Sanctam Sedem recurrere debebunt, actis omnibus cum ipso recursu transmissis, aut saltem diligenter expositis. »

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Quum nulli ex coniugibus, vivente altero coniuge, facultas sit contrahendi aliud matrimonium ; de morte coniugis absentis constare debere ut alter matrimonium contrahere possit.

II. De morte coniugis absentis constare debere legitimis consuetisque probationibus per documenta scilicet vel per testes fide dignos.

III. Si plena legitima probatio haberi non possit ex carentia documentorum vel testium, permitti locorum Ordinarii procedere per indicia, coniecturas et praesumptiones, quae prudentem iudicem movere valeant ad praesumendam mortem coniugis absentis eamdemque iuridice declarandam, ut alter coniux licite legitimeque (1) contrahere aliud matrimonium possit.

(1) Dixi, ut alter coniux *licite legitimeque* contrahere aliud matrimonium possit: *legitime* quidem ut coram Ecclesia, idest in foro externo, alterum matri

IV. Facta enim duplici ratione ostendi possunt, vel per testes aut documenta fide digna, quae facta directe et immediate demonstrent; quae probatio ***legitima*** dicitur : vel per cumulum, maiorem vel minorem, indiciorum, coniecturarum et praesumptionum, qui cumulus explicari prudenter non posset, si non supponatur factum de quo quaeritur : haec secunda factorum probatio, quamquam non stricto sensu legitima, sed ***aequipollens*** appelletur, deficiente prima legitimaque probatione, in iudiciis cum quodam prudenti Iudicis arbitrio admitti solet.

monium contrahi aestimarique possit validum: *licite* **autem, ut coniux per eiusmodi declarationem praesumptae mortis alterius coniugis, auctoritate Ecclesiae factam, dimisso dubio, possit tuta conscientia et petere et reddere coniu* gale debitum,**

APPENDIX IX.

INSTRUCTIO S. U. INQUISITIONIS, IUSSU CLEMENTIS X ORDINARIIS LOCORUM ALIISQUE PRAESCRIPTA, QUA UTANTUR AD LEGITIME COGNOSCENDUM ADMITTENDUMQUE STATUM LIBERUM EORUM, QUI MATRIMONIUM CONTRAHERE VELINT.

« Decretum emanatum in congregatione generali Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctissimo Domino Nostro Clemente divina providentia Papa X ac Eminentissimis et Reverendissimis Dominis S. R. Ecclesiae Cardinalibus in tota republica christiana contra haereticam pravitatem generalibus inquisitoribus a sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Feria V die XXI Augusti MDGLXX.

***A* Cum alias per Sacram Congregatione!» S. Officii iteratis instructionibus ab eadem emanatis de anno MDCLVIII et MDCLXV locorumque Ordinariis transmissis, provisum fuerit ut praescriptis interrogatoriis faciendis testibus, qui ad probandum statum liberum contrahentium matrimonium inducuntur, omnis prorsus secluderetur aditus iis, qui, adhuc vivente altero coniuge, aut alias impediti, ad secunda illicita vota transire satagebant; videns nihilominus SSmus Dominus Noster quamplures locorum Ordinarios, vel eorum Vicarios et deputatos ad excipiendas testium depositiones, nec non Parochos et Notarios, in casibus expressis aut omittere aut non observare earumdem instructionum**

tenorem, et licet aliquando plene observent, non tamen interrogare testes super aliis impedimentis dirimentibus,

» § 1. Ideo volens Sanctitas Sua praedictis malis occurrere, re mature considerala cum Emis et Rmis DD. Cardinalibus generalibus inquisitoribus, praesenti Decreto perpetuis futuris temporibus duraturo iterum iniungit omnibus Vicariis seu deputatis pro examinandis testibus ad probandum statum liberum contrahentium matrimonium, nec non Parochis, Notariis et quibuscumque aliis respective, sub poenis etiam gravibus corporalibus arbitrio Sacrae Congregationis ut instructionem infrascriptam ad unguem observent.

» § 2. Ut autem praesens Decretum et instructio ad omnium notitiam facilius deveniant, decrevit illa ad valvas Basilicae Principis Apostolorum et Cancellariae Apostolicae ac in acie Campi Florae de Urbe ac Palatio S. Officii eiusdem Urbis per aliquem ex Cursoribus Sanctitatis suae publicari, ac eorum exempla i'bidem affixa relinqui; illaque sic publicata omnes et singulos, quos concernunt, post duos menses a die publicationis in Urbe faciendae numerandos, perinde afficere ac arctare, ac si illorum unicuique personaliter notificata et intimata fuissent.

*Instructio pro examine **illorum** testium, qui inducuntur **pro contrahendis** matrimoniis, tam **iniuria** Emi et Rmi Cardinalis Urbis **Vicarii**, quam in aliis curiis ceterorum Ordinariorum.*

» I. Imprimis testis moneatur de gravitate iuramenti in hoc praesertim negotio pertimescendi, in quo divina simul et humana maiestas laeditur ob rei, de qua tractatur, importantiam et gravitatem, et quod imminet poena triremium et fatigationis deponenti falsum (i).

» II. Interrogetur de nomine, cognomine, patria, aetate, exercitio et habitatione.

» III. An sit civis vel exterus, et quatenus sit exterus, a quanto tempore est in loco in quo testis ipse deponit.

» IV. An ad examen accesserit sponte, vel requisitus: si dixerit accessisse sponte a nemine requisitum, dimittatur, quia praesumitur mendax; si vero dixerit, accessisse requisitum, interrogetur a quo vel a quibus, ubi, quando, quomodo, coram quibus et quoties fuerit requisitus, et an sciat adesse aliquod impedimentum inter contrahere volentes,

n V. Interrogetur, an sibi pro hoc testimonio ferendo fuerit aliquid datum, promissum, remissum vel ablatum a contrahere volentibus, vel ab alio ipsorum nomine.

(1) Non est opus animadvertere eiusmodi corporales poenas, iuxta eorum temporum indolem latas, non amplius in usu esse.

»VI. Interrogetur, an cognoscat ipsos contrahere volentes, et a quanto tempore, in quo loco, qua occasione, et cuius qualitatis vel conditionis existant.

» Si responderit negative, testis dimittatur; si vero affirmative,

» VII. Interrogetur,an contrahere volentes sint cives vel exteri. Si responderit esse exteros, supersedeatur in licentia contrahendi, donec per litteras Ordinarii ipsorum contrahere volentium doceatur de eorum libero statu de eo tempore quo permanserunt in sua civitate vel dioecesi. Ad probandum vero eorumdem contrahere volentium statum liberum pro reliquo temporis spatio, scilicet usque ad tempus quo volunt contrahere , admittantur testes idonei, qui legitime et concludenter deponant statum liberum contrahere volentium, et reddant sufficientem rationem causae eorum scientiae, absque eo quod teneantur deferre attestationes Ordinariorum locorum in quibus contrahere volentes moram traxerunt.

» Si vero responderit contrahere volentes esse cives,

» VIII. Interrogetur sub qua parrochia hactenus contrahere volentes habitarunt vel habitent de praesenti.

» Item an ipse testis sciat aliquem ex praedictis contrahere volentibus quandoque habuisse uxorem vel maritum, aut professum fuisse in aliqua religione approbata, vel suscepisse aliquem ex ordinibus sacris, subdiaconatum scilicet, diaconatum, vel presbyteratum, vel habere aliud impedimentum, ex quo non possit contrahi matrimonium.

» Si vero testis responderit non habuisse uxorem vel maritum neque aliud impedimentum ut supra,

» IX. Interrogetur de causa scientiae, et an sit possibile quod aliquis ex illis habuerit uxorem vel maritum vel aliud impedimentum, etc. et quod ipse testis nesciat.

» Si responderit affirmative,supersedeatur, nisi ex aliis testibus probetur concludenter non habuisse uxorem vel maritum, neque ullum aliud impedimentum, etc.

» Si vero responderit negative,

» X. Interrogetur de causa scientiae, ex qua deinde iudex colligere poterit an testi sit danda fides.

» Si responderit contrahere volente» habuisse uxorem vel maritum, sed esse mortuos,

»XI. Interrogetur de loco et tempore, quo sunt mortui et quomodo ipse testis sciat fuisse coniuges, et nunc esse mortuos. Et si respondeat aaortuos fuisse in aliquo hospitali, vel vidisse sepeliri in certa ecclesia, vel occasione militiae sepultos fuisse a militibus, non derur licentia contrahendi nisi prius recepto testimonio authentico a rectore hospitalis, in quo praedicti praedecesserunt vel a rectore ecclesiae in qua humata fuerunt eorum cadavera, vel, si fieri potest, a duce illius cohortis in qua descriptus erat miles. Si tamen huiusmodi testimonia haberi non possunt, Sacra Congregatio non

intendit excludere alias probationes, quae de iure communi possunt admitti, dummodo sint legitimae et sufficientes.

r> XII. Interrogetur an, post mortem dicti coniugis defuncti, aliquis ex praedictis contrahere volentibus transierit ad secunda vota.

» Si responderit negative,

XIII. Interrogetur an esse possit quod aliquis ex illis transierit ad secunda vota, absque eo quod ipse testis sciat.

n Si responderit affirmative, supersedeatur in licentia donec producantur testes,per quos negativa coarctetur concludenter.

t> Si vero negative,

» XIV.Interrogetur de causa scientiae, qua perpensa, iudex poterit iudicare ^ sitconcedinda licentia vel ne.

» Si contrahentes sunt vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi; nisi doceant per fides Ordinariorum suorum esse liberos, et in aliis servata forma Concilii Tridentini in cap. *Multi sess. XXIV.* (1).

» Fides aliaque documenta,quae producuntur de partibus, non admittantur, nisi sint munita sigillo et legalitate Episcopi ordinarii, et recognita saltem per testes, qui habeant notam manum et sigillum, et attente consideretur quod fides*seu testimonia bene et concludenter identificent personas de quibus agitur.

r> Pro testibus in hac materia recipiantur magis consanguinei quam extranei, quia praesumuntur melius informati, et cives magis quam exteri ; nec admittantur vagi et milites , nisi data causa et maturo consilio; et Notarius exacte describat personam testis, quem si cognoscit, utatur clausula, mihi bene cognitus, sin minus examen non recipiat, nisi, una cum persona testis, aliqua alia compareat cognita Notario, et quae attestetur de nomine et cognomine ipsius testis, nec non de idoneitate eiusdem ad testimonium ferendum. Et huiusmodi examinibus debet interesse in Urbe, ultra Notarium, Officialis specialiter deputandus ab Enìo Vicario; si extra Urbem, vel Vicarius Episcopi, vel aliqua alia persona insignis et idonea ab Episcopo specialiter deputanda: alias puniatur Notarius arbitrio Sacrae Congregationis, et Ordinarius non permittat fieri publicatione^.

(1) In capite *Multi* 7 *sess. M de Reform. Matrim.* Synodus Tridentina haec statuii: « Multi sunt qui vagantur et incertas habent sedes, et, ut improbi sunt in- » genu, prima uxore relicta, aliam et plerumque plures illa vivente diversis in lo- » cis ducunt. Cui morbo cupiens Sancta Synodus occurrere, omnes, ad quos spe- » etat, paterne monet, ne hoc genus hominum vagantium ad matrimonium facile » recipiant; magistratus etiam saeculares hortatur, ut eos severe coerceant. Paro- » chis autem praecipit, ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem in- » quisitionem fecerint et re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi ob- » tinuerini.-

n Ordinarii praecipiant omnibus el singulis Parochis in eorum dioecesibus exsistentibus ut pro matrimoniis cum exteris contrahendis non faciant publicationes in eorum ecclesiis nisi certiorato Ordinario, a quo vel eius General» Vicario, prius teneantur authenticam reportare, quod pro tali matrimonio fuerunt examinati testes in eorum tribunali, qui probant statum liberum contrahere volentium, etc.

» Contravenientes autem severe punientur.»

n S. COHÌATiOil 11 PROPAGANDA FIDE

INSTRUCTIO

EDITA IUSSU

SACRAE CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE

DE CO^ItTGIfS

ROMAE 1821

Venerabilibus Fratribus Episcopis
Vicariis Apostolicis in imperio Sinarum, eique adiacentibus Hegnis, atque Provinciis (1)

VENERABILES FRATRES

« Quaestio de inordinatis, ac clandestinis, apud Sinas coniugiis non modo Vestra, Venerabiles Fratres, ingenia vexavit diu, Sacrorumque Operariorum, qui in difficili isto Dominico excolendo agro adlaborant; verum etiam S. huius Congregationis studia non mediocriter exercuit. Atque id non eam unice ob

(1) Hanc Instructionem referimus non ad significandum ius, quod in Sinis vigeat nec ne vi huius Instructionis: sed eam referimus, quod ius commune de coniugiis explanat pro locis, in quibus publicatum non est Tridentinum Decretum, *Tametsi;* atque suggerit normam pro eiusdem Decreti observantia in locis, in quibus publicatum quidem fuerit, nihilominus sit impossibile illud plene servari. Haec etiam norma in his impossibilitatis adiunctis ad ius commune pertinet, ita ut tota Instructio nihil contineat, quod ad ius commune non pertineat.

causam, qua S. Augustinus Ecclesiae lumen obscurissimam de Coniugiis quaestionem, eiusdemque sinus fere inexplicabiles esse professus est; sed quod maxime dolendum ob hominum corruptelas honorabilis Nuptiarum foederis speciem ac pulchritudinem inobscurantes. ***Magno*** itaque ***Sacramento*** suus ut restituatur et constet honor Sacra Congregatio quaestionem huiusmodi bono in lumine collocare , ac definire tandem , sollicita, praesentem Instructionem parandam duxit vobis, Venerabiles Fratres, inscriptam, uti eam cum Missionariis, Parochis, ac Confessariis communicetis. Sed ordine res explicanda est ab initio.

»I. Vestris equidem litteris, ut bene meministis, pluries ad hanc S. C. datis, significastis: pravum inolevisse morem apud plurimos Christianos, tanto nomine indignos, ut post inita sponsalia, habitamque carnalem copulam cum muliere, cum alia inde matrimonium contrahant, communibus servatis imperii, atque usitatis ibi Ecclesiae ritibus. Qua de re anxie, ac pro charitate, qua erga oviculas flagratis Vestrae sollicitudini commissas a Matre ac Magistra vestra postulastis invalescenti apud eas gentes morbo medelam consentaneam; et percontati estis, utrum primum illud coniunctionis genus, an alterum iusti matrimonii vim haberet, quando intra fines Imperii Sinici, ac circumiacentium Regnorum ac Provinciarum nondum esset Tridentinum de matrimonio Decretum promulgatum.

» II. Et S. quidem Congregatio vos atque Operarios Vestros enixe hortata est, omnimodis ut niteremini qua privatis, qua publicis concionibus , ac praesertim in Sacramenti poenitentiae administratione deterrere Fideles a clandestinis matrimoniis, quae Sancta Dei Ecclesia iustissimis de causis semper detestata est, atque prohibuit ; et ex quibus gravia peccata ortum habent : maxime vero admonendus graviter, et sub interminatione Divini iudicii eos, qui in statu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua contraxerant, relicta, cum alia palam contrabunt et cum ea in perpetuo vivunt adulterio. Neque his contenta monitis ex limpidis S. Tridentinae Synodi fontibus deductis, ad propositi Dubii solutionem, ex puris item fontibus Pontificii iuris in omnes Catholicos pervulgatis observandam indixit a Gregorio IX. P. M. acceptam praescriptionem Capitis ***Is qui ZO.'de Sponsal. et Matrim,*** interrogatus enim Pontifex, quid facto opus

esset de homine, qui post inita cum muliere sponsalia, habitumque concubitum, aliam deinde in facie Ecclesiae duxerat, et cognoverat, huiusmodi responsum dedit: - Is qui fidem dedit alicui mulieri, quod eam in uxorem ducere velit, et si postea illam carnaliter cognoscat, aliamque in facie Ecclesiae ducat, ad primam redire tenetur: quia licet primum matrimonium praesumptum videatur, tamen contra talem praesumptionem probatio in contrarium non est admittenda. Unde sequitur quod matrimonium postea de facto contractum non verum sit matrimonium sed nullum-. Hanc autem praescriptionem S Congregatio Vestris studiis commendandam suscepit ab anno 1786 eamdemque anno J804. V. F. Stephanus Borgia clarae memoriae Cardinalis, Sacrae item Congregationis nomine, ad Vestrum unum, nempe ad Vicarium Apostolicum Cochinchinae scribens, explicatas retinendam esse declaravit.

» III. Iam vero tali tantoque remedio consilioque a S. C. exhibito , futurum ea sperabat, ut iustis illorum Christianorum coniugiis rite constabiliendis clandestinisque cohibendis, opitulante Deo, nihil aut fere nihil superesset, quando post annos non paucos litteras eiusdem Vicarii Apostolici Cochinchinae accepit, quibus praeter cetera significavit, Capitis ***Is qui*** observantiam eas in regiones vix aut ne vix quidem induci posse ob invincibilem Sinarum illius legis ignorantiam : ex Divini verbi praeconibus, qui erudiendae genti strenuam dant operam extitisse fere neminem, qui docuerit, ex copula clandestina sponsalia subsequente validum in Foro externo Matrimonium aestimandum: docere autem id deinceps asperum futurum ob gravissima inde incommoda pertimescenda, ac praesertim ob scandala tum apud Christianos tum apud Gentiles oritura, quorum firma persuasio est: Matrimonium iustum constare nullum, nisi quod in conspectu Ecclesiae, vel civilis Imperii legis fuerit celebratum.

» IV. Acceptis huiusmodi litteris S. C. non antea definiendum quidquam deliberavit, quam litteris ad vos omnes, Ven. Fr. missis, quibus ut nostis, sciscitata est de origine opinionum apud eas gentes circa nuptias iustas , et illegitimas , de universa super matrimoniis doctrina a Missionariis explicata , de ritu Ecclesiastico ac civili nuptiarum, deque incommodis ac periculis extimescendis, si quando nemoral. Capitis ***Is qui*** apud Sinas observantia esset inducenda.

» V. Et vos quidem certiorem S. C. fecistis responsionibus fere inter se consentaneis: quae plene Eminentissimis Patribus satisfacere fortasse potuissent, nisi in re tanti momenti definienda, diligentia supra quam dici possit, maturitateque summa sibi opus esse existimassent. Aliae itaque litterae S. C. nomine pervenerunt ad vos a vobisque novae responsiones redditae, ex quibus Dubia, quae sequuntur, efformata sunt.

»Dub. I. (quod in serie propositorum septimum est): An in Chinae, Cochinchinae, et Tunchini utriusque regionibus, in quibus Tridentinum de Matrimonio Decretum nondum promulgatum est, copula sponsalia subsequens verum Matrimonium inducat, etiamsi sponsi inter coeundum non maritali affectu, sed libidine moti, existiment, se in illicitum ac fornicarium actum irruisse, Matrimonio iusto constituendo imparem, ac propterea non sibi ereptam facultatem existiment ad alia vota transeundi, cum haec apud eas gentes persuasio vigeat?

» Dub. II. (quod in serie octavum est): Quale consilium dandum Missionariis earum regionum circa modum servandum, praesertim in poenitentiae Sacramenti administratione, cum iis Fidelibus, qui post sponsalia et copulam habitam cum una muliere, nuptias publice cum alia contraxerunt, quas ipsi bona fide iustas existimant validasque ?

»Diib. III. (quod in serie nonum est): Vicariis Apostolicis ac Missionariis remedium flagitantibus aptum ad cohibenda coniugia clandestina, et avertenda damna ex iisdem funestissima suboritura, quid consilii dandum aut praescribendum sit ?

» Ad haec clarius atque accuratius enodanda Dubia iuverit animadvertere: Eminentissimis Patribus incredibile videri, persuasionem in 1. Dubio memoratam tantam vigere apud Sinenses, ut communis existimari possit: nempe ex sponsalibus et copula clandestine habita non iis ereptam esse facultatem ad alia vota transeundi. Etenim cum S.C. legem eo capite comprehensam explicandam iis gentibus, quoties sese occasio obtulisset, praescripserit; cumque compertum sit, quanto vos studio ac sollicitudine S. C. consiliis mandatisque morem gerere consueveras, ac praeterea post accepta consilia ac mandata huiusmodi, per nonnullos annos nihil a vobis de persuasione illa renunciatum sit ; iure Eminentissimi Patres arbitrantur, Missionarios ac Catechistas

doctrinam Capitis, ***Is qui,*** non semper quidem, sed pro re nata, tradidisse fidelibus nonnullis, hosque aliis, atque aliis tradere deinceps potuisse. Ac certe vestrum unus narravit, Missionarium quemdam ceteris clarius coram multis hominibus primariis palam docuisse, sponsalia post copulam carnalem inter sponsos habitam, ex legibus Ecclesiae iudicari debere tamquam Matrimonia , nisi contrarium certo demonstretur. Quo quidem facto facile intelligitur, alios Missionarios idem minus clare tradidisse , et primarios illos viros regulam Ecclesiae gravissimam facile cum aliis fidelibus communicasse. Erunt igitur non multi, sed erunt tamen apud quos persuasio illa non vigeat ; erunt plurimi, apud quos ea vigebit. Stabit ergo persuasio illa pede uno, cadet altero.

» Videte igitur Ven. Fr. utrique Fidelium generi congruis consiliis ac documentis providendum. Quod ut accurate succédât , ob oculos vestros proponite, quae in elucidando capite, ***h qui,*** affert P. Pirhinghius sacrorum Canonum explicator probatissimus. Namque ille ***in lib. IV. Decretal. Tit. I. sect, I.*** §. 5, post memoratam Gregorii IX. regulam, seu praescriptionem, haec addit:-Ratio est, quia Ecclesia ex carnali copula praesumit in sponsis coniugalem consensum ad excludendum peccatum , quod scilicet sponsus et sponsa non fornicario, sed affectu maritali se invicem cognoscere voluerint quia delictum non est praesumendum, et haec est praesumptio ***iuris et de iure*** id est omnino certa et indubitata, contra quam non admittitur probatio; et consequenter non audiretur sponsus asserens, se non cognovisse sponsam affectu maritali, vel animo contrahendi Matrimonium cum illa; Covarr. ***in Epitome Lib. IV. Decret, p. I. Cap. IV. §. 1 num. 1. et*** 2. Confirmatur, quia copula carnalis sequuta post sponsalia de futuro est sufficiens signum consensus de praesenti in matrimonium, et sponsi per eam censentur sibi invicem tradere; quae praesumptio habet locum in Foro contentioso et iudiciali tantum, non autem in foro conscientiae et poenitentiali. Unde si sponsus vere cognovisset sponsam non affectu maritali sed fornicario, non esset verum Matrimonium in foro poenitentiali et coram Deo, quia Papa non potest facere, ut sine consensu expresso vel tacito sit verum Matrimonium; Hostien, ***hic col.*** 2. ***in fine;*** Fagnan. ***hic num.*** 6. ***et*** **7** -. Hactenus P. Pirhinghius,

qui hanc doctrinam exhibens, affirmat eamdem esse apud omnes Canonum tractatores pervulgatam. Hic igitur state, hic haerete. Nempe in iis etiam regionibus, in quibus Tridentinum de Matrimonio Decretum promulgatum non est, si sponsus ac sponsa non maritali affectu, sed fornicario invicem coiverint, non ideo eorum sponsalia in verum Matrimonium transire coram Deo > ac propterea coram Deo, sive in Conscientiae foro, iisdem ereptam non esse facultatem ad alia transeundi vota, si se legitima occasio praecedentium sponsalium dissolvendorum obtulerit.

» Ceterum in forum externum ac iudiciale deducta si copula sit, possent iidem ab Ecclesiastico iudice legitimorum instar coniugum haberi, atque idcirco quoad alter eorum vixerit a quovis alio Matrimonio prohiberi, quia est haec praesumptio ***iuris et de iure,*** id est certa omnino et indubitata contra quam non admittitur probatio : et consequenter non audiretur sponsus asserens, se non cognovisse sponsam affectu maritali, vel animo contrahendi Matrimonium cum illa.

» Quae cum ita sint, septimo Dubio bac ratione S. C. respondendum censet, nempe. Si in praefatis Regionibus ubi publicatum non fuit decretum S. Concilii Tridentini duo sponsi carnalem inter se deinde habeant copulam, eam tamen non ex affectu maritali, sed affectu illicito ac fornicario ; haec eorum copula minime transire facit praecedentia eorumdem sponsalia in verum Matrimonium coram Deo: seu in foro conscientiae liberi manent atque poterunt, si praedicta eorum sponsalia ex aliqua legitima causa dissoluta fuerint, nuptias alias licite inire. Nihilominus si eorum copula, in foro externo et iudiciali, probetur, poterunt iidem ex praesumptione ***iuris et de iure,*** contra quam non admittitur probatio, per Ecclesiasticam potestatem adigi ad se se habendos tamquam veros coniuges, quibus , vivente consorte, quodvis connubium interdictum sit ***ex cap.*** 30. ***De Sponsalib. et Matrim.***

» Sed gradus faciendus est ad alterum enodandum Dubium, quod octavum in serie propositorum est; scilicet quale consilium dandum Missionariis earum regionum circa modum servandum (praesertim in Sacramenti poenitentiae administratione) cum iis Fidelibus, qui, post sponsalia et copulam habitam cum muliere, nuptias publice cum alia contraxerunt, quas ipsi bona fide iu-

stas existimant validasque? Cum huiusmodi poenitente hanc esse diligentiam cautionemque observandam Emi Patres censuerunt. Placide eumdem interroget Confessarius, utrum cum prima illa muliere concubuerit affectu motus maritali, an affectu illicito ac fornicario. Si poenitens hoc alterum respondebit, in pace dimittet, nec de validitate Matrimonii deinceps contracti dubitationem ullam movebit. Si vero poenitens respondebit, se cum prima illa muliere affectu coivisse maritali, graviter admonebit, eum non alterius esse maritum, sed primae, ad ipsamque redire omnino debere iuxta saepe memoratam Capitis, *Is qui,* praescriptionem. Sed aliam quoque cautionem prae oculis habeant Missionarii: videlicet si accideret, poenitentem huiusmodi in foro externo minime probare posse carnalem copulam ab se cum prima muliere habitam , ac propterea adigeretur Ecclesiastici Praesidis iudicio ad nuptias in conspectu Ecclesiae contractas in honore retinendas; id si accideret deberet ille quamcumque poenam etiam excommunicationis tolerare patienter, potius quam, certus impedimento se irretiri ligaminis, cum altera non sine gravi culpa concumbat. Nota enim est Innocentii III. P. M. praescriptio *Cap.* 44. *de sent. Eoccom.* expressa.-Si alter coniugum (ita ille) pro certo sciat impedimentum coniugii propter quod sine peccato mortali non valet carnale commercium exercere, quamvis illud apud Ecclesiam probare non possit... debet potius excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quam per carnale commercium peccatum mortale operari-(1).

» Ex hactenus consideratis Responsum ad huiusmodi II Du-

(1) Integer huius celebris capitis textus ita se habet: «Inquisitioni tuae re- » spondentes credimus distinguendum, » utrum alter coniugum pro certo sciat » impedimentum coniugii, propter quod » sine mortali peccato non valet cama- » le commercium exercere, quamvis il- » lud apud Ecclesiam probare non pos- » sit, an non sciat pro certo, sed credat. » In primo casu debet potius excommu- » nicationis sententiam humiliter susti- » nere, quam per carnale commercium » peccatum operari mortale. In secundo • distinguimus, utrum habeat conscien- » tiam huiusmodi ex credulitate levi et » temeraria, an probabili et discreta; et » quidem ad sui pastoris consilium (con- » scientia levis et temerarie credulitá- » lis explosa) licite potest non solum » reddere, sed exigere debitum coniu- » gale. Verum cum conscientia pulsat » animum ex credulitate probabili et dis- » creta, quamvis non evidenti et mani- » festa, debitum quidem reddere potest, » sed postulare non debet, ne in alteru- » tro, vel contra legem coniugi', vel con- » tra iudicium conscientiae committat » offeiisam.»

bium S. C ita complexa est Si quis Fidelium post sponsalia et copulam dein habitam cum una muliere, cum altera muliere publice Matrimonium contrahat, atque in hoc statu ad Missio^ narium aliquem in Tribunali Poenitentiae accedat, debebit eum interrogare, an copulam istam cum illa prima muliere habuerit ex affectu maritali, an vero ex affectu illicito et fornicario. Si alterum hoc respondebit, nullam de validitate praesentis sui Matrimonii dubium ei movebit. Sin autem primum respondebit, graviter ipsum commonebit, eum maritum esse non secundae sed primae mulieris, ad eamque redire omnino debere. Additur vero ad eorumdem Missionariorum instructionem, quod si forte homo iste probare non valens in foro externo carnalem copulam ab se habitam cum prima illa muliere, cogeretur hinc per Ecclesiasticam Potestatem cum altera muliere remanere qua cum publice Matrimonium contraxit, deberet is poenam quamlibet, ipsamque excommunicationem humiliter potius sustinere, quam cum altera hac muliere carnale commercium exercere non sine lethali culpa ***ex Cap.*** 44. ***de Sent. Excom.***

» Statuendum nunc, quid consilii dandum Vobis Ven, Fr. et operariis, qui in Sinensi Dominico agro adlaborant, quo facilius feliciusque clandestinae cohibeantur coniunctiones, et praecidantur scandala, damnaque funestissima, quae suboriri ex iis possent, quod erat in HI. Dubio propositum. Certe negari non potest, maximam ad clandestinas coniunctiones praecidendas medelam ac praesidium in celebris Tridentini de Matrimonio Decreti promulgatione ab Ecclesia collocari: et Apostolica quidem Sedes, quotiescumque conducere ea promulgatio Episcopis atque Apostolicis Vicariis visa est, nihil reliqui fecit, quo facilem iisdem se praeberet, atque huiusmodi medicinam tali consentaneam morbo praescribere^ quod fecit in Archiepiscopatu Kioviensi, cuius exemplum vestrum unus in suis litteris indigitavit, nempe Ven. Fr. Vicarius Apostolicus Cochinchinae. Verum de Kioviensi exemplo, quod ad rem nostram maxime facit, legendum est praeclarum Benedicti XIV. P. M. opus ***de Synodo Dioecesana Lib. XII. Cap. V.*** §§. 8. 9. 10. ***et M; ac*** legenda ita eiusdem Pontificis Constitutio ***Etsi Pastoralis § S. de Sacram. Matrim, n. i.*** -Curent Ordinarii locorum, ut Decretum S. Concilii Tridentini ***de reform. Matrim,*** in locis et Parochiis Graecorum et Albanensium.

quoties expedire viderint, evulgetur et publicetur-. Sed certum quoque est, sicubi promulgatum id Decreti fuerit, ibique de praesentia Parochi praescriptum observari minime potuisset, quod vel Parochus deesset omnino vel difficile adiri posset, Apostolicam Sedem declarasse, iis in locis testium praesentiam satis esse ad valide matrimonia constabilienda, quo si integrum Decretum observari non posset, quoad tamen posset, observaretur.

» Iam vero Emi Patres in huiusmodi prudentem Apostolicae Sedis oeconomiam animum intendentes; itemque considerate ac meditato animo perpendentes litteras a Vobis Ven. Fr. iterato ad S. **C.** hac super re datas; circumspectantes etiam civiles, sacrasque rationes et faciem ipsam Imperii Sinarum quaeque eidem iunguntur provinciarum atque regnorum, censuerunt si id SSmo D. N. placuerit, ut quibus in locis id expedire maturo consilio iudicaveritis, in iis Concilii Decretum integrum rite promulgandum curetis, aut saltem, quoad fieri licuerit, iuxta regulas paulo ante traditas.

» Quamobrem omnia et singula matrimonia, quae posthac celebrari contigerit apud Sinas , ut valida nominentur et sint, ineunda erunt coram Parocho aut Missionario , aut alio quovis legitime designato, ac duobus vel tribus testibus, iisque quoad licuerit, Christianis In iis vero locis in quibus integrum non posset promulgari Decretum, vel si promulgatum sit Parochus tamen, vel alius rite designatus absit, vel faciles ad eundem aditus non sint, iniri quidem possint coniugia, etsi absque Parocho, coram duobus saltem testibus, iisque si fieri possit Christianis; ita tamen contrahentes, ne Sacramenti dignitas vilescat, obligentur lege sistendi se coram Missionario vel Parocho quandocumque reduci, ut rite ab eo benedictionem accipiant. Missionarius autem vel Parochus redux, quando sibi de consensu coniugum constiterit, antequam coniuges benedicat, eos condocefaciat, eiusmodi benedictionem ad ritum unice, non ad validitatem pertinere coniugii; ac propterea non committet ille ut rursus consensio per nova verba exprimatur.

» Tandem ne Decreti Tridentini memoria, iusque obsolescat, cupit S. Congregatio, ut quoties se dederit occasio, Missionarii illud popularibus sibi commissis explicent, ac iuxta regulas mo do expositas declarent. Expedit enim, ut ipsae maxime adole-

scentulae virgines id perceptum habeant, ne in fraudem induci, et occultis, vimque nullam habituris nuptiarum promissis, se ad ullam pellici turpitudinem patiantur.

» Atque haec via et ratio est, quam **retinendo** existimat S. Congregatio inordinatas ac clandestinas coniunctiones praefocari, Deo dante posse , ac ***Magno sacramento*** suum honorem, unde apud plures deciderai, redintegrari.

» Quam S. Congregationis sententiam SSmo Domino Nostro Pio divina providentia Papae septimo relatam per me infrascriptum Secretarium eiusdem S. Congregationis **in** Audientia habita die 14 Ianuarii 1821, Sanctitas Sua benigne approbavit et omnino servari iussit. »

Datum Romae ex aedibus S. Congregationis die 17 mensis et anni quibus supra.

C. ***M. Pedicini secretarius***

Ex QUIBUS COLLIGES:

1. In locis, in quibus publicatum **non est** Tridentinum Decretum *Tametsi,* vel in facto non servatur ut Tridentini Decretum, matrimonia inter fideles gubernari iuxta vetus Ecclesiae ius.

II. Inter veteris iuris placita illud eminere, ut si, sponsalibus contractis subsequatur carnalis copula, matrimonium censeatur facto ipso contractum et consummatum.

III. Eiusmodi iuris placitum tantam habere vim, ut in foro externo, quoties constaret de initis sponsalibus et de copula subsequuta, non audiretur in iudicio coniux dicens, se non animo contrahendi vel consummandi matrimonium id fecisse.

IV. Praesumptio enim iuris militabat ex **ipso** facto, quo posito, iure meritoque praesumendum erat **copulam** fuisse habitam animo adimplendi sponsalia: quae praesumptio ex facto, sua sponte, oriens, quum a iure **communi probaretur,** dicta videtur ***praesumptio iuris et de iure.***

V. Eiusmodi tamen validissima!» praesumptionem **pro foro** externo, quum limites tandem praesumptionis non egrediatur, elidi facile posse in foro interno per confessionem coniugis dicentis, se animo tantum fornicario, non **autem** maritali **id** patrasse.

VI. Quo casu, cum nullum intercessisset matrimonium ob defectum consensus, forum internum foro externo opponi : atque proinde praesumptum coniugem, qui alterum matrimonium forte contraxerit, in foro externo nullum reputatum ob validissimam praesuptionem primi, sustinere debere quamcumque poenam, potius quam cum prima praesumpta coniuge copuletur.

VII. Publicationem Tridentini Decreti in singulis paroeciis factam, licet ex defectu Parochorum vel Presbyterorum, qui deputandi sint, Decretum non possit servari, statum tamen rerum ita immutare, ut vetus ius cesset, et subingrediatur ius Tridentinum, quo sponsalia de futuro non transeunt per subsequutam copulam in .matrimonium de praesenti, sed matrimonium coram duobus saltjem testibus celebrari debere: ita ut forma Tridentina quoad possit servari debeat.

EX SECRETARIA STATUS,

INSTRUCTIO

AD OMNES ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS DE DISPENSATIONIBUS SUPER IMPEDIMENTO MIXTAE RELIGIONIS QUOAD PROMISCUA CONIUGIA (1).

« Etsi Sanctissimus Dominus Noster Pius IX Pontifex Maximus gravissimis causis impulsus aliquod immutandum esse censuerit in formula dispensationum, quae ab hac Apostolica Sede conceduntur ad mixta ineunda matrimonia, veluti Amplitudo Tua ex adiecta formula intelliget, tamen idem Summus Pontifex, de Universi Dominici gregis salute sibi divinitus commissa vel maxime sollicitus, pro Apostolici Ministerii Sui munere non pot¡est non summopere inculcare omnibus Archiepiscopis, Episcopis aliisque Locorum Ordinariis, ut sanctissima Catholicae Ecclesiae

(1) Haec Instructio pro mixtis coniugiis est omnium recentissima, atque secundum eam mixta coniugia a S. Sede permittuntur.

de hisce coniugiis documenta integra, et inviolata religiosissime serventur. Omnes enim norunt, quid ipsa Catholica Ecclesia de huiusmodi, Catholicos inter, et Acatholicos, nuptiis constanter senserit, cum illas semper i m probaveri t, ac tamquam illicitas, planeque perniciosas habuerit, tum ob flagitiosam in divinis communionem , tum ob impendens catholico coniugi perversionis periculum, tum ob pravam sobolis institutionem. Atque huc omnino pertinent antiquissimi Canones ipsa mixta connubia severe interdicentes, ac recentiores Summorum Pontificum Sanctiones, de quibus Immortalis Memoriae Benedictus XI\ loquitur in suis Encyclicis Litteris ad Poloniae Regni Episcopos, atque in celeberrimo opere, quod de Synodo Dioecesana inscribitur. Hinc porro evenit, ut haec Apostolica Sedes, ad quam unice spectat potestas dispensandi super huiusmodi mixtae Religionis impedimento, si de Canonum severitate aliquid remittens, mixta haec coniugia quandoque permiserit, id gravibus dumtaxat de causis aegre admodum fecit, et nonnisi sub expressa semper conditione de praemittendis necessariis opportunisque cautionibus, ut scilicet non solum catholicus coniux ab acatholico perverti non posset, quin imo catholicus ipse coniux teneri se sciret ad acatholicum pro viribus ab errore retrahendum, verum etiam, ut universa utriusque sexus proles ex mixtis hisce matrimoniis procreanda in Sanctitate Catholicae Religionis educari omnino deberet. Quae quidem cautiones remitti, seu dispensari nunquam possunt, cum in ipsa naturali ac divina lege fundentur, quam Ecclesia, et haec Sancta Sedes sartam tectamque tueri omni studio contendit , et contra quam sine ullo dubio gravissime peccant, qui promiscuis hisce nuptiis temere contrahendis se, ac prolem exinde suscipiendam perversionis periculo committunt. Insuper in tribuendis huiusmodi dispensationibus praeter enunciatas cautiones, quae praemitti semper debent, dt super quibus dispensari nullo modo unquam potest, adiectae quoque fuere conditiones, ut haec mixta coniugia extra Ecclesiam, et absque Parochi benedictione, ulloque alio ecclesiastico ritu celebrari debeant. Quae quidem conditiones eo potissimum spectant, ut in Catholicorum animis nunquam obliteretur memoria tum Canonum, qui istiusmodi mixta Matrimonia detestantur, tum constantissimi illius studii, quo Sancta Mater Ecclesia nunquam destitit filios suos

avertere ac deterrere ab iisdem mixtis coniugiis in eorum, et futurae prolis perniciem contrahendis.

» Iam vero quod attinet ad praedictas conditiones de his nempe mixtis nuptiis extra Ecclesiam , et sine Parochi benedictione, alioque sacro ritu celebrandis, cum conditiones ipsae in plurimis similium dispensationum Rescriptis clare aperteque fuerint enunciatae, in aliis vero permultis Rescriptis haud explicite expressae, quamvis iisdem Rescriptis implicite continerentur, idcirco Sanctissimus Dominus Noster pro summa , ac singulari sua prudentia hanc formularum varietatem de medio tollendam existimavit, ac iussit, in posterum, unam eamdemque formulant esse adhibendam ab omnibus Congregationibus , per quas haec Apostolica Sedes dispensationes super hoc mixtae religionis impedimento concedere solet. Itaque, rebus omnibus maturo examine perpensis, temporumque ratione habita, et iis consideratis, quae a pluribus Episcopis exposita fuere, atque in consilium adhibitis nonnullis S. R E. Cardinalibus, idem Sanctissimus Dominus Noster constituit, in harum dispensationum concessione utendam esse formulam illius Rescripti, quo etiamsi conditiones praedictae de mixtis hisce coniugiis extra Ecclesiam , et absque Parochi benedictione , alioque ecclesiastico ritu celebrandis haud aperte declarantur, tamen implicite continentur. Ac Sanctitas Sua omnes Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Locorum Ordinarios vehementer in Domino monet , hortatur, et excitat, eisque mandat, ut cum Ipsi in posterum huius Rescripti formula ab hac Sancta Sede obtinuerint facultatem dispensandi super impedimento mixtae religionis, in eadem facultate exsequenda nunquam desistant omni cura , studioque advigilare , ut sedulo quoque impleantur conditiones de mixtis hisce Matrimoniis extra Ecclesiam, et absque Parochi benedictione, alioque ecclesiastico ritu celebrandis. Quod si in aliquibus Locis Sacrorum Antistites cognoverint, easdem conditiones impleri haud posse, quin graviora exinde oriantur damna ac mala, in hoc casu tantum Sanctitas Sua ad huiusmodi maiora damna ac mala vitanda, prudenti eorumdem Sacrorum Antistitum arbitrio committit, ut ipsi, salvis firmisque semper ac perdiligenter servatis cautionibus de perversionis periculo amovendo a Coniuge Catholico, de conversione acatholici Coniugis

ab ipso coniuge. Catholico pro viribus procuranda , deque universa utriusque sexus prole in Sanctitate Catholicae Religionis omnino educanda, iudicent quando commemoratae conditiones de contrahendis mixtis hisce nuptiis extra Ecclesiam, et absque Parochi benedictione impleri minime possint, et quando in promiscuis hisce coniugiis ineundis tolerari queat mos adhibendi ritum pro Matrimoniis contrahendis in dioecesano Rituali legitime praescriptum, exclusa tamen semper Missae celebratione, ac diligentissime perpensis omnibus rerum, locorum ac personarum adiunctis, atque onerata ipsorum Antistitum conscientia super omnium circumstantiarum veritate, et gravitate. Summopere autem exoptat Sanctitas Sua ut iidem Sacrorum Antistites huiusmodi indulgentiam, seu potius tolerantiam eorum arbitrio, et conscientiae omnino commissam, maiori, quo fieri potest, silentio , ac secreto servent. Cum vero contingere possit , ut iidem Antistites nondum fuerint exequuti illa similium dispensationum Rescripta, quae ipsis ante hanc Instructionem concessa fuere, idcirco ad omnes dubitationes amovendas Sanctitas Sua declarandum esse iussit, eosdem Antistites hanc Instructionem sequi debere in commemoratis exsequendis Rescriptis.

» Nihil vero dubitat Sanctissimus Dominus Noster, quin omnes Sacrorum Antistites ob spectatam eorum religionem, pietatem, et pastoralis muneris officium pergant flagrantiori usque zelo Catholicos sibi concreditos a mixtis hisce coniugiis avertere , eosque accurate edocere Catholicae Ecclesiae doctrinam , legesque ad eadem Coniugia pertinentes, atque eidem Sanctissimo Domino Nostro persuasissimum est, ipsos Sacrorum Antistites prae oculis semper habituros Litteras et Instructiones, quae a suis felicis recordationis Praedecessoribus, ac praesertim a Pio VI. (1), Pio VII. (2), Pio VIII. (3), et Gregorio XVI. (4) de

(1) Epist, ad Archiep. Mechliniensem, Episcoposque Belgii - *Exequendo nunc* - die 13 Iunii 1782

(2) Ep. ad Archiep. Moguntinum - *Etsi Fraternitatis Tuae-àie* 8 Octob. 1803.

(3) Epist, ad Archiep. Coloniensem, et Episcopos Treviren., Monasterien, et Paderbonen. - *Litteris altero abhinc anno* - die 25 Martii 1830 Instructio ad eosdem Archiep. et Episc, die 27 Martii 1830.

(4) Epist, ad Archiep. et Episcop. Bavariae: — *Summo iugiter studio* — die 27 Maii 1832. Instructio ad eosdem die 12 Septembris 1834.

Epist, ad Archiep., et Episcop. Hungariae: — *Quas vestro* — die 30 Aprilis 1841. Instructio die 30 Aprilis 1841. Instructio ad Archiep. et Episcop. Austriacae Ditionis in foederatis Germaniae partibus die 22 Maii 1841.

hoc gravissimo sane argumento, maximique momenti negotio ad plures Catholici Orbis Episcopos scriptae fuerunt.

» Haec amplitudini Tuae erant significanda iussu ipsius Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae IX., cui nihil potius, nihil antiquius est, quam ut Catholicae Ecclesiae doctrina, ac disciplina ubique illibata custodiatur ac servetur. »

Datum Romae die 15 Novembris 1858.

I. **CARD. ANTONELLI**

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. Matrimonia mixta iure ecclesiastico universim prohibita, iureque naturali improbata ob periculum perversionis, a S. Sede, rebus in variis locis id postulantibus, benigne permitti sub quibusdam conditionibus et cautionibus.

II. Cautiones, tamquam conditiones exigendae, sunt, ut coniux catholicus, qui curare tenetur haeretici coniugis conversionem, perverti non possit ab acatholico, atque ut universa proles omnino catholice educetur.

III. Per eiusmodi enim cautiones removetur, quoad possit, perversionis periculum, cuius causa, naturae iure matrimonia mixta improbata existunt.

IV. Ne iure ecclesiastico eiusmodi nuptiae probatae videantur, neque videatur Ecclesia in divinis cum haereticis communicare, prohiberi earundem celebrationem fieri intra ecclesiam et cum Parochi benedictione.

V. Urgentibus tamen rerum adiunctis iudicio sacrorum Antistitum esse caute remissam tolerandam adhibendi aliquam partem catholici ritus in eiusmodi nuptiis celebrandis, exclusa tamen semper Missae celebratione, ne forte haereticus coniux, ad tanti sacrificii fructus videatur admissus.

FA' S. CONGREGATIONE CONCILII TRIDENTINI.

PARTICULARITER A SS. D. N. DEPUTATA

MATRIMONII

Die 24 Ianuarii et 24 Martii 1871.

Compendium facti. Iuvenis Maria P. e dioecesi N. supplicavit SSmo Patri haec exponens: Antonius N, quum moliretur homicidium patrare in urbe A, eiusdem Antonii patria, ut exceptione loci evadere facilius posset poenam crimini debitam, ea urbe A relicta, se contulit in urbem B, patriam oratricis, eandemque oratricem uxorem petiit ac cum ea matrimonium coram Ecclesia celebravit die 18 Septembris 1861: accepta nuptiali benedictione Antonius illico reversus est in urbem A, facta uxori eiusque parentibus quam citissimi reditus promissione: illic autem homicidium consummavit; at poenam effugere non valuit: namque a militibus comprehensus et in carcerem coniectus, causa cognita, ad trirèmes perpetuo est damnatus.

Quum autem matrimonium mansisset tantum ratum, mulier, varia ratione decepta ad matrimonium cum tali viro contrahendum, postulabat solutionem a matrimonio rato et non consummato.

Hunc supplicem libellum allatum S. C. C Berfius Secretarius de more remisit ad Vicarium Capitularem (Sedes enim episcopalis vacabat) dioecesis N, per Rescriptum : « ***Vicario capitulari pro informatione et voto; referat de antecedentibus, concomilantibus ac subsequentibus celebrationem matrimonii, et praesertim quantum temporis a dicta celebratione mulier cum eo cohabilaverit et effluxerit a patrato crimine.*** »

Habita relatione Vicarii Capitularis, qui supplicem libellum plene confirmavit, hoc alterum Rescriptum prodiit: « ***Scribatur Vicario capitulari, qui praevia confectione processus tam super non***

sequuta consummatione matrimonii, quam super causis dispensationis, servata forma Constitutionis Benedicti XIV Dei Miseratione, ***cum facultate eliam subdelegandi, servatis servandis pro examine viri in loco ubi vinculis detinetur, de resultanti-bus certioret et processum transmittat ad S. Congregationem.***

Processu confecto iuxta Constitutionem Benedictinam eoque transmisso ad S. Congregationem Concilii, nonnulli defectus notati sunt; deerat enim testimonium, quod dicitur septimae manus, ex parte viri, quamquam non deesset confessio iudicialis viri in carcere suscepta. Extabat testimonium obstetricum non rite exceptum; namque non singulae seorsim testatae sunt, sed simul in eodem iudiciali actu et contextu. Quare Decretum prodiit : « ***compleantur acta processus per examen septimae manus ex parte viri et notificetur Vicario Capitulari, qui moneatur ut examina recipiat separatim, non vero globatim uti factum est in examine obstetricum. »***

Inde cura Vicarii Capitularis scribendi ad varios locorum Ordinarios, ut nosceret quonam in carcere detineatur in praesentia Antonius, eoque reperto, invitatus est Antonius ut designaret personas, quae super merito causae sui matrimonii examinari possent; qui tamen, interposita mora, nullas denique designavit.

His rebus S. Congregationi nunciatis, mandatum est die 10 Martii 1869 Vicario Capitulari, ut se verteret ad Curiam archiepiscopalem A (cui subiectus erat Antonius) quae veniam eidem Antonio pro nuptiis ineundis impertient, ab eaque peteret, ut aceito Antonii Parocho, designandas per eum personas, sive sanguine sive amicitia aut alia causa ipsi Antonio magis coniunctas, interrogaret et excuteret: eiusque rei acta ad ipsam S. Congregationem per eundem Vicarium Capitularem remitterentur.

Hisce actis per Curiam Archiepiscopalem A completis, et per Vicarium Capitularem N ad S. C. C. transmissis, Rescriptum de more prodiit: « ***In decretis sub die*** 15 ***Martii*** 1868 . » Consuetum enim Decretum ea die fuerat emissum iuxta praxim S. C. C. his verbis conceptum: ***ponatur*** (causa) ***in folio*** (1) , ***citata parte***

(1) *Ponatur causa in folio,* non aliud significat iuxta praxim S. Congregationis Concilii, nisi ut restrictus causae fiat ex universis adductis documentis, expositis etiam rationibus, quae a partibus **dedu.** cuntur vel ex officio exponendis. Hic causae restrictus typis imprimitur, et inde distribuitur Emis Cardinalibus iudi-

et defensore matrimonii ex officio. **Sed causa siluit, donec Mulier propriam paupertatem significaret; qua cognita reque delata ad SSmum Patrem in audientia a Rmo Secretario habita die 15 Iulii 1871 Rescriptum prodiit: «** ***SSmus benigne indulsit, ut causa proponatur oeconomice coram S. Congregatione cum voto Theologi et Canonistae f,t cum animadversionibus defensoris Matrimonii ex officio. »***

Hanc actorum seriem exposui, ut cognoscatur, quaenam sit S. Congregationis Concilii praxis, quae dici potest praeparatoria actorum in eiusmodi similibusque causis, antequam studium causae incipiat per vota consultorum et animadversiones ex officio conscribendas vel etiam per Procuratores et Causídicos, si causa oecouomice **non proponatur aut proponatur tantum ex officio. Quibus omnibus paratis iuxta causae indolem distribuuntur omnes scripturae typis cusae ad singulos Emos Iudices, decem diebus antequam in aedibus Vaticanis hi coadunentur, atque stata die coram eorum Congregatione causa discutienda et definienda proponitur. Interim, antequam causa proponatur, integrum est sivecausidicis sive partibus vel aliis quibusvis, quorum id interest, ad eosdem Emos Iudices accedere pro maiori causae informatione, ut usuvenit.**

Itaque ad causae meritum quod spectat, haec ex processu propius ad rem facientia, inter plurima habentur.

Mulier iurato examini subiecta atque interrogata, utrum vir

cibus eorumdemque auditoribus seu consultoribus, nonnullis diebus antequam iidem Effii iudices in Congregationem coeant ad causas sic paratas iudicandas. Eiusmodi causae (quae sunt fere omnes) dicuntur propositae *in folio,* ut distinguantur a supplicibus libellis gratiam plerumque respicientibus, quorum nonnulli solent in iisdem Congregationibus proponi: hi antea typis non tradebantur, sed legebantur per Remum Secretarium in S. Congregatione: modo tamen et ipsi per summa capita typis traduntur et fere pertractantur sicut causae *in folio,* adductis utrinque rationibus quae militant pro gratia concedenda vel neganda, quique dicuntur *Summaria Precum:* differunt a causis *in folio,* quod in calce non exhibeant dubiorum formulas.

Quaevis itaque causa, quae partibus utrinque contradicentibus definienda sit, vel sine partibus contradicentibus, sit tamen maioris momenti, quum per dictum restrictum proponatur, additis in calce dubiis, dicitur proponi *in folio.* Per hoc Decretum *ponatur in folio* causa transit in manum Auditoris Remi Secretarii, qui habet quandam iuvenum studentium coronam, qui causam concinnant et restrictum faciunt: atque per idem Decretum partes praeterea contendentes admonentur, vel admonitae intelliguntur de stadio,quod causa ingressa est,utsuae causae magis,si velint,consulere possint.

initis nuptiis signa amoris ei praebuerit, respondit: «matrimonio » contracto quin domum Antonius ingrederetur in ianuae limine » osculum mihi dedit atque discessit in suam urbem A, mihi di- » cens sc nonnullis post diebus rediturum, ut secum me duce- » ret. » Quaerebat autem eadem mulier matrimonii solutionem, tum quod decepta et coacta esset ab eiusmodi crudeli viro, ut ei nuberet; tum quod coacta a matre quoque esset; tum denique, quod modo resistere non posset carnis illecebris; ideoque ne Deum offenderet, matrimonii solutionem quaerebat.

Mulieris frater testatus est: « quum Antonius domum (uxoris » matrimonio celebrato) pervenisset coram familia curam suam » ostendebat, redeundi in urbem A: reapse discessit, hora aliqua » transacta. »

Alter testis interrogatus, quantum temporis mulier cum suo viro mansit? respondit: « paucas horas et deinde Antonius dis- » cessit in urbem A. »

Antonius ipse summo mane dum in ecclesia esset et praestola- relur adventum mulieris pro matrimonio contrahendo, Presbytero significavit « se, matrimonio contracto, illico proficisci debere. »

Supposita fuit iurato examini septima manus ex parte mu- lieris, atque testes seorsim interrogati fassi sunt, se tenere ma- trimonium non fuisse consummatum ; idque fassi sunt sive ex persuasione propria tantum, sive etiam ex aliorum persuasione, aducientes huius persuasionis causas, quod tempus defuerit, quod Antonius illico discesserit, quod omnes praesentes fuerint.

Medici autem et obstetrices, quamquam non seorsim, sed con- iunctim suum iudicium protulerunt, uno veluti ore mulieris virginitatem testati sunt. Haec ex processu constituto quoad mu- lierem.

Vir in carcere detentus et iuramento interposito examinatus historiam quamdam texuit, quae non cohaerebal cum confessione iudiciali mulieris, praesertim quoad ea,quae matrimonium praeces- serant; in hoc tamen eius confessio conveniebat, quod matrimonium non fuerat consummatum. Denique respondit: « numquam consen- » tiam, ut solvatur matrimonium coram Ecclesia et auctoritate » civili a me contractum: eo magis, quod praeter matrimonium, » ex se indissolubile, praecesserat quoque iuramentum, quo ad » invicem iuravimus perpetuam in vita nostra unionem. »

Septima manus ex parte viri, idest Antonii parentes, iudiciali examini subiecti, retulerunt, de matrimonio ab eo contracto deque subsequentibus rebus se nihil scire; eum vero fuisse iuvenem, qui sibi consulens, honeste viveret.

Disceptatio synoptiea.

Duo Consultores, tum Canonista tum Theologus in eandem opinionem devenerant existimantes matrimonium permanere tantum ratum, et causas suppetere consulendi SSmum Patrem pro eiusdem matrimonii solutione.

Theologus multa diligentia testium verba seorsim expendens, opinabatur non satis constare de non consummatione matrimonii, ex eo quod in actis nihil fere esse putaret, quod excluderet evidenter consummationem ob loci et temporis defectum: quare, ratione habita narrationis a viro facta, quae non cohaerebat, putabat, quoad haec rescribendum esse: ***dilata; et contestetur mulieri depositio viri, et coadiuventur probationes.*** Nihilominus satis acquiescebat testimonio obstetricum et peritorum, qui testati erant, Mariam in perfecto virginitatis statu reperiri. Quod obstetrices et Periti in uno iudicii actu unoque contextu deposuerit etsi defectus est, non tamen de substantialibus formae defectibus esse inquiebat.

In illis autem rebus, quas Antonius in iudiciali confessione narraverat, quae non cohaerebant cum confessione iudiciali mulieris ceterisque testimoniis, fidem habendam non esse Canonista inquiebat, quum homo esset facinorosus, proindeque nullius fidei.

Ad causas autem, pro rato matrimonio solvendo, quod attinet inter cetera Consultores adducebant grave fornicationis periculum, Sánchez ***de matr. lib.*** 2, ***disp.*** 16. Licet enim plures testes, quos inter Parochus, testarentur, Mariam inviolatam hactenus duxisse vitam, iidem tamen testes animadvertebant, eandem utroque parente nunc ornatam, suoque labore panem sibi comparare adactam, ipsaque in iudicio confitente, se carnis illecebris resistere non valere, continua versari inter pericula et insidias, quas ei quoque in praesentia parabat quidam dives quocum nimia fortasse familiaritate ipsa utebatur.

His quoque accedere animadversum est mutuas coniugum querelas, atque ex his proficiscens odium. Namque Maria signifi-

caverat diserte, se horrere eiusmodi virum, abominari et detestari, nec possibile esse ut se illi uniret homicidae a quo fuerat decepta. E converso, licet vir nollet matrimonium solvi, de sua uxore conquerebatur, quae curam non sumpserat ipsum ab ergastulo liberandi. Eo magis, quod vir adeo criminosus deinde extiterit, ut in carcerem coniectus novis criminibus se commaculaverit : ideoque merito comparandus viro contagioso, contagio superveniente, matrimonio nondum consummato.

Denique inter causas matrimonii rati solvendi recensetur impotentia superveniens, quia, ea posita, unus atque proxime intentus matrimonii finis per matrimonium non amplius obtinetur. In themate ..autem Antonius, perpetuo carceri mancipatus, tamquam impotens saltem considerandus erat.

Has causas sic loc. cit. describit Sánchez quaerens, quaenam sint causae iustae ut Pontifex despenset in matrimonio rato: respondit enim: « Secunda causa est gravis timor scandali magni futuri...
» Sic Felinus... Portius... Menochius... ubi cum Portio addit, hoc
» futurum scandalum esse ob fornicationis timorem, eo quod con-
» iuges valde sibi displiceant. Hinc fit, esse iustam causam, quan-
» do vir omni conatu quaerit uxorem repellere absque sanioris
» mentis probabili spe.... Quare Eugenius IV dispensavit ob
» odium, quod inter coniuges emerserat, ut refert Borgasius. Ter-
» tia causa est lepra alteri superveniens. Quia cum matrimonium
» ordinetur ad mutuum corporis usum ratione sobolisprocreandae
» et ardoris libidinis extinguendi, lepraque hunc usum impediat,
» ob magnum contagionis periculum, matrimonii finis non obti-
» nebitur. Hinc infertur, esse iustam causam impotentiam super-
» venientem ante matrimonium consummatum, qua cessat ma-
» trimonii finis. »

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS VINCULI. Vinculi matrimonialis defensor totus in eo erat, ut inculcaret non ostendi in themate impossibilitatem matrimonii consummandi, quum non ostenderetur, numquam Coniuges mansisse solos ante viri discessum: Mariam in confessione iudiciali mendacem sese osténdisse, quum fassa esset, virum, celebrato matrimonio, non fuisse domum eius ingressum, sed in ianuae limine illico discessisse; quod duo te»-stes contrarium dicerent, propterea quod nonnullas horas testati essent Antonium mansisse priusquam .discederet: atque ex eo

maxime, quod ipsemet Antonius in sua iudiciali confessione res aliter narrasset, quam mulier narraverat, quique deposuisset, se non eadem matrimonii die discessisse in urbem A, sed postridie.

Quoad causas vero matrimonii solvendi, in eo insistebat, quod non animo evadendi poenam praemeditati criminis contraxerit Antonius matrimonium, quasi vero per matrimonium in urbe uxoris celebratum studuisset sibi parare exceptionem peremptoriam per loci et temporis coarctationem: notum namque fuisse multis ex ea urbe discessisse: eo magis, quod, fatente viro, crimen sibi impactum patratum fuerit post mensem a matrimonio contracto: neque mulierem fuisse deceptam, cum diutini amores, ipso Antonio fatente, praecesserint, atque ipsammet mulierem aere Antonii ingenium satis novisse.

Unicam causam a muliere indicatam, quod carnis illecebris resistere non posset, non esse satis ad solvendum matrimonium undequaque rite contractum; ipsum enim esse institutum in mutuum vitae auxilium: curare proinde uxorem debere .auxilia suo viro ferre ob eum miserum statum, in quo innocenter fortasse Antonius versaretur etc.

« An sit consulendum SSmo pio dispensatione super matrimo-
» nio rato et non consummato in casu. »

RESOLUTIO. S. Congregatio Concilii, causa cognita, die 24 Ianuarii 1871, respondere censuit: *affirmative.*

Postulante difensore vinculi pro suo officio novam audientiam, eaque obtenta, causa reproposita est die 24 Martii 1871. In hac nova causae propositione vinculi Defensor in examen revocavit testimonium obstelricum atque eorum verba expendehs, curavit ostendere, harum testimonium facilitate nimia in favorem virginitatis fuisse emissum; namque signa in muliere reperta, post non breve annorum intervallum a matrimonio contracto, non talia fuisse inquiebat, quae omnimodam integritatem praeseferant.

Reproposita tamen causa die dicta, eaque iterum cognita, S. Congregatio respondit: *in decisis.*

Ex QuiDus COLLIGES:

I. In necessario causarum matrimonialium processu construendo in episcopalibus Curiis, apprime servandam esse Benedictinam Constitutionem, ***Dei miseratione,*** pro ea parte, quae causae conveniat.

II. Causis eiusmodi semper convenire solere, praeter deputationem defensoris vinculi matrimonialis, testimonium septimae manus tum ex parte uxoris, tum ex parte viri. Cum propinquis enim vel amicis vel vicinis matrimonialia negotia, tempore non suspecto, coniuges significare solent, vel per eos multa dignosci possunt, sive ex scientia propria, sive ex auditu, quae frustra apud alios quaereretur.

III. In solvendo matrimonio rato, duo ostendi apprime debere, et matrimonium manere tantum ratum et legitimas causas dispensationis suppetere.

IV. In themate multa testimonia simul iuncta, atque quoad substantiam consonantia, de discessu viri eadem die post contractum matrimonium, quin opportunitas consummandi matrimonii adfuerit, satis firmum constituere argumentum de matrimonio non consummato: cum quo cohaerebat obstetricum et peritorum iudicium.

V. Neque defuisse dispensandi causas, inter quas illa ultima certe non erat, quae, ex culpa viri, honestam puellam quodammodo reddiderat neque nuptam neque liberam (1).

(1) Confer causam Matrimonii quam retuli in *vol. I. p. ii 4 et seqq.*

IURIS TUMULANDI

Die 24 Martii 1871.

Compendium facti. In oppido N. die 29 Iulii 1869 obiit quaedam mulier nomine Rosa: postridie antequam eius cadaver efferretur, quaestio coepta est, in quo defuncta mulier sepelienda esset. Siquidem Aegidius quidam testatus est, se, duabus horis ante cadaveris delationem, coram Canonicis paroecialis et collegiatae ecclesiae stetisse, tribus attestationibus munitum, ut manifestaret voluntatem defunctae mulieris volentis se deferri in templum N. Ordinis Fratrum Minorum de Observantia: seque fuisse arroganter repulsum, quin ipsi Canonici legerent vel audirent, qui essent illi, qui haec testarentur. Hinc, nulla interposita mora, cadaver delatum est atque sepultum in ea paroeciali ecclesia.

Quum Franciscalis coenobii custos id non pateretur, ad episcopalem Curiam confugit, quae Regularium iura, prima fronte, tueri visa est. Sed, re in longum protracta, supplicem libellum obtulit S. Congregationi Concilii expostulans, ut cadaver Rosae defunctae exhumaretur e paroeciali templo et asportaretur in templum Regularium, sumptibus Canonicorum*,' praevia restitutione emolumentorum funerum.

His precibus acceptis, iuxta morem rogatus est Ordinarius pro informatione et voto, audito Capitulo eius collegiatae ecclesiae et transmissa particula synodi dioecesanae de his rebus dispo» nentis.

Ordinarius, prino a sua opinione mutata, adhaesit expositioni a Capitulo factae, inquit enim: « Expositio tum iuris tum facti » enarrata a Capitulo in praesenti causa non mihi spernenda » videtur. Et ratio potissima repetenda est ex eo, quod depositio » illa duorum testium nimis serotina et expiscata apparet; et » ideo in dubium revocata ob rationes a Capitulo allatas, vel » potius explicanda de sepulcro gentilitio cuiusdam Restituii, » quo defuncto, frui posse putabat, sicut et parentes ab initio sus- » tinebant eo tumulari debere. Etenim si revera extitisset haec

» formalis electio, profecto- parentes non latebat, ac statim eam » adduxissent coram Capitulo, potiusquam circa locum convenire. » Ab initio et ego dictae depositioni fidem praestiti et ideo af- » firmati ve Custodi dicti Conventus scripsi, sed audito Capitulo. » rem se aliter habere video. Addam quod, admittere indiscri- » minatim has depositiones, est contra leges sanitarias, quas ad » declinandas et in odium coemeteriis omnes has depositiones » sibi procuraren!. Particula vero Synodi ad rem faciens, sic se » habet: *Ne fraudi sit locus, sepulturae electio constabit vel scripto » eligentis, vel duorum testium fide vel unico ipsius Confessarii » testimonio, dummodo non sit pro sua ecclesia. Sub excommunica- ti tione Papae reservata interdictum est Sacerdotibus tum Regula- » ribus tum Saecularibus quempiam inducere ad vovendum, iuran- » dum, promitlendum, ut in suis ecclesiis eligat sepulcrum vel » electum non mutet.* »

Affirmabant praeterea Canonici collegiatae Ecclesiae, suam ecclesiam auctoritate, tum civili tum ecclesiastica, publicum coemeterium fuisse enunciatam.

Disceptatio syn&gttiea.

IURA CANONICORUM. Monebant Canonici Rosam repentina morte decessisse, quamquam diuturno morbo affecta erat: ita ut neque extremis Religionis sacramentis muniri potuerit.

Adducebant praeterea tres testes, qui die 4 Februarii 1870, testati sunt, postridie repentini obitus Rosae, eius parentes se contulisse ad Canonicum Parochum, eum aliosque Canonicos exorantes, ut permitterent, eius defunctae mulieris cadaver sepeliri in templo coenobii S. Francisci, promittentes, se daturos quaedam cerae aliaque nonnulla funeraria emolumenta Capitulo; quum defuncta mulier, dum vivebat, suam voluntatem non patefecisset ubi sepeliri cupere!, an in paroeciali ecclesia, communi coemeterio, vel potius in franciscali ecclesia.

His autem attestationibus deductis, mole sua ruere inquiebant Canonici adversas attestationes exordio litis expiscatas, quae Rosam sepulturam elegisse affirmarent.

Sed, facta etiam hypothesi, Rosam elegisse sepulturam, hanc electionem illegitimam esse contendebant: tum ex eo, quod anno 1859 Provincialis Franciscalis Ordinis id temporis prohibuit,

quominus in eo tempio cadavera humarentur, donec sepulturae essent expurgatae: ex qua prohibitione arguebant Canonici, Fratres renunciasse iuri sepeliendi: tum praesertim, quod collegiata ecclesia constituta fuerat commune coemeterium; quo constituto, cessassent sepeliendi iura in aliis ecclesiis.

IURA REGULARIUM. Compertissimi iuris esse, inquiebant Regulares, quemquam a iure non impeditum, posse sibi eligere sepulturam in quavis ecclesia ius sepeliendi habente. Inter eiusmodi ecclesias recenseri illas Fratrum Minorum, quibus ex speciali privilegio hoc ius competit, cap. ***Ubicumque,*** cap. ***Nos, de sepulturis,*** Extra vag. ***Super Cathedram.*** Nec secus statuisse synodum dioecesanam, quae ita quoque constituerat: ***Liberum est cuique sepulcrum eligere in ecclesia, quae iure tumulandi potiatur:*** hisque accedere peculiarem constantemque consuetudinem.

Neque aliquam iuris solemnitatem requiri, subdebant Regulares, ad ostendendam voluntatem eligentis sepulturam, sed sufficere simplicem probationem sive per scripturam propria manu exaratam, sive per Confessarii testimonium, sive per depositionem duorum testium; Ferraris ***Bibliotheca canonica verbo Sepultura,*** aliique; quibus consonat particula dioecesanae synodi.

Iamvero, in facto constare contendebant, Rosam antequam moreretur elegisse sibi sepulturam in templo Fratrum Minorum.

Sane adducebant plures testes omni exceptione maiores, inter quos virum eiusdem mulieris defunctae et filium, qui testati sunt, Rosam, in diuturna sua infirmitate, pluries voluntatem efficaciter patefecisse, se omnino sepeliri velle in templo Fratrum Minorum: qua de causa, si opus esset, vendi quoque deberet quidam fundus, ut eius voluntati fieret satis: hoc esse factum in eo oppido publicum, ita ut in disputationem deduci non posset.

Duos praeterea adducebant testes, qui declararunt, nullimode veniam se a Canonicis petiisse, ut defuncta mulier sepelietur in ecclesia Fratrum Minorum, sed annunciasse mortem, et patefecisse defunctae voluntatem.

His autem positis, prono alveo fluere, non modo cadaver exhumandum esse atque asportandum Canonicorum sumptibus; sed etiam funebria emolumenta, quae Canonicis obvenerant, Fratribus Minoribus esse restituenda, cap. ***Cum liberum, de Sepulturis,*** in quo Alexander III sic legitur scripsisse: « ***Ad audientiam no-***

stram pervenit ex conquestione Abbatis et Fratrum S. Marlini Laudonensis, quod cum Presbyter quidam corpus cuiusdam mulieris (prout in ultima voluntate disposuit) ad eandem ecclesiam sepeliendum deferret, Monachi S. Vincentii Laudonensis corpus ipsius violenter rapere et in ecclesia sua sepelire minime dubitarunt..,. Mandamus, quatenus si ita esse inveneritis, praefatos Monachos compellatis, ut ossa praefatae mulieris et beneficia, quae occasione sepulturae ipsius recepisse noscuntur, memoratis Fratribus cum ¿ntegritate restituant, et de caetero talia facere non praesumant. »* Huic iuris capiti multae SS. Congregationum Resolutiones consonant , quae his in adiunctis restitutionem cadaveris faciendam esse decreverunt: nec non in dioecesi, de qua agimus, dispositio dioecesanae synodi sic statuentis: « Quando extra propriam ec- » clesiam seu sepulcrum designatum tumulatum fuit cadaver, » si petatur, nostra accedente facultate, effodiendum est, ut suae » restituatur ecclesiae. Ii vero per quos haec iniuria lata fuit ple- » ctantur amissione cuiuscumque lucri percepti vel percipiendi » ex funere. »

Iussum Provincialis fuisse adimpletum, qui iterum iampridem praeceperat, ut sepulturae fieret locus: atque multa cadavera ab eo tempore humata ibidem fuisse Regulares adnotarunt.

Neque obstare civile Decretum, quo templum collegiatae ecclesiae declaratum erat commune coemeterium, quum nihilominus defuncti fideles qui elegissent sepulturam in templo Fratrum Minorum, semper in eo templo sepulti essent.

Quum itaque manifestum appareret, Rosam sepulturam elegisse in ecclesia Fratrum Minorum, quumque horum ecclesia iure sepeliendi gauderet, violata per Canonicos voluntate defunctae, exhumationi et restitutioni cadaveris esse locum, concludebant, «t funebria emolumenta a Capitulo percepta restitui debere.

His deductis proposita sunt resolvenda

Dubia

I. « An et ad quem spectet ius tumulandi ex funeris in casu»

» Et quatenus affirmative favore Fratrum Minorum de obser- » vantia. »

II. « An sit locus exhumationi et restitutioni cadaveris et » emolumentorum in casu. »

RESOLUTIO. S. Congregatio Concilii die 24 Martii i871 respondere censuit.

Ad I. ***Affirmative favore ecclesiae Fratrum de Observantia.***

Ad II. ***Quoad emolumenta affirmative, detracta quarta funera» ria; quo vero ad exhumationem cadaveris ad mentem: et amplius.***

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. In facultate fidelium esse plenissime positam sepulturae electionem in sacris locis, in quibus ius sepeliendi exercetur.

II. Eiusmodi electionem absque ulla iuris requisita solemnitate per duos testes posse probari; vel etiam per unum Confessarium, dummodo in suum commodum non testetur.

HI. Eos, qui praesumant violare electam sepulturam, alio in loco cadaver sepelientes, damnari debere propriis sumptibus, debita pompa, ad cadaveris restitutionem in sepulturam electam et omnium emolumentorum.

IV. In themate praesumptionem huius violationis non videri intervenisse: sive quod non satis voluntas defunctae mulieris initio esset Canonicis patefacta, sive quod sui,) umbra publici coemeterii praesumptio aliquo modo tecta maneret.

V. Quare aequum esse iudicatum, ut funebria emolumenta cederent ecclesiae Fratrum Minorum, subducta quarta funeraria pro ecclesia paroeciali (1).

(1) Mens S.Congregationis circa exhumationem cadaveris secreta mansit, fortasse ob politicas vicissitudines: quum enim oppidum illud recenter invasum a Subalpino Gubernio esset, prudentia duce, existimatum non est, iubere exhumationem cadaveris, ut voluntas defunctae impleretur. Haec enim exhumatio cadaveris iuberi potuisset, etsi praesumptio sepeliendi ex parte canonicorum deesset: per eam enim exhumationem executioni mandabatur voluntas defunctae mulieris, non obstante lege communis coemeterii, quae in eo oppido lex mortua manserat. Notum enim est in iure, quanti in materia funerum facienda sit observantia seu consuetudo.

ALIENATIONIS ET REDUCTIONIS MISSARUM

Die 8 Februarii 187i

Summaria precum• Pia mulier suo testamento anno 1749 legatum Missarum instituit (ex tabellionis fide; deest enim testamenti particula) his fere verbis; « reliquit pro capellanía perpe-
» tua laicali gentilitia, favore Bernardi N. eiusque filiorum, ma-
» scutorum- et descendentium in infinitum, fundum L, ex cuius
» fructibus celebrari deberent Missae pro anima sua etc. constituta
» elemosynae quantitate pro singulis Missis; eaque capellanía erigi
» deberet illico post suam mortem. Disposuit etiam, quod si inter
» Bernardi descendentes non esset Presbyter vel Clericus, praeter
» retur primogenitus aut descendens masculus laicus, qui onere
» earum Missarum gravaretur cum determinata eleemosyna aut
» cum Presbytero conveniret de Missis celebrandis cum congrua
» eleemosyna: quod autem superesset sibi proprium faceret. »

Quamvis ex huiusmodi institutione in praesentia unus primogenitus frui debere videretur legato pio: attamen quatuor fratres fructus fundi L percipiebant atque pro rata portione onera Missarum erant divisa.

Quum vero tres horum fratrum maxima premereutur inopia, quorum unus innocens in vincula coniectus fuerat, contigit, ut onera Missarum negligerentur. Facta autem ab usurpatore Italico Gubernio libertate redimendi fundos iurispatronatus eosque alienandi, unus ex fratribus supplicem obtulit libellum SSmo Patri petens facultatem alienandi fundum pii legati, ut succurreret maximae fratrum inopiae; simul declarans, se paratum esse ad obligationem emittendam coram suo Ordinario pro accurato implemento Missarum, quae suam ratam partem respicerent, eoque a suis quoque haeredibus exigendo. Pro tribus aliis partibus quae sine spe implementi a caeteris tribus fratribus ratione inopiae omittebantur, supplicabat pro congrua reductione, semet obligans suosque haeredes ad implementum harum Missarum congrue reduc tanim.

Rogato de more Ordinario pro informatione et voto, atque ut referret de annuo redditu et oneribus legati, nec non de legitima petitae dispensationis causa; constitit vera esse, quae exposita fuerant, atque fundum L, omnibus subtractis oneribus, in praesentia reddere ducata annua 51. Suam autem sententiam Ordinarius significavit Oratori favorabilem.

Animadversiones ex officio factae

Ex expositis precibus, ut patet, duplex gratia ab oratore petebatur: idest tum alienandi fundum pii legati, tum habendi Missas numero reductas.

EA, QUAE ANIMADVERSA SUNT PRO NEGANDA EXAUDITIONE PRECUM. Quum ad erectionem capellaniae laicalis non interveniat formalis Episcopi auctoritas, disputatum esse a doctoribus, an eiusmodi capellaniae bona alienari possint absque causis et solemnitatibus, quae in alienatione bonorum Ecclesiae requiruntur. Saniori parti visum esse requiri Apostolicum Beneplacitum, propterea quod hisce bonis adhaeret causa pia: eaque proinde inter bona ecclesiastica fere recensita esse, atque eorum alienationem prohibitam sine consuetis causis canonicis, idest sine necessitate vel evidenti ecclesiae utilitate et sine Apostolico Beneplacito iuxta Extravagantem ***Ambitiosae:*** quibus et altera extraordinaria causa potest accedere, quae est pietas in christianam plebem, ut tempore pestis vel famis etc.

Hisce autem positis, cum in themate neque necessitas vendendi fundum appareret neque evidens ecclesiae utilitas, concludebatur non videri locum esse alienationi fundi.

Neque causam pietatis locum habere; quum non ageretur de christiana plebe quae versetur in urgentibus rerum adiunctis; sed de patronis egenis, quibus alia ratione in iure consultum sit, idest ex redditibus, non fundorum alienatione ceu passim tradunt doctores. Eo magis in themate, propterea quod fundi venditio quadripartita vix aliquod temporaneum levamen egenis patronis tribueret.

Haec, quae de alienatione sunt animadversa, militare quoque <si notatum pro reductione Missarum; ex ea praesertim ratione, quod defunctorum voluntates omnino sint servandae, neque S. Sedem

sine iusta et rationabili causa eisdem derogare, *Clementina, Quia contingit* 2 *de Religiös, dom.* Conc. Trid. *sess. l'i. c.* 6 *de Ref.* Eo magis in themate in quo agebatur de absolutione quoad praeteritas omissiones et de reductione perpetua. Unde, iuxta praxim, expedire potius concludebatur, si temporanea onerum suspen^sio concederetur, ut in *Messanen. Reductionis onerum,* 11 Ianuarii 1777; in *Nucerina Paganorum,* 5 Septembris 1778 et passim.

EA, QUAE SUNT ANIMADVERSA PRO EXAUDiENDis PRECIBUS. Consideratum e converso est, non infimi subsellii doctores esse, qui teneant bona capellaniae laicalis aliave similia bona sine solemnitatibus canonicis posse alienari, idest sine Beneplacito Apostolico, Jmmo etiam sine Episcopi venia: vid. Card. Petra *ad Const. Ambitiosae sect.* 3 *n.* 26, quam sententiam non omnino reiectam videri a S. C. et a S. Rota, ut in *Forosempronien,* die 26 Martii 1831 *§. Quamquam;* in *Fossanen.* 18 Decembris 1847; et S. Rota in *Romana Laudi, decis.* 140, die 4 Iulii 1692 §. 2 *coram Caprara;* et in *Romana seu Senen. Nullitatis contractus* 3 *Iunii* 1859 *n.* 12 *coram Serafini.* Quamvis autem haec sententia inconsulta videri possit, ostendere nihilominus horum bonorum alienationem multo facilius posse concedi, neque nimia scrupulositate de alienationis causis inquirendum, prout fieri necesse est, ubi de bonis vero sensu ecclesiasticis agitur.

Eo magis in themate, in quo ex proposita fratris obligatione, per venditionem fundi, et succurreretur patronis egenis, et consuleretur satis oneri Missarum, cui pauperrimi patroni, in conditione in qua versantur, satisfacere non possent.

His aliisque animadversis, rebusque propositis io S. Congregatione die 28 Februarii 1871 responsum prodiit quod sequiair.

« Quoad alienationem fundi negative ; sed attentis peculiaribus circumstantiis, praevia decem Missarum celebratione, iniunctisque iudicio Ordinarii tàm Oratori, quam eius fratribus piis precibus per modum suffragii, pro gratia absolutionis et condonationis super praeteritis Missarum omissionibus; nec non pro gratia reductionis ad annuas Missas vigintiquatuor ad quinquennium, docto quotannis etc. (1), *facto verbo cum SSmo. »*

(1) **Eiusmodi clausula,** *docto quotannis etc.* **in haec verba recidit,** *docto quotannis Ordinario de celebratione hac Missarum* ***exsecutioni mandata*** *per patronos:* **idest Patroni reddere debent quotannis Ordinario rationem, seu Ordinario manifestare exsecutionem praesentis Rescripti.**

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I Bona capellaniarum laicalium ecclesiastica dici non posse, eo videlicet sensu, quo ecclesiastica dicuntur bona Beneficiorum, Episcopatuum, ecclesiarum, monasteriorum etc. et quae eisdem accedant et incorporentur.

II. In capellaniis enim laicalibus non intervenit formalis Episcopi vel S. Sedis auctoritas qua erigantur, puta per haec vel similia verba, ***auctoritate nostra erigimus, constituimus hanc ea pellaniam eique haec et illa bona perpetuo adsignamus*** etc. quo auctoritatis Decreto bona evaderent ecclesiastica: quamquam intervenire solet episcopalis auctoritas tamquam ratum habens quod pius fundator constituit.

HI. Ex carentia formalis episcopalis Decreti, non posse deduci eadem bona pro libito posse alienari.

IV. Namque alter subintrat universalis canon: ***pias fundatorum vel morientium voluntates, tamquam supremas leges, esse sancte servandas:*** ex quo alter dérivât: ***Episcopus est exsecutor natus omnium piarum voluntatum*** **(1).**

V. Sunt ergo bona inalienabilia non quia ecclesiastica in exposito sensu: sed quia inalienabilia fundator fecit per piam perpetuam causam, cum qua sua determinata bona coniunxit.

VI. Quare, etsi eiusmodi bona non subsunt solemnitatibus extravagantis, ***Ambitiosae*** (2), non possunt tamen alienari sine apostolico Beneplacito ob resistentem voluntatem pii fundatoris.

(1) Confer quae scripsi in *Vol. II pag. 369 et seqq.*

(2) Confer Barbosa *de Potestate Epi' scopi, par. 3 alleg. IS nn. 3* ***i*** *et 32;* Card. De Luca *de Aliénât, disc,* ***i*** *n. 12; disc. 60 n. 3 de Iurisdictione,* cum plurimis auctoritatibus ab eis allegatis. Distinguunt hi auctores inter loca pia et loca ecclesiastica: pia tantum dicunt, quae ad piam causam destinantur, ut piae confraternitates, hospitalia, collegia etc. in quibus si non interveniat formalis Episcopi erectio, de qua supra dixi, eorum bona non censentur ecclesiastica; ideoque non subsunt *quoad alienationem* extravaganti Pauli II *Ambitiosae, de Reb. Eccl. hon alien.* Quum autem ratio cur haec bona non subsint, quoad alienationem, dictae extravaganti sit carentia ecclesiasticae erectionis: maiori ratione idem dicendum est de capellaniis laicalibus, quae dictam erectionem ex votan tate fundatoris excludunt.

DIViONEN.

Bealißcationis et Canonizationis Servae Dei Sororis Margaritae a SSmo Sacramento Monialis Professae Ordinis Carmelitarum Excalceatorum.

« Quam ope diligentiarum **in** causa Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Margaritae a SSmo Sacramento praefatae collecta fuerint scripta ab ipsa exarata; eadem una cum Processiculo hac super re confecto ordinaria Auctoritate in Curia ecclesiastica Divionensi Romam ad Sacram Rituum Congregationem transmittere **Curavit** Rmus hodiernus Episcopus Divionensis: elenchus autem ipsorum scriptorum est sequens.

» i. Scripta ipsa in quinque fasciculis exempla ta sunt, eorumque concordantia vel cum autographis vel cum exemplaribus iuridice constat. Fasciculi autem ipsi biscentum super octodecim paginas continent. In exteriori parte primi fasciculi habentur haec verba: ***Recueil des écrits de la sœur Marguerite.*** Et post n. 1. haec alia: ***L'ordre des devoirs et obligations des Domestiques*** etc » videlicet designantur per verba tum initii tum finis singuli fasciculi: ac denique subsequitur decretum his verbis:

« Quum vero Emus et Rmus D. Card. Ioannes Baptista Pitra huius Causae Ponens in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis retulerit a Theologis a se deputatis nihil inveniri in scriptis supra relatis quod ulteriorem causae ipsius cursum praepedire posset: Emi et Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, audito eham voce R. P. D. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore rescribendum censuerunt: ***Nihil obstare quominus procedi possit ad ulteriora: reservato tamen iure Sanctae Fidei Promotori obiiciendi si et quatenus de iure.*** Die 2 Septembris 1871.

» Facta postmodum de praemissis SSmo D. N. Pio Papae IX fideli relatione per infrascriptum Secretarium Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis in omnibus ratum habuit et confirmavit. Die 7 eisdem mense et anno. »

C. Ep. Ostien. et Velitern. Card. **PATRIZI** S. R. C. Praef.

Loco Sigilli

D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

THRONEN

« Postquam Rmus D. Iosephus Hippolytus Guibert, Archiepiscopus Turonensis, a SSirio D. N. Pio Papa IX impetravit confirmationem Cultus publici ecclesiastici ab immemorabili praestiti Beatae Ioannae Mariae de Maillé (1) illico iteratis humillimis precibus postulavit ut de hac ipsa Beata a clero Archidioeceseos suae ritu duplici minori die XXVIII Martii persolvi valeat Officium cum Missa de communi non Virginum, additis Oratione et Lectionibus secundi Nocturni propriis, quae singula approbationi SS. Rituum Congregationis subiecit. Quum itaque Emus et Rmus D. Cardinalis Aloisius Bilio, huius causae Ponens, novas has preces retulerit in ordinariis SS. Rituum comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post accuratum omnium examen, auditoque R. P. D. Petro Minetti, sanctae fidei Promotore rescribendum censuere: ***Pro gratia, et ad Emum Ponentem cum Promotore fidei.*** Requisita demum revisione peracta a praedictis Cardinali Ponente et fidei Promotore, propositas Orationem et Lectiones, uti supra correctas et ordinatas, S. Congregatio approbavit, concessitque ut a Clero Turonensi saeculari et regulari, dioecesano Kalendario utente, legi ac recitari valeant in Officio et Missa de communi non Virginum in Festo Beatae Ioannae Mariae de Maillé peragendo die XXVIII Martii, ritu duplici minori. » Die 2 septembris 1871

C. Ep. Ostien. et Velitern. Card. PATRIZI S. R. G. Praef.

Loco ^ Sigilli

D. Bartolini S. Pi. C. Secretarius,

(1) Hoc Decretum habes expositum pag. 365.

TURÓNEN.

« SSmus D. N. Pius Papa IX, referente subscripto ss. Rituum Secretario, ad enixas preces Rmi D- Iosephi Hippolyti Guibert, Archiepiscopi Turonensis, de speciali gratia benigne annuit, ut in Appendice ad Martyrologium Romanum, in usum Archidioeceseos Turonensis, inseri valeat sequens elogium in honorem B. Ioannae Mariae de Malliaco, ab Emo et Rmo D. Cardinali Aloisio Bilio et R. **P.** D. Petro Minetti, s. Fidei Promotore revisum et correctum, nimirum.

QUINTO KALENDAS APRILIS

Turonibus Beatae Ioannae Mariae de Malliaco, quae nobili genere nata, sponsoque viduala cum quo, ut fertur, virgo permanserat, tertio Ordini S. Francisci nomen dedit, donec virtutum omnium et miraculorum gloria florescens, octoginta et duos annos nata ad Deum migravit (i).

» Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 14 septembris 1871. »

C. Ep. Ostien. et Velitern. Card. PATRIZI S. R. C. Praef.

Loco gg Signi

D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

(1) Per praeclaras litteras circulares ad suum Clerum et populum Ríñus Archiepiscopus Turonensis, annuntians eisdem inventionem inspiratam sepulchri S. Martini, haec quoque Decreta S. R. C. solemniter promulgavit cum Lectionibus et oratione indicatis adprobatis de Beata Ioanna Maria de Maillé, atque soleinne festum pro gratiarum actione in ecclesia cathedrali celebrandum indixit.

EX SECRETARIA BREVIUM

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS SSMUS PATER, IN TANTA RERUM PUBLICARUM CALAMITATE, EXORTAS FIDELIUM SOCIETATES, PRAELIANTES PRAELIA DOMINI, LAUDAT, ERIGIT, INFLAMMAT, UT OMNES SIMUL FOEDERE INITO CHARITATIS VINCULIS EFFICACIUS UNGANTUR.

PIUS PP. IX.

Ad futuram rei memoriam.

« Maximas sine intermissione in humilitate nostra reddimus grates Deo, et Patri Domini Nostri Iesu Christi, Patri misericordiarum, et Deo totius consolationis, qui in tanta tribulatione nostra, tantaque amaritudine allevat dolorem nostrum suscitans in filiis suis spiritum pietatis et orationis, spiritum charitatis et fortitudinis, ut tot malis ex acerrimo potestatis tenebrarum in catholicam religionem bello opportuna per eos obiiciantur remedia. Deo enim acceptum referimus mirabile illud ubique terrarum studium et Christifidelium ardorem, quo hi voluntate unanimes praeclarissima fidei ac pietatis edunt specimina, et omni ope, opera, et industria, iniquitatis torrenti quasi murum se opponunt, nihilque reliqui faciunt, ut fidei integritas servetur, et fidelis populus crescat in scientia Dei, et in omni opere bono fructificat, uberioribusque coelestis gratiae auxiliis munitus a perversis inimicorum Ecclesiae doctrinis constantius abhorreat. Acceptas quoque Deo referimus utilissimas Societates initas, quae aliae aliam in tot Ecclesiae necessitatibus sibi deposcentes provinciam quasi acies instructae praeliantur praelia Domini, et malitiosorum hominum conatus egregiis operibus retundere atque evertere student, impiorumque latebras prodere, et ipsum in eis, cui miserrimi serviunt, diabolum debellare. Quae omnia laudis praeconio digna et calamitosis hisce temporibus opportunissima pluries per

nostras Litteras summopere commendavimus, easdemque societates spiritualibus privilegiis auximus et indulgentiis, et ad maiora in dies e re catholica et sempiterna animarum salute in miserrima hac rerum omnium conversione atque errorum caligine praestanda inflammavimus. Idque praesertim erga eas societates praestitimus, quae in hoc alma Urbe nostra constitutae sunt, quaeque Romani populi pietatem, atque illius in hanc Sedem Apostolicam fidei studiique constantiam praeclarissime testimonio confirmant. Enimvero antequam Alma Urbs, Sedes Beati Petri ac Universi Catholici Orbis Caput in miserrimam et infelicem, in qua nunc est, conditionem sacrilegis armis nefariisque machinationibus redigeretur, iam contra impiorum hominum insidias et molitiones cum sodalitas ad pestiferam malorum librorum et ephemeridum lectionem amovendam, tum romana cohors catholicae Iuventutis, quae S. Petri circulus nominatur, constitutae fuerant. Capta autem urbe, nobis ipsis sub hostilem dominationem redactis, impietatis malitiaeque colluvie exondante, Romanorum civium pietas latius elucere coepit. Nam non modo memorati coetus novis veluti aucti viribus, sed aliae longe ampliores sive catholicis rebus provehendis, sive bonis operibus promovendis institutae sunt societates, nec minori cum laude initae et pia Catholicarum mulierum unio, et societas a praeliis pro Sancta Sede Apostolica pugnatis, et sodalitas a continuis supplicationibus, et coetus cultorum bonarum artium atque operariorum de mutua charitate, et Societas promovendae bonorum librorum diffusioni, et sodalitas a pio ancillarum patrocinio, quae omnes in bonum rei catholicae summo studio, sanctaque aemulatione allaborant, uberesque plane fructus iam contulerunt. Verum temperare nobis non possumus, quin piis huiusmodi societatibus amplissimis gratulemur verbis, quod hae consilio a societate ad quaecumque bona opera promovenda proposito ultro libenterque annuentes foedus iniverint, quo, unitate spiritus in vinculo pacis charitatisque servata, societates ipsae suo singulae instituto integre inhaerentes ad fidem defendendam, Ecclesiae iura asserenda eiusque libertatem vindicandam collatis consiliis et viribus conspirent. Hoc scilicet vinculo arctius inter se colligatae, ut p"imi credentes, quorum erat cor unum et anima una, contra adversariorum impetus terribiles, velut acies ordinata

dimicare pergant. Porro ob magnam quum ex virium unione fidelibus et Ecclesiae universae nobis in tanta rerum perturbatione pollicemur utilitatem in Domino confidimus fore, ut ceterae societates omnes ubique, praesertim vero per Italiam institutae, quarum praecipuum est aerumnosis hisce temporibus qua supplicationibus ad Deum assiduis, qua recta et christiana adolescentium institutione, qua scriptis aliisve bonis cuiusque generis operibus perversae saeculi iniquitati pro virili parte occurrere et obsistere, concordibus animis unitisque viribus incedere satagant, Romanisque societatibus ad bonum certandum certamen et ipsae unico foedere iungantur. Hisce denique Litteris vehementer pias societates huiusmodi tum quae foedus iniere, tum quae iis erunt accessurae, tum fideles omnes hortamur et obsecramus, ut in hanc Sanctae Sedis petram, unicum salutis Pharum intueantur, eiusque infallibili obsequantur magisterio, sacrorumque Antistitibus gratiam et communionem eiusdem Sedis Apostolicae habentibus reverentiam et obedientiam exhibeant, utque non sua, sed quae Iesu Christi sunt, omnino quaerentes id unum summo studio et alacritate contendant ut fides nostra, quae vicit mundum integre atque inviolabiliter servetur, utque depulsis errorum tenebris, eversaque flagitiosorum hominum in Christi religionem praeliantium audacia, catholica Ecclesia triumphet. Nos pro certo et explorato habemus huiusmodi societates charitatis et pietatis vinculo studiosissime inter se devinctas id cumulate praestituras esse, atque in certam erigimur spem ut Deus respiciens ad filiorum suorum vota, lacrymas, ieiunia, eleemosynas et preces iram in misericordiam propitiato convertat, et impii confiteri cogantur fideles Deum protectorem habere, et ob id ipsum inviolabiles esse.

» Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXIII Februarii 1872. Pontificatus nostri anno vicesimosexto.»

Card. PA R ACCIAISI CLARELLI.

EX S, CONGREGATIONE CONCILI! TRIDENTINI

A. SSMO D. N. PARTICULARI TER DEPUTATA

SUPER IURE CONCEDENDI LITERAS

Die 22 Iunii 1871.

Compendium facti. Extat in urbe archiepiscopali N. ecclesia collegiata sub titulo S. Michaelis, in qua olim erat Prioratus et Conventus Regularium. Ad collegialitatis honorem eam evexit Leo X per Bullam die 28 Iunii 1518, eamdemque decoravit Decano cum novem Canonicis totidemque Capellanis

Praeterea idem Pontifex, expresso privilegio, eam ab Archiepiscopi iurisdictione exemit, et Apostolicae Sedi immediate subiecit his verbis: « ***Ecclesia et eius bona quaecumque, nec non Decanus, Canonici, Capellani, Clerici et personae quaecumque eiusdem ecclesiae tam in Beneficialibus, spiritualibus.... quam aliis quibusque causis.***... a ***loci Ordinario et aliis quibuscumque tam ordinaria quam delegata et mixta auctoritate fungentibus.. .. exempta et exempti... et Decanus Sedi Apostolicae dumtaxat, Canonici vero et Capellani et Clerici.... Decano et Sedi Apostolicae dumtaxat subiecta et subiecti quoad omnia existant.*** »

Die 29 Septembris anno 1667 quaedam Congregatio a Clemente IX fuit specialiter deputata, quae, expositis litteris innixa, pluribus discussis quaestionibus, declaravit, Decanum in dicta ecclesia ac super eius personis et bonis esse Ordinarium, ita ut in eadem ecclesia et super eius bonis quibuscumque nec non Canonicis Clericis et personis earumque familiaribus iurisdictionem ordinariam obtineret tam in beneficialibus, quam in aliis quibuslibet causarum generibus.

Hoc ineunte saeculo gallicum Gubernium eam Collegiatam suppressit; sed, restituta pace, in pristinum revocavit Pius VII cum omnibus suis privilegiis.

Adolescens Ignatius eiusdem urbis N. in Seminario huius

exemptae ecclesiae collegiatae educabatur ad statum clericalem; quique primam tonsuram et minores ordines inde ab Archiepiscopo suscepit. Sed dum complebat annum scholasticum anno 1867, sine ulla Archiepiscopi venia ex ea urbe et Archidioecesi perpetuo discessit.

Postea cognovit Archiepiscopus, Ignatium secutum esse domicilium, quod pater eius iam ab anno 1861 in alia dioecesi L constituerat, atque dicto anno 1867, ab Episcopo Administratore eius dioecesis L, ordine Subdiaconatus fuisse initiatum atque inde Diaconatus et Presbyteratus. Immo eundem Administratorem (qui tamen facultate erat munitus ordinandi quendam Clericorum numerum sine s. Ordinationis titulo) Ignatium ordinasse sine titulo sive Beneficii sive Patrimonii.

Haec noscens Archiepiscopus sciscitatus est a Curia ecclesiastica L, in quam Ignatius cum patre transierat, quo iure ordinari ibidem potuisset Ignatius, Curia Archiepiscopali N penitus inconsulta, atque in responso habuit litteras quasdam specie tenus remissoriales seu excardinatorias quas Ignatius obtinuerat a Decano Collegiatae ecclesiae, quibus permittebatur Clerico Ignatio, ***ut ad illam Dioecesim transeat ubi eius parentes commorantur.*** Haec epistola erat tenoris qui seguitur : « Ex » litteris tuis die 13 huius mensis Iunii ad nos perdatis intel- » leximus pluribus ex causis animum tuum moventibus, te induci » ad hoc Seminarium Decanale deserendum*, et insuper ad re- » nunciandum illi Beneficio, quod in huiusmodi collegiali eccle- » sia s. Michaelis N obtinebas. Nos itaque causas illas quas in- » dicasti validas esse et iustas agnoscentes, noa possumus quidem » non permittere, ut ex huiusmodi seminario ad illam Dioece- » sim transeas, ubi tui parentes commorantur. Declaramus etiam » eam nos renunciationem recipere, quam protulisti, beneficii)i quod in nostra Collegiali ecclesia possidebas. Testamur prae- » terea te per septem annos, quibus inter alumnos seminarii » nostri adnumeratus es, studiis Grammaticae, Rhetoricae, Phi- » losophiae atque Theologiae sedulam operam navasse et vitae » morumque honestate ornari et tonsuram ordinesque minores » omnes in hac dioecesi N legitime suscepisse. In quorum fi- » dem etc. »

Praeterea exhibita fuit quaedam privata declaratio Parochi,

cui antea subiectus erat Ignatius, in qua legebatur, publicationes factas esse ***inter Missarum solemnia,*** quibus denunciatum fuerat, acolythum Ignatium, ***incardinatum Clero dioecesis L,*** recepturum esse Subdiaconatum, nullamque exhibitam esse oppositionem.

Archiepiscopus N, qui haec S. Congregationi Concilii inde retulit, non omisit animadvertere, Decanum collegiatae ecclesiae, qui est Praelatus exemptus secundi vel tertii generis numquam sibi facultatem sumpsisse dandi ***dimissoriales*** litteras pro suis clericis ordinandis, dare tamen ab aliquo tempore suis Ecclesiasticis viris litteras ***discessuales,*** quarum exemplum in medium Archiepiscopus deducebat, quod est tenoris qui sequitur.

« Decanus N. et Ordinarius Collegiatae insignis ecclesiae » **S.** Michaelis... Protonotarius Apostolicae S. Sedis et eidem » Sedi immediate subiectus.

«r Dilecto nobis in Christo... Canonico collegiatae insignis » ecclesiae s. Michaelis... salutem in Domino sempiternam. Quum » iustis ex causis, sicut nobis exposuisti, extra hanc Dioecesim N » te conferre et commorari exoptes et idcirco licentiam nostram » requisiveris, nos votis tuis benigne in Domino annuentes pe» titam licentiam et facultatem ad mensem concedimus atque » impertimur. Insuper fidem facimus ac testamur omnibus et » singulis hasce literas nostras lecturis, te esse Sacerdotem sae» cularem, sacrosanctum Missae sacrificium publice celebrasse » et celebrare posse et numquam fuisse de ullo crimine nota» tum, numquam ulla ecclesiastica censura, aut alio canonico » impedimento, quod Curiae nostrae decanali innotescat, irre» titum.

» In quorum fidem praesentibus Uteris sigillo nostro muni» tis manu propria subscripsimus. N. N. ex aedibus Decanalibus » die....»

Antequam Archiepiscopus controversiam moveret rogavit votum a sua Congregatione Pro-synodali, quod eruditum votum transmisit ad S. C. C. de quo nonnulla infra referam.

His aliisque deductis, Archiepiscopus, quin ius Decani negaret permittendi ecclesiasticis viris ab eo dependentibus, ut ab ecclesia collegiata et a divinis officiis discederent, a S. Congregatione Concilii quaerebat: potest ne Praelatus sine territorio

separato concedere litteras ***discessuales*** pro aliis dioecesibus sub indicata forma sine consensu Ordinarii dioecesani ?

Habitae eiusmodi Archiepiscopi litterae de more remissae sunt tum Administratori dioecesis N, tum Decano ecclesiae S. Michaelis, ut si quid super quaestione ab Archiepiscopo N proposita exponendum haberent, opportune exponerent, suamque senten am aperirent.

Hodiernus Administrator dioecesis L illico rescripsit, Ignatium non a se, sed a praedecessore suo, qui decessit, fuisse initiatum; ideoque agi de re quae suae personae non interesset. Constitit etiam, S. Poenitentiariam per rescriptum tam Episcopum ordinantem quam ordinatum, qui, suppresso nomine, ad ipsam confugerant, in foro interno a censuris et irregularitate forte contracta, absolvi mandasse.

Decanus S. Michaelis multa in sui defensionem conscripsit. Ante omnia conquestus est, quod se non monito, post aliquot annos clanculum Archiepiscopus quaestionem obmoverit: monuit, Ignatii patrem ad Curiam Archiepiscopalem sese vertisse tum quum de filii ordinatione res erat, ex eaque responsum habuisse, ad Ordinarium s. Michaelis literas necessarias dare pertinere: seque ideo literas dedisse, sed ita conceptas, ut solummodo constaret, Ignatium a Seminario non expulsum, sed iustis de causis discessisse, eundemque Beneficio, quod in Collegiata obtinebat renunciasse, studiorum cursum in seminario s. Michaelis confecisse, ac minoribus ordinibus esse praeditum.

Per ea vero, quae in epistola subdiderat, eo se spectasse, ut ostenderet, Ignatium in Dioecesi N bona non amplius habere; verum ac perpetuum patris domicilium uti pedisequum acquisivisse; idque non ab efficacia suarum literarum, sed ab ipsa iuris dispositione esse repetendum; literas a se concessas neque •^***missoriales*** dici posse, quod nullum in his fieret verbum de facultate ordinandi, neque ***remissoriales,*** quod tantum docerent Ignatium a sua subiectione excidisse.

Denique totam praesentem quaestionem ad hanc dubitandi formulam perstringebat: « An Decano et Capitulo Collegiatae » (nam exemptionis privilegium Capitulo et Decano promiscue » datum fuit) s. Michaelis, quae etsi separatum territorium non » habet, a iurisdictione tamen Archiepiscopi N est exempta,

» liceat, Archiepiscopo inconsulto, dare ecclesiasticis viris sibi » subditis, curam animarum non habentibus literas diseessuales » per aliquod tempus, non quidem ad ordinationem recipiendam, » sed iustis aliis quibuslibet de causis. »

Disceptatio synoptica

DEFENSIO DECANI. Inter rationes, quas Decanus in sui defensionem adducebat hae recensentur. Animadvertit, Collegiatam ecclesiam s. Michaelis, etsi separatum territorium non habet, et intra dioecesim N reperitur, non esse tamen de dioecesi N, ac propterea- res et personas ad Collegiatam pertinentes ab Archiepiscopo N non pendere: clara esse exemptionis verba, quae superius indicavi, per quae Leo X eam Collegiatam a iurisdi ctione Archiepiscopali exemit et Apostolicae Sedi immediate subiecit, nec non deputata deinde a Clemente IX Congregatio idem declaravit.

Neque prodesse obiicere, exemptionem de qua res est, ad locum Collegiatae s. Michaelis esse limitatam: contrarium enim constare, idest, exemptionem sequi res et personas comitariqué ubicumque se habeant; S. Rota ***decis.*** 14 ***n.*** 12 quam refert Scarfantonius in opere ***Animad, ad Luc. Ceccop. in addit.***

Eo magis, quod ipse Decanus, quando, exemptionis huiusce privilegio innixus, literas ea forma, quae superius exposita est, sive Ignatio sive aliis Collegiatae subditis impertitus est, nihil novi prorsus induxerit, sed disciplinae ab antiquo inolitae et constanter usque dum servatae fideliter se confirmaverit.

Animadvertit praeterea, eiusmodi disciplinam esse consentaneam Constitutionibus capitularibus ex Apostolica auctoritate approbatis: sancitum enim in iis esse, quod si aliquis Canoni-» eorum sine Decani et Capituli licentia per triennium absentiam produxerit, Canonicatus et Praebenda vacare censeretur.

Immo eiusmodi concedendarum facultatum disciplinam esse conformem ss. canonibus, cap. 7 ***Magnae devotionis, de Voto,*** in quo legitur « ***Cum iuxta canonica instituta Clericus absque sui Episcopi licentia peregrinari non debeat...*** » Itemque in aliis iuris capitibus, in quibus statutum est, Clericis non licere peregrinari nisi cum licentia sui Ordinarii. Iamvero in themate

Decanum, esse verum propriumque Ordinarium, uti superius dictum est. Ergo eidem Decano pertinere ius dandi discessuales literas.

Inter cetera, quae animadversa sunt ex officio in defensionem Decani haec habentur. Consideratum est, multiplex **esse** literarum genus, quas dare possunt Episcopi quasque recenset Monacelli ***Form. pract. p. i. tit.*** 3 ***et*** 4. In re de qua agimus quadruplex esse spectandum literarum genus quarum aliae nuncupari solent ***Dimissoriales,*** aliae ***Testimoniales*** iuxta ea quae considerata fuerant in quadam causa ***Pientina seu lleinen. Ordinationis,*** die 8 Augusti 1733 ***§Nec vero*** (1); aliae ***Excardinatoriae*** aliae ***Discessuales.*** Literas Dimissorias, quae illae sunt, quae exprimunt traditam facultatem, ut alter Episcopus possit alienum subditum ad Ordines promovere, dari non posse iuxta invectam Ecclesiae disciplinam, a Praelato inferiori, licet haberet territorium a quavis dioecesi separatum nisi obtinuerit ad has litteras concedandas speciale R. Pontificis privilegium: sed de hac **re** nullam in themate esse quaestionem.

Literas testimoniales, quae facultatem ordinandi non impertiuntur, sed continent speciale testimonium de natalibus, aetate, vita et moribus ***causa s. Ordinationis,*** a Decano in themate non fuisse datas: non enim eas literas quas dederat de Ignatii discessu satis esse potuisse, ut alter Episcopus Ignatium **ss.** Ordinibus initiaret, quasque neque ipsemet Decanus dare intellexerat.

Litteras excardinatorias, quas alii ***remissoriales*** appellant, quaeque in eo consistunt, ut aliquis a proprio Episcopo libere e sua dioecesi abire sinatur, ut ab alieno Episcopo in suum Clerum cooptetur, dari posse a Decano videri, inconsulto Archiepiscopo : quemadmodum enim ius sibi competeret, servatis servandis, in suum Clerum aliquem admittendi, pari iure dimittere et a sua dependentia solvere posse : per quas enim causas res nascitur, per easdem solvitur.

Litteras discessuales, quae a proprio Episcopo dantur Ecclesiasticis viris, qui peregre proficiscuntur, ut in aliena dioecesi

(1) Eiusmodi causam, quae ex professo agit de *dimissorialibus* et *testimonialibus* Uteris ad effectam s. Ordinationis mox integram referam in Appendice X

ad Missae celebrationem admittantur, dare posse suis subditis Decanum videri, iuxta ea quae docet Fagnanus in cap. ***Tuae fraternitati il de Cler. non res. n.*** 5. ***et seqq.*** qui in examen revocans quaestionem, utrum post caput **i** Tridentini Concilii g ***Eadem omnino sess.*** 23 ***de Reform.*** Capitulum Civitatense, ab Episcopali iurisdictione plene exemptum, posset vicariis ecclesiarum sibi subiectarum licentiam discedendi studiorum causa dare; quaestionem affirmativo responso resolvit; quamquam videretur obstare dictum Decretum Tridentinum c I. § ***Eadem omnino;*** idque ex ea praesertim ratione Fagnanus deduxit, quod « si inferior (Praelatus) habet omnem ordinariam iurisdictionem, » debet etiam habere hanc facultatem dandi huiusmodi licen- » tias, quia illa est iurisdictionis ordinariae... immo si quis » habet ius instituendi et destruendi, quod est plus, debet ha- » bere etiam hoc ius dandi licentias quod est minus, ut in re- » gula 1. ***non debet ff. de reg. iuris,*** et cap. ***Cui licet, eodem tit. » in*** 6. »

Iamvero Decanum s. Michaelis ex declaratione superius memorata die 26 Septembris 1667, in sua ecclesia esse Ordinarium et ordinariam iurisdictionem exercere, ita ut habeat quoque ius cognoscendi causas in prima instantia ad res et personas sibi subditas pertinentes; ius privandi Beneficio suos subditos ad tramites ss. canonum; ius conferendi Canonicatus et Beneficia: ideoque ius habere instituendi et destituendi; negari proinde ei non posse iuxta Fagnani doctrinam ius dandi licentias discedendi.

DEFENSIO ARCHIEPISCOPI. In Archiepiscopi iura defendenda adducebantur in primis rationes, quas in suo voto exposuerat Congregatio Pro-synodalis quam supra memini. Haec Congregatio duo facta expendenda susceperat, quorum unum est super sacra Ordinatione Ignatii, alterum super forma literarum, quae a Decano concedi solent, an videlicet, utraque res iuxta ss. canones processerit.

Ad primum quod attinet, animadvertit, iuxta ***cap.*** 10 ***sess.*** 23 ***de Ref.*** Concilii Tridentini Praelatis inferioribus esse expresse prohibitum literas dimissorias ad suscipiendos Ordines suis subditis elargiri, quod ad omnes Praelatos etiam ***nullius dioecesis*** extenditur: de qua re consuli quoque possunt quae seri-

psit Benedictus XIV in opere ***de synod, dioeces, lib.*** 2. ***cap. ii n.*** 15(1).

Sed neque litteras remissoriales seu excardinatorias Praelatos inferiores dare posse contendit; propterea quod remissoriales litterae secumferant litteras dimissorias ad Ordines: ex quo enim Clericus alteri dioecesi incardinari permittitur, Episcopi incardinatis fit quidem subditus; sed ut aliquis recipere legitime possit ss. Ordines, necessarium esse, ut accedat on#o vel ***domicilium,*** vel ***Beneficium*** vel ***familiaritas,*** quae si desint, neminem sine dimissoriis posse rite ordinari, ceu eruitur ex celebri Constitutione Innocentii XII, die 4 Novembris 1694 incipiente ***Speculatores.*** Ex qua animadversione eruebat Congregatio Prosynodalis ordinationem Ignatii fuisse illegitimam, utpote factam sine dimissorialibus uteris neque ipsius Decani, qui nullum verbum in suis **1**'teris inseruit, quod ad s. Ordinationem referretur.

Neque dicas domicilii titulo Ignatium haud caruisse quod sequutus est domicilium patris, qui iam ab anno 1861 sed >m suam constituerat in dioecesi L: respondebatur enim, Ignatium dereliquisse seminarium et Beneficium die 13 Iunii 1867 quod in Collegiata Decani in dioecesi N possidebat, et eodem anno 1867 mense Septembri ordinatum esse ab Administratore ecclesiae L: nondum ergo eius domicilium conditiones illas habuisse, quae exiguntur per Constitutionem ***Speculatores.*** In hac enim Constitutione sic legitur constitutum § 5: « ***Subditus autem ratione domicilii ad effectum suscipiendi ordines is dumtaxat censeatur, qui, licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando vel maiorem rerum ac bonorum suorum partem cum instructis aedibus in locum huiusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit; et nihilominus ulterius utroque casu se vere et realiter animum huiusmodi habere iureiurando affirmet. Si quis autem a propriae originis loco in ea aetate discesserit, qua potuerit alicui canonico impedimento obnoxius effici, etiam Ordinarii suae originis testi-***

(1) **Confer causas quas retuli in** *Yol. H* **causam relatam in** *vol. III pag. 65* **et** *pag. 556 et seqq. elpag. 341;* **nec** *non seqq.*

moniales litteras, ut supra, afferre debebit ac de illis expressa similiter mtntio in susceptorum ordinum Uteris facienda erit »

Quod si tamen illa locum habuisse vel satis esse dicantur ob domicilium patris in dioecesi L constitutum; necessarias tamen fuisse testimoniales literas Episcopi originis iuxta eandem Innocentii XII Constitutionem, quae literae in themate non intervenerant. Neque aequipollentes dici posse literas Decani s. Michaelis, qui originis Episcopus haud erat, neque expeditas a Decano fuisse ea adamussim de causa ut Ordines conferri ac recipi possent, iuxta ea quae tradit Bouix ***tract, de Ep. p.*** 5 c. 15 % 2.

Ultimo loco gradum fecit Congregatio Pro-synodalis ad literas, quas Curiae episcopales dare solent, ut ecclesiastici vili extra dioecesim se ferant atque ut Missae sacrificium celebrare possint. In medium deduxit id quod scripsit Benedictus XIV in sua ***Institut, eccl.*** 34, ubi tradidit, ex praescripto ss. canonum Conc. Trid. et ex encyclica quadam S. Congregationis S. Officii non debere Episcopos, Vicarios Generales et Foraneos ad celebrationem admittere Presbyteros exteros, nisi prius proprii Episcopi literas omni falsitate immunes exhibuerim.

Quibus praeiactis, has quatuor conclusiones colligebat: Decanum s. Michaelis concedere non posse neque literas dimissoriales neque remissoriales: literas datas ad Administratorem dioecesis **L,** neque dimissoriales fuisse neque remissoriales: ordinationem Ignatii illegitimam fuisse: Decanum literas discessuales, saltem in **ea** qua solet forma, suis subditis concedere non posse videri.

Inter cetera quae ex officio sunt animadversa ad confirmanda iura Archiepiscopi N, haec habentur.

Episcopum fundatam in iure intentionem habere pro iurisdictione sua exercenda in singulas personas et res, quae in ambitu suae dioeceseos continentur: ideoque nullum sese ex eadem eximere posse nisi speciali privilegio sit praeditus et intra eiusdem privilegii limites data exemptione utatur.

Praelatos inferiores, qui non habeant territorium a dioecesi separatum, limitata admodum gaudere exemptione, quae solet **esse** dicique ***passiva*** **(1).**

(1) **Confer causam relatam in** *vol. III pag. 65 et segg.*

Privilegia exemptionis per Tridentinam Synodum multas subiisse limitationes; atque indicabatur sessio 24 c. **11** ***de*** Re/*., in qua sic fuit statutum de personis exemptis « Quoniam privi-
» legia et exemptiones quae variis titulis plerisque conceduntur,
» hodie perturbationem in Episcoporum iurisdictione excitare
» et exemptis occasionem laxioris vitae praebere dignoscuntur;
» decernit Sancta Synodus, ut, si quando iustis gravibus et fere
» necessariis suadentibus causis, aliquos honorariis titulis Proto-
» notariatus, Acolythatus, Comitis Palatini, Capellani Regii, aut
» aliis huiusmodi in Romana Curia vel extra insignibus decoran-
» dos esse placuerit; nec non alios cuicumque monasterio oblatos
» vel quomodocumque addictos aut sub nomine servientium mi-
» litus seu monasteriis, hospitalibus, collegiis aut quocumque
» alio titulo assumi, nihil ex his privilegiis detractum esse Or-
» dinariis intelligatur, quominus ii, quibus ea iam concessa Sunt,
» vel in posterum concedi contigerit, ipsis Ordinariis tamquam
» Apostolicae Sedis delegatis plene in omnibus et quoad Capel-
» lanos Regios iuxta Constit. Innocentii HI quae incipit, ***Cum***
» capella, subiecti existant: exceptis tamen iis, qui praedictis
» locis, aut militiis actu inserviunt et intra eorum septa ac do-
» mos resident, subque eorum obedientia vivunt sive iis qui legi-
» time et secundum regulam earundem militiarum Professionem
» fecerint, de qua Ordinario constare debeat, non obstantibus
» privilegiis quibuscumque etiam Religionis s. Ioannis Hieroso-
» lymitani et aliarum militiarum. »

Cui Tridentinae dispositioni personales exemptiones coercenti successit Constitutio Gregorii XIII ***Circumspecta,*** die 25 Novembris 1580; in qua Pontifex, iuxta Tridentinam dispositionem, de Militiis Hierosolymitana agens has tantum exemptiones personales excepit: « exceptis tamen iis, qui ecclesiis aliisque locis
» dictorum militum actu serviunt et intra eorum septa et domos
» resident ac sub eorum obedientia vivunt, quae omnia debere
» simul concurrere intelliguntur; sive iis ***(exceptis)*** qui legitime
» et secundum regulam praedictae Religionis professionem fece-
» rint, de qua loci Ordinario constare debeat. »

His universim inter cetera adnotatis, animadversum esi, non esse dubium, Decanum utpote Praelatum inferiorem non posse dare dimissoriales literas uti superius est animadversum, quod

et Decanus plene concedebat. Sed ad futuras praecavendas quaestiones, inquirebatur ulterius, an posset dare Decanus literas testimoniales causa s. Ordinationis: cui negativum responsum dandum videbatur ex iuris analogia: dare enim testimoniales literas ita proprium esse Episcopi, ut neque eius Vicarius Generalis eas dare possit sine speciali mandato Episcopi iuxta Resolutionem S. C. G., quam refert Monacelli in suo Formulario p. 1 ***tit.*** 4 ***formul.*** 9 ***n.*** 10 his verbis: ***testimonio commendare,*** etc. ***etiamsi essent absentes et ad titulum pensionis vel patrimonii assumendi essent; sed non testimonio Vicarii Generalis, nisi haberet speciale mandatum concedendi dimissorias.*** Maxime vero, quod in alia causa eiusdem. Collegiatae s. Michaelis, agitata die 29 Maii 1852 coram S. C. C, de Seminarii alumnis, quos exemptos a iurisdictione Archiepiscopi, exceptis dispositionibus Tridentinis de exemptis, in primo dubio S. Congregatio declaraverat, ad quartum tamen his verbis conceptum: « An excepto examine coram Or-
» dinario ***(Decano)*** iudicium de reliquis conditionibus necessariis
» pro suscipiendis Ordinibus specialiter quoad doctrinam et mores
» ad Archiepiscopum, seu potius ad Decanum pertineat in casu: »
eadem S. Congregatio respondit: ***affirmative ad primam partem, negative ad secundam.***

Ad literas remissoriales seu excardinatorias quod attinet, duo actus distinguebantur, alter quo aliquis ab una dioecesi emancipatur, alter quo emancipatus alienae dioecesi aggregatus Iamvero, quamvis primus actus non videretur denegandus Decano, ut superius est animadversum, tamen ratione secundi actus videbatur negandus. Secundus enim actus secumfert literas testimoniales causa s. Ordinationis iuxta Const. ***Speculatores;*** quique locum habet, postquam Clericus a Collegiata ecclesia per literas excardinatorias sit solutus.

\d literas discessuales quod attinet, quae a proprio Episcopo dari solent ecclesiasticis viris qui peregre proficiscuntur, praeter ea quae adduxerat Congregatio Pro - synodalis recolebatur quaedam responsio data in causa ***Tarvisina Iurisdictionis*** a speciali Congregatione disceptata die 27 Novembris 1856; ad dubium enim his verbis conceptum: «An licentia abessendi a residentia S. pro Parochis et Vicariis spectet ad Episcopum vel Capitulum:»
» G. respondit: ***ad Episcopum spectare.*** Porro huic Capitulo exem-

ptio passiva ab Episcopi iurisdictione vi privilegiorum recognita fuerat a S. C. (1).

Item in ***Regien,*** agitata die 30 Ianuarii 1836 in qua simile argumentum disceptabatur ad dubium: «An Praeposito Collegia-» tae competat ius concedendi dimissorias pro Clericis eidem » Collegiatae inservientibus tam in casu diuturnioris peregrina-» tionis, quam pro ordinatione peragenda a quovis Episcopo in » casu:» S. C. respondit: ***negative in omnibus.***

His aliisque animadversis propositum est resolvendum

Dubium

« An et quas literas et qua forma suis subditis concedere » liceat Decano S. Michaelis.... in casu. »

RESOLUTIO. S. Congregatio Concilii causa cognita die 22 Iunii 1871 respondere censuit: ***Non licere Decano concedere literas dimissoriales ac testimoniales ad ordines recipiendos, neque remissoriales seu excardinationis, quibus alieno Episcopo potestas fiat dimissos Clericos suae ecclesiae incardinandi: posse tamen dare literas dimissoriales ad tramites iuris, addita clausula ut illae approbentur ab Archiepiscopo.***

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Exemptionis privilegia concessa inferioribus Praelatis tantum valere quantum concessum demonstrent.

II. Immo post Concilium Tridentinum tantum valere quantum eis derogatum non sit in eo quod fuerit expresse concessum aut legitime praescriptum.

III. Quare ex titulo ***Ordinarii*** argui non posse omnem ordinariam iurisdictionem, sed tantum eam quae fuerit per privilegium expressa et non derogata.

IV. Eo magis si de rebus agatur, quae inter graviores causas connumerentur, cuiusmodi est causa s. Ordinationis.

V. Quare nisi exemptionis privilegium explicite de s. Ordinatione loquatur, ad huiusmodi causam nullimode extendi; immo si ante Tridentinam synodum vel ex privilegio vel ex legitima

(1) Haec causa est ea quam habes expositam in *vol. III pag. 65 et seqq.*

praescriptione Praelatis inferioribus ius ordinari faciendi ad tramites ss. canonum competeret, post Tridentinam synodum novo privilegio indigere (1).

(1) Concilium Tridentinum de Praelatis inferioribus exemptis. Ordinaria iurisdictione plus minusve fruentibus, haec constituit quoad s. Ordinationem, in *sess.* 23 *cap.* **10** *de Reform.* « Abbatibus ac aliis quibuscumque quamtumvis exemptis non liceat in posterum intra fines alicuius dioecesis consislentibus, etiam si *nullius* dioecesis vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, Tonsuram vel minores Ordines conferre; nec ipsi Abbates et alii exempti, aut Collegia vel Capitula quaecumque, eliam ecclesiarum cathedralium, litteras dimissorias aliquibus clericis saecularibus ut ab aliis ordinentur, concedant. Sed horum omnium Ordinatio, servatis omnibus, quae in huius sanctae Synodi Decretis continentur, ad Episcopos, intra quorum dioecesis fines existant, pertineat; non obstantibus quibusvis privilegiis, praescription^tyis aut consuetudinibus, eliam immemorabilibus. Poenam quoque impositam iis, qui contra huius sanctae Synodi sub Paulo III Decretum (IB *sess. 7 c. 40 de Ref.)* a Capitulo, episcopali sede vacante, succedentibus obtinerent, mandai extendi.Concedentes autem dimissorias contra formam Decreti ab officio et Beneficio per annum sint ipso iure suspensi.»

Card. De Luca in *Adnot. ad S. Concil. Trident, disc. 44. n. 47 et seqq.* scribens de Praelatis inferioribus quoad eorum potestatem dandi literas dimissorias ita distinguit: « aut agitur de locis vere sitis in aliena dioecesi; unde propterea intret solum ratio tam exemptionis passivae a Dioecesano, quam etiam iurisdictionis activae Praelati inferioris cum illius loci clero et populo, sive cum certo personarum genere: aut agitur de illis locis, quae sint vere *nullius* extra omnem **dioe**cesim cum vero territorio separato **tam**quam per speciem dioecesis illius **infe**rioris Praelati, qui verus Ordinarius **cen**sendus veniat iuxta alias recensitas inferiorum Praelatorum species.

» In prima specie illorum inferiorum Praelatorum exemptorum vere existentium intra fines alienae dioecesis, distinctio est inter saeculares et regulares. Ubi enim agitur de Regularibus professis qui ad titulum religionis et paupertatis ad Ordines promoventur, ad superiores regulares pertinet eligere Antistitem a quo promoveri debeant; quoniam **ob** regimen Religionum ad formam universi, tatis vel reipublicae cum **crebris mutationibus** Religiosorum de loco **ad** locum, Religiosi professi de nulla certa **dioecesi** esse videntur; Barbosa *de Episc, alleg. A.* et alii passim.

» Ubi vero agatur de illis, qui **sint** de Clero et populo saeculari, **hodie** ex his Concilii Tridentini Decretis, neglecta quavis ampla exemptione, extra controversiam est, huiusmodi inferiores Praelatos hanc non habere potestalem, quae pertinet ad Ordinarium seu Dioecesanum iure delegationis factae a sacro Concilio Tridentino, adeo ut nulla **dignOscatur** differentia inter exemptos et non **exem**ptos.

» Ubi vero agatur de loco **vere** *nullius* cum territorio separato, **in illis** antiquis temporibus post Concilii publicationem id in ambiguo fuit; uude **propterea per** S> Congregationem Concilii provisionaUter Episcopo viciniori commissum fuit donec ista res maturius desideretur. Deinde, aliquibus ex huiusmodi Praelatis instantibus, pro eis prodierunt Resolutiones, ut scilicet ipsis facultas compe-

VT. Unde facultatem dandi literas dimissoriales aut testimoniales causa s. Ordinationis, vel etiam remissoriales literas, quae secumferunt s. Ordinationis causam (1), Praelatum inferiorem, saltem qui territorium non habeat a dioecesi separatum, non habere.

VII. Eiusmodi coarctationem iuris eo ipso secumferre quamdam dependentiam clericorum (qui Praelato inferiori immediate subditi sunt) ab Episcopo in cuius dioecesi existunt.

teret concedendi literas dimissorias cuicumque catholico Antistiti eis beneviso directas, eo modo quo cuilibet loci Ordinario licet. Aliqui vero id neglexerunt, unde propterea diu in dicta provisione continuatum est. Eis vero moderno tempore idem petentibus, per S. Congregationem denegatum fuit, cum modernae Congregationis sensuirvideatur, ut etiam in his Praelatis *Nullius* quoad Ordinum collationem ista conciliaris dispositio procedat, quod ad viciniorem Episcopum pertineat, ideoque observantia in hoc nimium conferre videtur.»

(1) Inter cetera, quae in causae disceptatione quam exposui sunt animadversa, dicebatur quoque, Clericum Ignatium non fuisse legitime ordinatum, quod domicilium in dioecesi L non acquisierat per spatium decem annorum vel per modum aequipollentem iuxta Constitutionem *Speculatores.*

At vero eiusmodi animadversio, facta a Congregatione Pro-synodali Archiepiscopi, iusta mihi non videtur. Quando enim agitur de Clerico, qui alienae dioecesi inscribitur per actum excardinationis a suo Ordinario impetratum, non videtur necessarium praeexistens domicilium, ut ab alieno Episcopo ordinari possit.

Sane tituli ad legitime ordinandum constituti, ea de causa constituti sunt, ut Ordinarii de propria iurisdictione essent securi, et nemo alius de iniuria sibi illata conqueri posset. Hi tituli sunt quatuor, originis, domicilii, Beneficii, familiaritatis, quorum unus si existat, Ordinarius Clericum sibi subiectum iure habet ad effectum s. Ordinationis, quin alius queri possit de iniuria illata: sic Ordinarius, qui conferat alicui Clerico Beneficium, potest illum ordinare quin requiratur praeexistens domicilium.

Per excardinationem autem Clericus solvitur a proprio Ordinario ut cooptetur in Clerum alienae dioecesis, per eiusmodi cooptationem *Clerkus evadit subditus huius dioecesis ita, ut Episcopus subintret in ius quod Episcopus excardinans in Clericum habebat,* quare et de sua iurisdictione est securus et nulli facit iniuriam.

Igitur inter quatuor titulos, qui lege sunt constituti, et alius aequipollens connumeran potest, qui est titulus legitimae excardinationis Dixi *aequipollens;* nam revera qui huiusmodi titulo ordinat eo iure ordinat, quo ordinare potuisset ille qui excardinavit. Ad excardinationem quod attinet, confer si placet quae adnotavi in causa *excardinationis,* in ***vol. Y pag. 447 et seq.***

Ex praxi, quae Romae viget, quamquam rarissime Clerici aliarum dioecesium Romano Clero inscribuntur per excardinationem, hoc servatur, ut Clericus excardinatus in actu quo Romano Clero inscribitur, iurare debeat, se Romae permansurum: quo emisso iuramento, ad ss. Ordines, quin aliud quaeratur quod ad domicilium pertineat, servatis tamen ceteris servandis, promovetur.

APPENDIX X.

DE INDOLE LITERARUM DIMISSORIARUM ET PRAESERTIM TESTIMONIALIUM CAUSA S. ORDINATIONIS, QUAE OBTINENDAE SUNT AB ORDINARIO DOMICILII ET ORIGINIS UT ALIQUIS RITE AB ALIENO EPISCOPO S. ORDINIBUS INITIARI POSSIT.

Occasione praecedentis causae, in qua obiter loqui contigit de litteris dimissoriis, testimonialibus et excardinatoriis, causam quae sequitur ex integro refero agitatam penes S. C. C. die 18 iunii 1733 atque iterum die 8 Augusti eodem anno: in ea enim distincte accurateque disceptatum est de indole et forma literarum testimonialium quae dandae sunt ab Episcopo domicilii et originis causa s. Ordinationis.

PIENTINA. SEU ILÖINEN ORDINATIONIS

« Conquestus apud hanc Sac.Congregationem est Episcopus Pienti n us, quod Clericum Laurentium Medicb.escb.ium, sibi et originis et domicilii iure subditum, sine suis Litteris aut dimissoriis aut testimonialibus, ad omnes sacros Ordines evexerit Episcopus Ilcinensis.

D Iste de hac re interrogatus per litteras Sac. Congregationis, iustam idoneamque se dare excusationem putavit, et nihil a se factum fuisse contendit, quod aberraverit a praescripto Constitutionis Innocentii XII, quae incipit *Speculatores*. Inquit enim , Laurentium obtinuisse , antequam sacris Ordinibus initiaretur , Beneficium s. Michaelis Archangeli in ipsa sua Dioecesi, proindeque sibi licuisse Clericum , qui ex vi huius modi Beneficii sibi subiectus erat ad eius titulum sacris Ordinibus inaugurare absque Litteris dimissoriis Episcopi Pientini. Constat sane Laurentium illius Beneficii possessionem adiisse ; sed impugnabat Episcopus Pientinus illud talis esse naturae , annuique proventus, ut Innocentianae legi satisfaceret.

n Beneficii natura ea est, ut Patrono potestas competat amovendi Beneficiarium ob legitimam causam,atque etiam ubi Beneficiarius deinde, aut sufficienti patrimonio instructus reddatur aut aliud adipiscatur Beneficium. Etenim anno 1705 Michael Galardus in Testamento iussit fundari Beneficium his verbis — *Un Benefizio perpetuo da erigersi sotto il titolo di S. Michele Arcangelo, quale sia di natura amovibile, ed ad nutum del Padrone infrascritto, con piena facoltà di presentare il soggetto e con causa leggitima rimuoverlo, specialmente se non adempisse intieramente li pesi da imporsi , e colpabilmente deteriorasse i beni di fondazione,senza liberarlo dalla refezione.*

e *perchè siano assilliti, e trattati da buon padrone, voglio sia sempre nominalo un Sacerdote nativo, ed abilanle di delta Terra, precisamente il più povero, ed essendovi qualche povero Chierico pur nativo, ed abitante senza titolo ecclesiastico , o patrimoniale, e più povero, e prossimo al Sacerdozio, gli si possa costituire in Patrimonio ecclesiastico, ed acquistato che avesse sufficiente altro Beneficio o Patrimonio, allora resti in libertà il d. mio Beneficio eretto* (1). **Atque hunc in modum facta fuit erectio Beneficii auctoritate Episcopi interposita.**

» Constitutio autem Innocentiana, ubi agit de Beneficio ad licitam Ordinationem necessario, his verbis concepta est - *Licet vero Clericus ratione cuiusvis Beneficii in aliena Dioecesi obtenti subiici dicatur iurisdictioni illius Episcopi, in cuius Dioecesi Beneficium huiusmodi situm est, eam tamen de caetero hac in re inconcusse servari volumus regulam, ut nemo eiusmodi subiectionem ad effectum suscipiendi Ordines acquirere censeatur, nisi Beneficium praedictum eius sit redditus, ut ad congruam vitae sustentationem, sive iuxta taxam Synodalem, sive, ea deficiente, iuxta morem regionis pro promovendis ad sacros Ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, illudque ab Ordinando pacifice possideatur.*

» His positis animadvertendum in primis videtur, aliud esse inquirere, an liceat Ordines conferre ad titulum Beneficii manualis, et amovibilis, propterea quod huiusmodi titulus non videatur legitimus ad effectum Ordinationis; aliud vero, an Episcopus, qui Ordines contulit Clerico possidenti in sua dioecesi Beneficium manuale et amovibile, censeatur violasse canonicas leges prohibentes promoveri ad Ordines alienum subditum iuxta *Text. in cap. Cum nullus de temp. ordinat, in 6", et S. Concil. Trid. cap. 8 sess. 23 de Ref.* **Porro quoad priorem distinctionis partem, communis est sententia, non sufficere Beneficium manuale vel temporalium, sed oportere, ut Ordinatio fíat ad titulum Beneficii perpetui, ut tradunt** *Garz, de benef. par. 4 cap. 2 num. 83 et seqq. Paris, de résignât, benefic. lib. 2 qu. 6 num. 2 et seqq. Ventrigl. in*

(1) Latine sonant: « Beneficium perpetuum erigendum sub titulo s. Michaelis Archangeli quod sit natura amovibile et ad nutum Patroni cum plena facultate praesentandi personam et ex causa legitima eam removendi; praesertim vero si integre non adimpleret onera imponenda et culpabiliter bona fundationis deteriora redderet, quin liber a reficiendis bonis evadat: et ut eadem fundationis bona recte serventur et administrentur, volo ut semper nominetur Presbyter nativus et incola dictae Terrae et singillatim pauperior: quod si adsit aliquis pauper Clericus nativus et incola sine titulo ecclesiastico aut patrimoniali et sit pauperior et Presbyteratui proximior Beneficium hoc constitui ei possit in patrimonium ecclesiasticum; qui tamen postquam acquisiverit aliud sufficiens Beneficium aut Patrimonium tunc liberum maneat meum Beneficium.»

prax. par. 2 *annot. 42 §. / num. 2, Antonell. de regim. Eccl. lib. 2 cap. 2 num. 4, Vivian, de iurepatr. par. 4 lib. 4 cap. 4 num. 434;* et rescripsit haec Sac. Congregatio in *Tyburtina Cappellaniae 44 Iunii 4740 lib. 60 Decr. pag. 239.*

•*n* Verum quoad alteram distinctionis partem , plures Doctores in ea sunt opinione ut Beneficium, etiam manuale et amovibile , satis sit ad hoc , ut Beneficiarius subiiciatur iurisdictioni Episcopi, in cuius dioecesi illud existat, proindeque istiusmodi etiam Beneficium sufficiat quantum ad hoc, ut Episcopus dici possit Ordines contulisse non alieno , sed proprio subdito, dummodo caeteroquin Ordinatio fiat ad alium titulum legitimum , quia Beneficium manuale , licet non sit per se idoneum pro titulo Ordinationis, est tamen idoneum pro inducenda subiectione ad effectum suscipiendi Ordines, tamquam ab Episcopo proprio, ut explicant *Lap. in Cap. cum nullus num. 5 de temp. ord. in 6°, Geminian. ibid. n. 8, Fermosin. de Offic, et Sacr. Eccles, ad rubric. de tempor. ordinat, quaest. 6 num. 3 et seq. Antonell. de iur. Cleric. lib. 4 par. 3 cap. 32 num. 5 et 6, Pirhing. in Decretal, lib. 4 tit. 44 sect. 4. n. 34, Schmahgrueb. in eod. lib. 4 Tit. 44 de temp. ordin. n. 44, Garz, de Benef. part. 2 cap. 4 n. 3, Paxlordan.lucubr.tom.4 Lib. 3 tit. 6 num. 74, Diana par. 7 tract. 2 resol. 49 iuxta antiquam impressionem, la* id etiam conferente exemplo Beneficii tenuis, quod quamvis non suffragaretur pro titulo, suffragabatur tamen, antequam prodiret Bulla Innocentiana, pro subiectione, ut scilicet licite posset quis ordinari ab" Episcopo, in cuius dioecesi possideret tenue illud Beneficium, ut demonstrant *Fagnan. in Cap. omnis num. 98 de poenit. et remis. Campanil, diversor. iur. rubr. 9 cap. 8 n. 42, Engel, in ius Canonie, lib. 4 tit. 44 §. 2 n. 24, Pax Iordan. tom. 4 lib. 3 tit. 6 n. 74, Anlonel. de iur. cler. I. 4. p. 3 c. 32 n. 6, Panimol. tom. 4 dec. 14 annot. 2 n. 66, Lampera in explicat. Bullae—speculatores - part. 40 an. 355 ad 366.*

» Dissentiunt tamen alii, existimantes requiri Beneficium perpetuum ad hoc, ut quis constituatur subditus Episcopo, in cuius dioecesi illud sit, etiam ad effectum Ordinationis, ut videre est apud *Archidiac. in Cap. Cum nullus num. 4 de temp. ord. in 6°, Ioan. And. ibid. num. 4* et *4, Ancharan, sub num. 2, Franc, num. 3, Passer in. in d. cap. cum nullus Quaest. 4 art. 3 num. 64, Panimoll. dec. 44 annot. 2 n. 75* et *seq. et dec. 439 n. 44.*

» Sed fortasse, qui secundam hinc sententiam tradunt, id intelligunt de Beneficio manuali, quod non sit erectum auctoritate Ordinarii, adeo ut proprie dici nequeat Beneficium ecclesiasticum. Etenim *Ioan. And. Ancharan. Archid, et Franc,* proxime citati agunt de Clerico ad docendum conducto, assignatis ei fructibus unius Praebendae tamdiu per-

cipiendis quamdiu Magistri officio fungeretur, ad normam *Cap. Quia nonnullis de Magistr.* Itidemque in terminis Capellaniae manualis non erectae ex Ordinarii auctoritate in verum Beneficium ecclesiasticum prodiisse videtur Resolutio huius S. Congregationis in *Ulyxbonen. Occidentalis 26 Iunii 4723 lib. 73 Decr. pag. 285 et 49 Augusti 4724 lib.* 74 *Decr. pag. 340.*

» E converso enim,si Beneficium, cuius fundator adiecerit legem, ut ex causa legitima possit eius Rector removeri, sit erectum approbante Episcopo, Beneficium huiusmodi veram habet naturam Benef MÍ Ecclesiastici, ut probant *Garz, de Benef, part. 4 cap. % § 4 n. 66. et seqq. Lo t ter. de re benef. lib. 4 quaest. 7 n. 4i et seqq. Corrai, in prax. Benef, lib. 4 cap. 6 num. 280, Amostaz. de causis piis lib. 3 cap. 4 num. 40 et 44*. Quare, si tale Beneficium proprie habeat naturam Beneficii Ecclesiastici, videretur etiam inferri posse, quod eius possessor, donec illud retinet, vere efficiatur subditus Episcopo, in cuius Dioecesi Beneficium ipsum existit, quamvis aliquando desinere possit fortasse huiusmodi subiectio si deinceps veniat casus remotionis vel dimissionis Beneficii: id quod tamen non tolleret verificationem subiectionis relate ad tempus susceptorum Ordinum.

» Praeterea in praesenti facti speeie videtur etiam ponderandumi, an aliquid peculiaris momenti habeat, tum quod facultas removendi Beneficiarium non est libere et absolute posita in voluntate Patroni, sed coercetur a conditione causae legitimae; turn etiam quod in secunda dispositionis parte Testator permisit Clericum inopem posse Sacerdotio initiari ad titulum huius Beneficii. Venire autem posse videtur in dubktationem, num ad hunc quoque casum referatur facultas removendi an vero in isto casu talis facultas non censeatur tributa Patrono, sed solum adiecta alia provisio - *acquistato che avesse altro sufficiente Beneficio o Patrimonio, allora resti in libertàri detto mio Beneficio* (1) - Enim Vero si huic interpretationi locus esse possit, cessare videretur ratio, ob quam non licet ad sacros Ordines aliquem promovere ad titulum Beneficii manualis, nimirum ne contingat, facta remotione, Sacerdotem carere necessari ss vitae subsidiis. De quo tamen timendum non est, ubi facultas removendi sit affixa conditioni, quatenus vel ex alio Beneficio vel ex patrimonio satis consultum reddatur sustentationi ipsius Presbyteri.

» Itaque Beneficium, etiam collatum in perpetuum titulum, ultro resignari, eiusque resignationem admitti posse, permittit Sac. Concilium Tridentinum *Cap. 2 Sess. 24 de Ref.*

(1) Latine: « postquam acquisiverit aliud sufficiens Beneficium aut Patrimonium, tunc liberam maneat meum Beneficium.»

dummodo illo, qui ad eius titulum fuerat ordinatus, aliis sit instructus redditibus ad honestam vitam opportunis Cumque in *Civitatis Castelli 48 Martii 4149* petita fuisset facultas, ut Clericus Hieronymus de Leonardis posset sacris Ordinibus initiari ad titulum Capellaniae amovibilis, promittentibus Patronis se ea facultate non usuros, Sacra Congregatio his verbis rescripsit. *Pro gratia, attento consensu Patronorum, ita tamen, ut si aliunde Orator ipse sufficienter provideatur, Capellanía ad suam amovibilitatis naturam redeat, et rediisse intelligatur, - ut in Lib. $9 Decret, pag. 454.*

tf Iam vero restat quoque videndum, an Beneficium, ad cuius titulum Laurentius fuit promotus, tantum annui redditus habeat, ut satis sit ad congruam sustentationem, quae in dioecesi Ilcinensi praescribi solet in summa scutatorum viginti quinque monetae Florentinae.

n Ex testimonio duorum Sacerdotum, qdibus Episcopus llcinensis veritatem indagandam commisit, habetur, ex fructibus bonorum, quibus primitiva dos Beneficii fuit constituta, percipi posse annua scutata sex et viginti. Onus vero quinquaginta circiter Missarum addictum Beneficio est. Sed an Missarum onera sint detrahenda ex fructuum aestimatione, ad effectum de quo hic agitur, *relinquendum esse arbitrio et conscientiae Ordinariorum,* rescripsit S. Congregatio in *Ariminen. 47 Iunii 4723 ut in. lib. 73 Decr. pag. 333* et videre etiam est apud *Ursayam Discep. 4 Tom. 5. par. 4* qui de ea quaestione tunc scripsit iussu huius Sac. Congregationis.

» Nuper vero etiam addidit Episcopus llcinensis, quod anno 1730 Io^ annes Franciscus Salius Plebanus parochialis Ecclesiae Cinigiani donavit eidem Beneficio s. Michaelis Archangeli quaedam alia bona, quae in annuo fructu reddunt scutata duodeviginti, iuxta documentum transmissum: affirmavitque idem Episcopus eam donationem iam obtinuisse effectum, et proventus bonorum priscae doti addictorum re ipsa percipi a Laurentio.

» Denique subiunxit Episcopus llcinensis alios itidem Clericos fuisse a praedecessoribus Episcopis inauguratos sacris Ordinibus ad titulum ipsius Beneficii de quo agitur, ac nominatim Iosephum Mariam Pisarum, qui Beneficium illud dimisit, quando assecutus fuit aliud Beneficium Parochiale in dioecesi Crassetana.

» Haec quoad Ordines Laurentio collatos sine litteris dimissoriis Episcopi Pientini. Quantum vero attinet ad Litteras testimoniales, Constitutio Innocentii XII ita statuit: *praeterea Clericum, qui legitime iam a proprio Episcopo ad eamdem Clericalem Tonsuram, seu etiam ad minores Ordines promotus fuerit, non posse ab alio Episcopo, ratione ac titulo cuiuscumque Beneficii in il- '\u$ dioecesi obtenti, ad ulteriores Ordines promoveri, nisi ante eorum»*

dem susceptionem testimoniales litteras proprii Episcopi, tam originis, quam domicilii, super suis natalibus aetate, moribus, et vita, sibi concedi obtinuerit, easque Episcopo ordinanti in actis illius Curiae conservandas exhibuerit.

» Litterae autem, quas anno 1730 Laurentius Medicheschius impetravit ab Episcopo Pientino, ita se habent- *Testamur Clericum Laurentium Medickeschi nostrae Dioecesis in minoribus Ordinibus constitutum, nullo excommunicationis, irregularitatis aut cuiusvis alterius canonici impedimenti vinculo, saltem quod sciamus innodatum existere, neque ullo crimine postulatum, sed esse bonis et honestis moribus praeditum, ac talem, qualem in sortem Domini vocatos decet. -*

r> Negat igitur Episcopus Pientinus has Litteras testimoniales fuisse traditas Laurentio ea mente, ut iis uti posset ad sacros Ordines suscipiendos ab alio Episcopo, sed eas tales inquit fuisse, quales generatim concedi solent quibuscumque Clericis e dioecesi discedentibus; aliam vero peculiarem esse formulam, qua concipi ab Episcopis solent Litterae testimoniales pro evectione ad sacros Ordines, ut apud *Monacell. Formul, for. Eccles, tom. / tit.* 4 *formul. 9 pag. 82, et apud Lamperex in commentario Bullae Speculatores pag. 39 n. 3ii.*

» At Episcopus Ilcinensis putat per eas litteras satisfactum fuisse praescripto Bullae Innocentianae. Et quamvis non haberetur in iis testimonium de ligitimis natalibus Laurentii (id quod etiam requirit memorata Bulla), respondet tamen hoc fuisse pro certo habendum, cum ageretur de Clerico, quem ex ipsis litteris constabat iam fuisse ab Episcopo Pientino ad minores Ordines promotum.

» Aliquanto fusius oportuit haec omnia exponi a Secretario, tum quia quaestio habet aliquid singulare: tum etiam quia nihil aliud de scripto circumferetur, ex quo EE. VV. statum controversiae deprehendere possint. Ad clariorem vero eius decisionem distincta haec dubia proponuntur.

I. » An Clericus Laurentius Me-
» dicheschius fuerit licite ordinatus
» ad titulum Beneficii, de quo agi-
» tur.

IL » An praedictus Laurentius
» licite fuerit ad sacros Ordines pro-
» motus ab Episcopo Ilcinen. in cu-
» ius Dioecesi Beneficium illud exi-
» stit, sine Litteris dimissoriis Epi-
» scopi Pientini.

III. » An Litterae testimoniales,
» quas idem Laurentius impetravit
» ab Episcopo Pientino, fuerint suf-
» facientes ad licitam Ordinationem.

IV. » An, et qui Ordines con-
n tulit, et qui eos suscepit, incide-
rint in poenas statutas a Sacro
.*9* Concilio Tridentino et a Bulla •
» *Speculatores* -in casu etc:

» S. Congregatio Concilii causa cognita die 18 Iulii 1733 respondere censuit:

» Ad primum *Affirmative.* Ad secundum *Affirmative.* Ad tertium *Affirmative in casu, de quo agitur.* Ad quartum *Negative.* »

PROSECUTIO EIUSDEM CAUSAE QUOAD TERTIUM DUBIUM EX OFFICIO FACTA.

u In postrema Congregatione habita die 18 Iulii discussa fuit haec Causa, quae versatur circa interpretationem consultissimae et saluberrimae Constitutionis editae a sa. me. Innocentio XII, cuius initium est — *Speculatores* —. Cum autem ad III Dubium his verbis conceptum : *An litterae testimoniales, quas Laurentius Medicheschius impetravit ab Episcopo Pientino, fuerint sufficientes ad licitam ordinationem,* — responsum fuerit — *Affirmative in casu, de quo agitur,* — operae pretium visum est quaestionem hanc iterum examinari, cum in utramque partem gravia sint momenta rationum , et plures ex EE. PP. opinione discreparerint.

» Lege ab Innocentio Pontifice lata sancitum ita est — *Praeterea Clericum, qui legitime iam a proprio Episcopo ad eamdem Clericalem Tonsuram, seu etiam ad minores Ordines promotus fuerit, non posse ab alio Episcopo, ratione ac titulo cuiuscumque Beneficii in illius dioecesi obtenti, ad ulteriores Ordines promoveri, nisi ante eorumdem susceptionem testimoniales literas proprii Episcopi, tam originis, quam domicilii. super suis natalibus, aetate, moribus* et vita sibi concedi obtinuerit, easque Episcopo ordinanti in actis illius Curiae conservandas exhibuerit.*

» Huic igitur legi videndum est, an satisfecerit ea formula Litterarum , quas Laurentius obtinuit ab Episcopo Pientino sub annum 1730 et quibus fretus Episcopus Ilcinensis ei omnes sacros Ordines contulit anno 1731 ad titulum Beneficii in sua dioecesi existentis. Litterarum exemplum est hoc: *Testamur Clericum Laurentium Medicheschi nostrae dioecesis in minoribus Ordinibus constitutum nullo excommunicationis, irregularitatis, aut cuiusvis alterius canonici impedimenti vinculo, saltem quod sciamus, innodatum existere, neque ullo crimine postulatum, sed esse bonis et honestis moribus praeditum, ac talem, qualem in sortem Domini vocatos decet.*

v Deest igitur in his Litteris testimonium de natalibus. Illegitimus quippe est irregularis nec promoveri ad Ordines debet, iuxta sanctionem Bonifacii VIII in *cap.* ***i"*** *deFil.Presbyt. in* ***6".*** Neque vero minus necessaria censeri poterat testificatio de legitimis natalibus Laurentii, propterea quod ex Litteris ipsis constaret, eum iam fuisse in minoribus Ordinibus constitutum. Siquidem praecedens minorum Ordinum susceptio non satis per se probat Clericum ex iustis nuptiis procreatum fuisse, cum illegitimus possit ab Episcopo per dispensationem effici habilis ad Ordines dumtaxat minores, iuxta ei-

tatam *cap. 1 de FU. Presbyt. in 6°.* Quamobrem oportebat proferri testimonium de legitimis natalibus, ut Laurentius a minoribus Ordinibus, quos Episcopus Pientinus ei contulerit, evehi posset ad sacros, utque Episcopus Ilcinensis per illud metí um, quod Bulla Innocenttana praescribit , compertam haberet huiusmodi conditionem; vel si ea deesset, iuberet prius doceri de impetrata Apostolica dispensatione.

» Secundo desideratur in eisdem Litteris testimonium de aetate, ut certus redderetur Episcopus ordinans de aetate, iuxta Tridentinas leges idonea ad singulos sacros Ordines. Quamquam vero aliis documentis perfici utraque probatio potuerit, non satis tamen iis confidisse censetur Bulla Innocentiana, cum alienus Episcopus decipi falsis documentis valeat (ut non raro accidit), ac idcirco requisivisse videatur Pontifex testimonium Episcopi, tam originis, quam domicilii, quippe qui non tam facile falli possunt circa homines iam sibi notos, suaeque iurisdictioni subiectos.

» Ad hanc rem spectant, quae habet *La Croix lib. 6 par. 2 n. 2252;* ibi — *Si neuter Episcopus testatus sit ver. gr. de aetate, ordinandus autem afferat testimoniales de aetate ex libro baptismali a Parocho scriptas, dubitatum est, an hoc sußceret? Negarunt aliqui, quia Constitutio Innocentii XII requirit testimonium de aetate dandum determinate ab Episcopo, nec sufficit aliunde haberi certitudinemf alioquin si Ordinans sit certus v. g. de moribus Titii, quia ipse cohabitavit satis diu, ordinare posset sine testimonialibus ullius alterius Episcopi. Et ratio potest esse, quia quamvis in hoc casu particulari videatur cessare finis legis, qui est certitudo de aetate, et reliquis, non ideo cessat lex illa, quia nempe re ipsa manet finis legis, qui est evitare fraudes, quae communiter evenirent, si sußceret quaevis certitudo ex testimonio cuiuscumque alterius, qut non esset Episdopus originis aut domicilii. E contra alii duo aut tres Doctores, quos interrogavi, putarunt sufficere, quia si ita semper haberetur certitudo, numquam esset periculum fraudis; et quamvis hoc testati non sint Episcopi, praesumitur omissum, quod nescirent, sicque se remitterent ad certitudinem aliunde accipiendam.* — Porro testimoniales Litteras impetrari oportere ah Episcopo originis, etiamsi quis inde discesserit in tali aetate, in qua nullum canonicum impedimentum contrahere potuerit, (ac proinde in casu, quo de natalibus solum, ac de aetate testari tjueat Episcopus originis) deducitur ex resolutione edita in *Laquedonien. seu Bituntina Ordinationis 16 Novembris Il09,* ut in *lib. 59 Decretor, pag. 365.*

n Tertio est animadvertendum , quod de vita et moribus Laurentii non fuit edita testificatio speciatim ad effectum promotionis ad omnes Ordines sacros. Multum vero interest inter eam vivendi rationem, ac di-

sciplinam quae satisfaciat statui minorum Ordinum, et aliam, quam exposcit superior gradus, sive Subdiaconi, sive Diaconi, sive Presbyteri. Itaque Sacrum Concilium Tridentinum discriminatim, babitoque peculiari respectu, tam ad Ordines minores, quam ad singulos maiores exigit peculiare testimonium de morum conditione, et vitae instituto iis gradibus consentaneo, ut videre est *in cap. 5, t, 8, 42, 43 ct 44, sess. 25 de Ref.* ut notat *Fermosin. ad Tit. de Scrut. in Ord. f ocien, q. 4*, ac longe uberius, luculentiusque *Rallier de Sacr. elect. et ordin. Tit. de variis testimoniis Ordinandorum Art. 2 a pag. 45 ad 68.*

D Tametsi igitur Constitutio Innocentiana expresse non praecipiat, ut testimonium ab Episcopo originis, et domicilii obtinendum de vita, et moribus Clerici, qui ad maiores Ordines promoveri ab alio Episcopo cupiat, sit conceptum relate ad effectum suscipiendi eosdem Ordines; haud tamen vere fuisse mentem Legislatoris coniicitur ex natura ipsa rei de qua agebatur; nam cum haec regula ibi statuatur servanda praecise ad effectum Ordinationis, et ad hoc ut Episcopus Sacerdotio initiandus novum recentemque subditum ratione Beneficii, et antea sibi minime notum, certus reddi possit, quod mores eiusdem ordinandi respondeant sanctitati gradus suscipiendi, plane sequitur, eo animo fuisse Innocentium Pontificem, ut Litterae testimoniales vitam, moresque Clerici commendent, non absolute et simpliciter, sed relate ad omnes sacros Ordines, ad quos optet quis promoveri; et quibus, ut initietur, idoneum dignumque eum esse per tales Litteras debet comprobari; ideoque iubet etiam Pontifex, de eisdem Litteris testimonialibus expressam fieri mentionem in collatorum Ordinum testimonio.

n Istiusmondi interpretationem non obscure confirmat Decretum *a* sancto Carolo Borromaeo editum n* Concilio IV Provinciali *par. 2 tit. 4. Quae pertinent ad Sacramentum Ordinis* — his verbis — *Saepe illud facileque evenit, ut vel hominis mores mutentur, vel quod de illius vita minus antea notum, atque exploratum erat, id postea aliquando patefiat, quo fit, ut quem Episcopus, Superiorve aliquando probarit, dignumque existimant, aliquo etiam sacro Ordine initiari, illum ipsum inveniat indignum, neque idoneum esse, cui idem, aut maior Ordo conferatur. Quare ut et erroribus multiplicique fraudi occurratur, et plane serventur Decreta illa Tridentina, unum, quo vetatur ad superioris Ordinis gradum illos ascendere, qui in inferiori aliquandiu, Episcopi iudicio, versati non sint, quique cum aetate, vitae etiam merito doctrinaque maiori non processerint : alterum, quo cavetur, nemini licere ab alio Episcopo primam Tonsuram aut Ordinem aliquem suscipere, nisi eius probitas et mores Ordinarii sui testimonio primum commendentur: Episcopus aliusve Supe-*

rior, prout pro sua prudentia pietateque expedire censuerit in primis videat, ne cuiquam, antequam sacrae Ordinationis tempus proxime instet, litteras eiusmodi testimoniales Dimissoriasque pro Ordinibus ab alio Episcopo suscipiendis, sine necessaria causa unquam concedat.

» Satis itaque constat, Litteras testimoniales morum, ut Sacro Concilio Tridentino satisfaciant, eo spectare ac tales esse oportere, ut probatum testatumque reddant vitae meritum idoneam ad tales Ordines suscipiendos, prout singulos eorum gradus decet. Si vero testimonium a Tridentina Synodo requisitum tale esse debet, ut respectum habeat ad eos Ordines, quibus inaugurandus quis sit, certe non aliud fieri potest iudicium de forma et qualitate Litterarum testimonialium, de quibus loquitur Bulla Innocentiana, quippe quae prodiit ad redintegrandam firmiusque retinendam disciplinam a Tridentinis Patribus constitutam.

» Hoc ipsum confirmat consuetudo apud Episcopos vigens, nimirum ut litterae testimoniales, quibus Clericus uti intendat ad suscipiendos ab alio Episcopo ulteriores Ordines, id peculiariter declarent, et singula recenseant ad hunc effectum opportuna. Formulam hoc modo compositam, et in Hispanis Regnis servatam, refert Lamperez *in Commen. ad Bullam Specul.pag. 39 n. 3H.* Eamdem quoque, veluti usitatam in Episcopalibus Italiae, tradit *Monacell. in Formul. For. Eccles, tom. 4 tit. 4 Formul. 9 pag. 82.* Atque id ipsum deduci videtur ex recenti Concilio Romano *tit. 6 cap.* 4, ubi agens Pontifex de huiusmodi Litteris testimonialibus sic concludit — *Neque Testimoniales litteras ullatenus concedi volumus, nisi praevio antedicto examine habiles ad Ordinem approbari meruerint,* — ut scilicet significaretur testificationem respicere debere speciatim habilitatem ad talem, ve! talem Ordinem.

» Et re quidem vera exemplum Litterarum testimonialium, quae in Urbe Roma expediuntur ab Eminentissimo Vicario, est hoc — *Cum NN. natus in Urbe per accidens, a R. P. D. Episcopo NN. suo Ordinario ad primam Clericalem Tonsuram* (sive minores, sive sacros Ordines, de quibus fit mentio) *promoveri cupiat, propterea a Nobis testimoniales litteras super suis natalibus, aetate, vita, et moribus ad formam Constitutionis S. M. Innocentii XII, quae incipit* — Speculatores — *humiliter requisivit. Hinc tenore praesentium notum facimus et attestamurpraedictum NN. ex legitimo matrimonio natum fuisse in hac alma Urbe die etc. Augusti etc. et baptizatum die etc. in Parochiali Ecclesia S. N. Sacro Chrismate confirmatum in Sacrosancta Lateranen. Basilica, et in propria Parochiali Ecclesia S.* iV. *tribus diebus festivis de praecepto proclamatum, nullius censurae vinculo, nec alio canonico impedimento, quo a suscipienda dicta Clericali Tonsura* (sive minoribus, sive sacris Ordinibus) *arceri, aut te-*

neri possit (quod sciamus) irretitum esse per totum tempus, quo in Urbe moras traxit, nempe ab eius nativitate usque ad mensem etc. anni etc. sed fuisse, et esse in statu libero, et soluto, bonis vita, moribus, et fama imbutum, prout ex legitimis documentis in Secretaria nostri Tribunalis constare fecit.

» Adstipulatur praeterea ritus Pontificalis Romani, de quo etiam in *capit. unie, de Scrutin, in Ord. facien.* In ipsa enim Ordinum celebratione palam interrogante Episcopo Archidiaconum, sive eius officio fungentem, num sciat eos, qui ad Diaconatum, et Presbyteratum sunt promovendi , dignos esse, singillatim ille quoad unumquemque eorumdem sacrorum Ordinum magna voce respondet — *quantum humana fragilitas nosse sinit, scio et testificor dignos esse ad huius onus officii* — Scilicet dignos et idoneos non utcumque, sed relate ad eum Ordinem, qui sit conferendus, et ad sacrum illud ministerium de quo suscipiendo agatur.

» Nec vero, si ita concipiatur litterae testimoniales, dici posset eas non fore diversas a litteris dimissoriis. Vere enim magna inter eas adhuc superesset differentia, nam litterae dimissoriae exprimunt traditam facultatem, ut alter Episcopus possit Clericum illum ad Ordines promovere. Litterae autem testimoniales non hanc facultatem impertiuntur, quia supponitur facienda Ordinatio ab alio Episcopo non indigente traditione huius facultatis, sed ea potituro iure suo, solumque continent testimonium, quod Clericus promovendus sit dignus, cui tales Ordines conferantur, quemadmodum haec diversitas internosci potest ex litteris utriusque generis, quarum formulam recenset *Monacell. tom. / tit. 4 formul. 3 et formul. 9.*

i> Vere tamen etiam differunt litterae testimoniales, quae dantur ea mente, ut ad praescriptum Bullae Innocentianae exhibeantur alteri Episcopo Ordines collaturo ei, qui Be^neficium in sua dioecesi fuerit assecutus , a litteris testimonialibus , quae concedi solent ad commendandum Clericum e dioecesi proficiscentem, ut istarum quoque formula habetur apud *Monacell. dict. tit. 4 formul. 6.* Sed si istiusmodi litterae nullum exprimentes respectum promotionis ad Ordines, approbentur tanquam idoneae, et Bullae Innocentianae satisfacientes ad suscipiendos ab alio Episcopo Ordines, facilis sterneretur via fraudibus cum non mediocri ecclesiasticae disciplinae discrimine, quemadmodum conquestus fuit Episcopus Pientinus, sic scribens — *Si de testimonialibus agatur, non inficior, quod a mea Curia concessae fuerint Clerico Laurentio Medicheschio paulo ante eius discessum, prout Clericis omnibus illas postulantibus, et praesertim discessuris conceduntur, sed limitate ad mores, et absque ullo prorsus respectu ad Ordines suscipiendos, de quibus nec per umbram fuit cogitatum,* — et infra — *prius audivi, dictum Me-*

âicheschium celebrasse Missam in hac mea dioecesi, quam fuisse ordinatum Sacerdotem.— Similes itidem querelas Don ita multo pridem detulit ad hanc Sacr. Congregationem Archiepiscopus Pisanus, cum Petrus Christophorus Cosci qui diuturnum domicilium habuerat in dioecesi Pisana, *extortis* (sic scribebat Archiepiscopus) *Litteris testimonialibus ad alium finem a Vicario Generali,* Sacros omnes Ordines suscepisset ab Episcopo originis, ut expositum fuit in Folio Congregationis habitae die 26 Ianuarii 1732.

» Posset quidem huius fraudis periculo occurri , apponendo in ipsis litteris testimonialibus, quas reticito consilio ascendendi ad sacros Ordines petant discessuri e dioecesi, declarationem, ut vitae„ et morum commendatio in eis exposita non intelligatur suffragari ad Ordines suscipiendos ab alio Episcopo. Sed nemo non videt id fieri non posse, salva et incolumi eiusdem Clerici fama, quia plus fortasse ei officeret suspicio, quam excitaret haec declaratio, quam profutura esset ipsa morum vitaeque commendatio.

» Haec sunt, quae ex una parte considerari possunt. Ex alia vero occurrunt itidem plura non levis ponderis ad rei gestae approbationem vel saltem excusationem. Quandoquidem Bulla Innocentiana clare, et aperte non iniungit, quod litterae testimoniales ab Episcopo originis, et domicilii impetrandae exprimere debeant causam, ob quam dentur, videlicet suscipiendi Ordines ab alio Episcopo ratione Beneficii. Praeterea cum in Litteris Episcopi Pieotini affirmaretur, Laurentium nullo irregularitatis vinculo esse irretitum, haec ipsa assertio includere videbatur testimonium de legitimis natalibus , quorum alioqui vitium reddidisset Laurentium irregulärem. De aetate vero ad sacros Ordines requisita aliunde certo constare potuit. Denique cum testaretur Episcopus Pientinus Laurentium fuisse immunem a quocumque Canonico impedimento, atque etiam bonis et honestis moribus praeditum, *ac talem, qualem in sortem Domini vocatos decet,* recte potuit existimare Episcopus Ilcinensis huiusmodi testificationem referri ad eam quoque morum probitatem, quam status ecclesiasticus postulat, quaeque convenit gradui maiorum Ordinum. Saltem vero concludendum videtur excusatione dignos, et Episcopum ordinantem, et Clericum ordinatum, ne obnoxii facti fuerint poenis statutis a Sacro Concilio Tridentino, et a Bulla Innocentiana, prout in casu non absimili excusationi locum dedit Sacra Congregatio in *Firmana, seu Lauretana* ordinationis *4i Novembris 4705 lib. 55 Decr. pag. 395.*

» Dignentur itaque Eminentiae VV. decernere:

» An quoad III et IV Dubium sit
f> standum, vel recedendum a decisis
» die 18 Iulii proxime praeteriti in
» casu etc. »

»S.Congregatio causa iterum dis-

cussa die 8 Augusti 1733 respondere censuit.

» Quoad tertium *recedendum a decisis.*

„ Ad quartum vero *consulant conscientiae suae.»*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Quamvis adsint Beneficia ecclesiastica, quae ob peculiarem suam indolem non existimantur idonea ad rite constituendum titulum s. Ordonationis; non'exinde tamen semper concludi posse, ea idonea non esse ut Clericus, qui aliquod ex buiusmodi Beneficiis pacifice possideat, non evadat subditus ratione s. OrdinationisEpiscopo in cuius dioecesi tale Beneficium possideat.

il. Non iisdem enim legibus utraque res regitur; quum Beneficium, quo aliquis fit subditus alieno Episcopo, sequatur leges in Constitotione Innocentii XII constitutas, et Beneficium ad titulum s. Ordinationis alias canonicas normas sequatur.

III. Clericum,qui Beneficium sufficiens in aliena dioecesi obtineat atque pacifice possideat, eo ipso evaderesubditum, causas. Ordinationis, huius quoque Episcopi, ita ut possit ab huius dioecesis Episcopo ordinari sine litteris dimissoriis Episcopi proprii domicilii.

IV. Non posse tamen ab hoc Episcopo ordinari sine Uteris testimonialibus Episcopi tam originis quam domicilii,

V. Eiusmodi literas testimoniales adamussim testari debere iuxta praescriptum ss. canonum Tridentini Concilii et Constitutionis Innocentianae ad effectum cuiusque sacri Ordinis suscipiendi,

VI. Colliges praeterea, literas testimoniales ad Ordines a uteris dimissoriis ex eo essentialiter differre, quod literae dimissoriae tribuant ac exprimant traditam facultatem ad suspiciendos Ordines, quod non tóciunt literae testimoniales,

MATRIMONII

Lie 24 Ianuarii 187i.

Compendi um facti. Caius inierat sponsalia cum Lucia, sed, antequam matrimonium contraheretur, ob compertam eiusdem Caii impotentiam, ut testes deponunt, sponsalia illa soluta sunt.

Ad alia vota se convertit Gaius, atque uxorem petiit Iuliam; intra tres menses matrimonium inire paciscuntur. Neque a proposito valuerunt removere parentes puellae epistolae anonymae ad eos missae quae conclamabant notoriam Caii impotentiam: eas enim epistolas legendas tradebant Gaio, qui indignabundus tamquam ex invidia calumniaque conscriptas reiiciebat.

Die itaque 81 Ianuarii 1864 Caius, duos et viginti annos natus, et Iulia duodeviginti, iuxta Ecclesiae ritum matrimonium celebra runt.

Eiusmodi causa ex illis est, quas honestas non patitur, ut publice exponantur. Satis est scire, ex toto processu scatere viri frigiditatem et omnimodam impotentiam: indicabo tantum iudicialem procedendi modum rite servatum.

Duos fere annos cohabitarunt coniuges, donec vir crebris vexationibus uxorem afficiens eam e domo sic exire coegit.

Duobus aliis post annis, die 17 Ianuarii 1868, supplices preces Iulia porrexit suo Archiepiscopo ut declararet matrimonii nullitatem ex causa viri impotentiae antecedentis matrimonium et perpetuae, qua de causa processum conficeret iuxta BenedictinamConstitutionem, *Dei miseratione.* Archiepiscopus rem omnem commisit suo Vicario Generali, qui iuris ordine servato processum aperuit et sententiam definitivam edidit: quod sic contigit.

Intimato per Vicarium libello mulieris reo convènto Gaio, hic, neque per se, neque per Procuratorem, ullum unquam verbum respondit. Et quamvis sive in eius domiciliis, sive per publica edicta usque ad iudicii exitum per Curiam archiepiscopalem ei fuerint acta intimata, ille in sua contumacia constanter et pertinaciter perstitit. Denique, declarata iudiciali Decreto viri contumacia, die 5 Martii 1868 Iudicium prosequutum est, atque lis contestata fuit inter actorem seu Iuliam ex una et matrimonii validitatis Defensorem ex alia parte.

POPPO omnia processualia acta rite inita prosecuta et absoluta sunt ad normam dictae Constitutionis, ***Dei miseratione,*** et iuxta Instructionem S. C. C editae die 22 Augusti 1840 (1). Idque non solum quoad ea quae communia esse solent pluribus causis; sed etiam quoad ea quae specialiter in eiusmodi matrimonialibus causis vel praescripta sunt vel commendata. Sic nihil causa desiderandum reliquit circa constitutionem, iuramentum, adsistentiam Defensoris matrimonii in quovis actu iudiciali et in examine testium: itidem rite examinata fuit uxor, altero coniuge in pertinaci contumacia manente, aliique testes tum a parte, tum a fiscali Promotore et matrimonii Defensore inducti: testimonium septimae manus exquisitum circa veracitatem iuratae confessionis iudicialis a coniuge reclamante prolatae et circa propriam credulitatem: locum habuit inspectio corporis iuxta dictae Instructionis tramites.

His omnibus iudicialibus actis rite absolutis, a Vicario Generali iniungitur tum Fisci patrono et Defensori validitatis matrimonii, tum causidico Iuliae, ut deductiones in causa conclusiones penes acta exhiberent, et Caius reus contumax etiam per edictum vocaretur. Cui Decreto, nulla interiecta mora, statuta die 23 Februarii 1869 partes obediunt, suasque conclusiones exhibent.

Atque matrimonii Defensor inter cetera animadvertit: actorem sero incusasse penes Curiam viri impotentiam, unde suspicari fas esse arbitrabatur, impotentiam non praecessisse matrimonium, sed supervenisse: depositiones iuratas duorum testium septimae manus contrarias esse depositioni iudiciali Iuliae: probationes virginitatis a peritis iudicialibus deductas nullius momenti esse, quippe fallibilia et incerta virginitatis signa, et praesertim quoad hymenem: testes productos testari quidem de publica voce super viri impotentia, at eorum neminem clare exponere scientiae causam, dubiumque adhuc manere ab externa corporis conformatione Caii, quae virilem potentiam adesse suaderet: deesse tandem triennale experimentum ex Cap. ***Laudabilem, de frigid, et malef.*** praescriptum (2).

(1) **Eiusmodi Instructionem habes expositam in** *vol. Ipag. 439;* **et Constitutionem** *Det miseratione,im>ol.*/V*pag.546 et seqq.*

(2) **Caelestinus III in citato cap.** *Lau*dabilem* **haec rescripsit: «** *Requisivisti, quantum tempus indulgendum sit naturaliter frigidis ad experientiam topulae*

Ad petitionem pontificiae dispensationis super matrimonio rato et non consummato, quam apud S. Sedem ab Ordinario commendari postulabat Iuliae procurator, validitatis matrimonii Defensor declarabat, nullas sibi rationes suppetere, ut sese opponerem immo fassus est, aversionis et odii ipsos inter coniuges eorumque familias satis apud acta comprobatas causas huic petitioni suffragari.

E converso Orator Iuliae, enumeratis variis praesentis iudicii stadiis, plura congessit sive in facto sive in iure, quibus satis superque constare contendebat de ***antecedenti*** ac ***perpetua*** viri impotentia, nec non de ***physica*** Iuliae virginitate: ideoque iuxta tramites ss. canonum proclamandam a Iudice esse matrimonii nullitatem.

Insuper cum in tuto positum esset, matrimonium huiusmodi licet ratum numquam fuisse consummatum, locum esse, animadvertit, Apostolicae dispensationi ex iustitia: neque ad hoc deesse aiebat motiva vera honesta et urgentia, quae iuxta Canonistas satis superque essent ad dispensandum.

Itaque Vicarius Generalis, revocatis in summa capita omnibus iudicialibus actis, quae magno continentur volumine, sibi quinque quaestiones ab actorum visceribus exorientes singillatim evolvendas suscipiens, easque resolvens, denique die 25 Februarii 1S69 hanc definitivam sententiam protulit.

nuptialis **(in qua si defecerint separentur).** *Nos vero praesenti consultatione sentimus, ut a tempore celebrati coniugii si frigiditas prius probari non posset cohabitent per triennium, quo elapso, si nec tunc cohabitare voluerint et iuxta Decretum Gregorii mulier per iustum iudicium de viro probare potuerit, quod cum ea coire non possit, accipiat alium, si autem ille aliam acceperit separentur. Quod si ambo consentiant simul esse, vir eam etsi non ut uxorem, saltem habeat ut sororem. Si autem quod numquam se invicem cognoverint ambo fatentur, cum septima manu propinquorum vel vieinorum bonae famae (si propinqui defuerint), tactis sacrosanctis Enangeliis uterque iureiurando dicat quod numquam per carnis copulam una caro effecti fuissent, et tunc videtur, quod mulier valeat ad secundas nuptias convolare.'Verum si ille aliam duxerit, tunc hi qui iuraverant rèi periurii teneantur, et peracta poenitentia cogatur ad connubia priora redire. »*

Haec simplex procedendi ratio, quae aetate Caelestini III sub finem saeculi XII et antea vigebat, saeculis sequioribus in desuetudinem paullatim abiit, et aetate nostra triennale illud experimentum ab aula, ut dici solet, recessit; quum alia procedendi methodus paullo quid implexior et prolixior, praesertim ob homN num malitiam, constituta sit.

a **1** Dissolvendum esse matrimonium Iuliae N initum cum Caio N, utpote nulliter contractum, prout definitiva sententia dissolvimus.

» **2** Condemnandum esse reum contumacem iudicialibus expensis, aliisque damnis ex eo praefatae Iuliae sortitis, non exclusa debita Advocato et Procuratori compensatione, prout praesenti definitiva sententia condemnamus. »

Ab hac sententia Fiscus et validitatis matrimonii ex officio Defensor, iuxta Const. ***Dei miseratione*** §. 8. rite appellavit ad S. Apostolicam Sedem pro eiusdem matrimonii validitate, propter motiva in fiscalibus conclusionibus in scriptis exposita.

Interposita autem appellatione, atque transmissis ad S. C. C. omnibus actis, mulier preces dedit Archiepiscopo, ut saltem dispensatio concederetur. Tunc **Emus** Archiepiscopus omnibus actis ad S. Congregationem transmissis, monuit: « S. Congregatio pro sua auctoritate et sapientia iudicabit de causae merito deque ritu actorum: et pro sua iustitia sive sententiam meae Curiae confirmet sive infirmet, supplico ea ratione qua possum, ut a Romano Pontifice Apostolica dispensatio super matrimonio rato et non consummato concedatur: hac enim dispensatione submovc rentur mala, damna et peiora scandala, quae conturbare violentei possent utrasque familias et in desperationem mulierem coniicere, quae animae suae salutem suumque honorem negligeret, praeter ordinis socialis perturbationem si ad alia matrimonialia vota con' volare vellet. »

Hisce habitis, iam apud S. Congregationem Decretum editum fuerat, ***ponatur in folio citata parte et defensore matrimonii ex officio,*** quando Rmus Archiepiscopus iterum litteras dedit, ut, habita ratione paupertatis mulieris, causa, non iuris ordine servato per Procuratores et Causídicos, sed oeconomice pertra^ ctaretur. Hac re delata SSmo Patri, habita ratione peculiarium circumstantiarum, SSmus annuit pro gratia, praevio voto Theologi et Canonistae et animadversionibus Defensoris ex officio, prouti eiusmodi causae pertractantur, quae ***oeconomice*** pertractari dicuntur.

Tum Canonista tum Theologus in eandem sine haesitatione devenerunt sententiam, matrimonium videlicet esse nullum ex impotentia viri ***antecedenti*** et ***perpetua,*** ita ut neque opus esse/

Apostolica dispensatione super matrimonio rato et non consummato: ideoque Curiae sententiam esse confirmandam opinati sunt. Quod si tamen ad cautelam dicta dispensatio Apostolica implorari vellet, ostendebant simul non deesse in themate validas causas dispensationis; praesertim impotentiam viri* quae si forte non fuisset ***antecedens*** vel non satis demonstraretur ***perpetua,*** causa tamen fuisset dispensationis; cui accedebant inimicitiae, simultates etc.

Canonista enim, qui accuratissime omnia ad normam iuris expendit ad has conclusiones devenit sic scribens: « ex his omnibus testium depositionibus iuramenti religione firmatis luculentissime constat: 1 Caium laborare impotentia coeundi: 2 hanc impotentiam esse omnino certam, non dubiam: 3 esse ***antecedentem*** matrimonio inito cum Iulia: 4 esse ***absolutam,*** non relativam: 5 esse organicam seu ex natura, non ex accidentali causa: 6 tales denique eam praeseferre characteres, ut tuto iudicari possit, eam esse perpetuam. »

Theologus in suo scribendo voto sibi quandam proposuit difficultatem quae partim processum respicit partim causae meritum: inquit enim, testimonium septimae manus ex parte viri videri omissum. Hanc tamen difficultatem illico solvit, animadvertens, Medicos atque Chirurgus fuisse rite examinatos, qui curabant Caii familiam ipsumque Caium. Animadvertit praeterea, in themate testimonium septimae manus ex parte viri non esse, ex iuris praescripto, necessarium, adducens auctoritatem Reiffenstuel, ***lib.*** 4. ***Decret, tit.*** 15. ***n.*** 51, qui haec tradit: « Illud etiam » notandum, quod si una parte negante, altera pars coniugum » affirmet impotentiam perpetuam et res probari etiam debeat » cum iuramento credulitatis propinquorum, non requiruntur » quatuordecim, seu ex qualibet parte septem; sed sufficiunt » septem ex parte affirmantis; Sánchez ***lib.*** 7. ***disp.*** 109. ***n.*** 13, ***» cap. Proposuisti*** 4 ***de probat***(1). » Notavit denique Theologus in themate undeviginti testes fuisse iuridice examinatos.

(1) **Interpretes ss. canonum valde accurate scripserunt de numero testium qui appellantur** *septima manus,* **idest auxilium septem testium ex utraque parte propinquorum vel vieinorum, quorum testimonium in veteri methodo tractandi eiusmodi causas erat auxilium praecipuum ad iudicandum: sed in praesenti disciplina animadverti, eiusmodi testimonium septimae manus universim quidem.**

Matrimonii Defensor ex officio scribens contra Iuliae instantiam, seu pro validitate matrimonii institit maxime contra obstetricum testimonium, referens eorum auctorum opiniones, qui docent, incerta admodum esse virginitatis signa; immo neque eiusmodi certa signa dari: hoc autem posito irridebat testimonium obstetricum, quae in iudicio facilitate summa fassae sunt, se ictu oculi, absque ulla haesitatione, cognoscere solere virginitatis signa; eademque facilitate de perfecta virginitate Iuliae testimonium dederant. Curavit-Defensor infirmare testimonium medicorum, dicens, horum iudicium plene fuisse innixum labili testimonio obstetricum.

Animadvertit praeterea, Caium sive ob contumaciam Iatitaret, sive esset rerum quae de eius matrimonio agebantur, ignarus, auditum non fuisse neque physico peritorum examini subiectum ad eius cognoscendam impotentiam: ideoque concludebat, non posse conclamari matrimonii nullitatem: non enim agi de re, cuius iudicium adversum feriat tantum viri personam, sed ipsam validi matrimonii causam: neminem enim solvere posse, quod Deus coniunxerit.

Eo magis, quod testimonium septimae manus ex parte viri non fuerit auditum.

Post haec curavit Defensor infirmare depositiones testium, contendens aliquos vel non esse audiendos, quia turpitudinem propriam in iudicio fateri non erubuerant, vel quia subornatos esse inquiebat, vel quia inverisimilia aut falsa et contradictoria, uti aiebat, deponebant.

His aliisque pluribus copiosissime deductis proposita sunt resolvenda

Dubia.

I. « An sententia Curiae (N) sit confirmanda vel infirmanda » in casu.

requiri a S. Congregatione; sed num- te: requirit universim testimonium septi-
quam animadverti, S. Congregationem mae manus, idest aliquem numerum
exigere adamussim septem ex una par- sive propinquorum sive vicinorum sive
te et septem ex alia, neque distingue- amicorum aliorumve, qui praesuman-
re, ut interpretes faciunt, quando sit sa- tur rem melius de qua agitur cogna-
tis habere eos testes ex una tantum par- scere.

*> Et quatenus negative ad primam partem, affirmative ad » secundam:

II. » An sit consulendum Ssmo super dispensatione matri- » monii rati et non consummati in casu.»

RESOLUTIO. S. Congregatio Concilii causa cognita in comitiis habitis die 24 Ianuarii 1871 respondere censuit:

Ad I. ***Sententiam esse confirmandam vetito viro transitu ad alias nuptias, inconsulta S. Congregatione.***

Ad II. ***Provisum.***

Matrimonii Defensor post huiusmodi Resolutionem novam audientiam postulavit, ut iterum disputaretur super utraque dubiorum formula: id notificatum fuit utrique coniugi; vir enim suum Causidicum designaverat penes S. Congregationem, atque praefixus est eis terminus ad propria iura protuenda. Verumtamen ab eis neque penes Curiam neque penes S. Congregationem aliquid est deductum. Id significatum fuit Causidico a viro designato; at neque voce neque scripto aliquid ab eo dictum est: omnesque alii silentium alte servarunt.

Ex officio itaque causa reproposita est in comitiis habitis die 24 Martii 1871, cum voto alterius Theologi aliisque animadversionibus Defensoris matrimonii: atque, causa iterum discussa, ad consuetas dubiorum formulas: <c I. An sit standum vel rece- « dendum a decisis in primo dubio in casu: II. An sit standum « vel recedendum a decisis in secundo in casu: » S. Congregatio respondit: ad I et II ***in decisis.***

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. Matrimonium ab eo contractum, qui ex natura sit absolute impotens ad consummandum matrimonium, esse ipso iure nullum.

II. Ideoque, evidenter demonstrata in foro externo eiusmodi impotentia, non opus esse, ut Pontificia dispensatio interveniat, qua dissolvatur matrimonium ratum et non consummatum: numquam enim fuit ratum quod ab initio nullum fuit.

HI. Ut tamen de eiusmodi naturali impotentia constet, quae impediat matrimonium, ostendi debere, eam iam matrimonium praecessisse, non supervenisse; eamque esse absolutam, quae humano remedio vinci non possit.

IV. Colliges praeterea, contumaciae viri impotentis, qui iudicium fugiat, iam esse ex iure consultum per Defensorem matrimonii, qui pro suo officio sustinens matrimonii validitatem, viri personam suam impotentiam denegantis eo ipso sustinet.

V. Neque opus esse ad impotentiam demonstrandam triennale experimentum, quod in usu erat in veteri iure (quodque in eiusmodi causis in desuetudinem abiisse videtur), quando saltem suppetant tutiora media ad eiusmodi iudicia ferenda.

VI. Eiusmodi tutiora media esse depositiones coniugis impotentiam alterius affirmantis testimoniis opportunis confirmatas, et Peritorum et obstetricum iudicium post physicum examen rite peractum.

VII. Emisso iudicio de impotentia, S. Congregationem vetare solere parti impotenti alias nuptias non obtenta ab eadem S. Congregatione licentia (1).

(1) Confer causam quam **exposui** in *M. IV pag. 498,* in qua affertur exemplum huius datae licentiae. Vetitum hoc contrahendi matrimonium parti impotenti factum non inducit per se impedimentum *dirimens,* sed dumtaxat *impediens:* manente scilicet hac prohibitione neque Ordinarii fidem liberi status dare possunt, neque Parochi matrimonio assistere, neque licite etiam ex hoc capite, qui interdictus sit, contrahere matrimonium clandestinum posset: attamen si faceret, matrimonium esset firmum si aliunde nullum non esset. Dixi si aliunde nullum non esset; sic ex. gr. si ageretur de Caio de quo in praesenti causa est iudicatum, matrimonium esset nullum vel quia impotentia absoluta laborat, vel si alia uxore ducta forte ostenderetur potens, ad primam uxorem redire esset cogendus:matrimonium enim declaratum est per se nullum ex causa dictae impotentiae, quae si revera deesset, quum non sit super matrimonio rato et non consummato dispensatum, ad primam uxorem redire Caius deberet, cum qua matrimonium adhuc consisteret. Haec tament exigèrent novum S. Congregationis iudicium.

Hic fieri posset casus, quamquam speculativus potius quam practicus: pone Caium aliam uxorem ducere atque ita ut potens ostendatur: ex dictis hoc secundum matrimonium esset nullum et valeret primum: **I°** posset ne R. Pontifex dispensare super primo matrimonio rato et non consummato ? 2° Et dispensato primo matrimonio tantum rato convalesceret ne ipso iure matrimonium secundum ?

Facilis est ad utrumque responsio: Ad I Romanus Pontifex posset:ad II opus esset ut sanaretur in radice iuxta ea quae scripsi in *vol. I pag. 482 et seqq.* aut iterum celebraretur.

Die 29 Aprilis 1871,

Compendium facti. Ioseph diuturno amore prosequutus est puellam Conceptam, eamque denique defloravit; natumque infantem pro suo habuit et paterna cura aluit.

Postea amoris Conceptae pertaesus cum alia muliere nuptias inire properabat: Concepta, rebus cognitis, apud Curiam impedimentum interposuit, quod ***nihil transeat*** nuncupant.

Ioseph, ut ab hoc vinculo liberaretur, quo stante, non potuisset obtinere testimonium Curiae de statu libero, in ius vocavit Conceptam, ut interpositum impedimentum submoveretur.

Inito ergo iudicio, institutoque factorum examine, tum a Concepta ad fidem futuri matrimonii probandam tum a Iosepho ad eam denegandam aliati sunt testes.

Horum plurimi a muliere prolati de promissione et repromissione matrimonii ineundi nihil explicite affirmarunt, quamvis de amoribus, deque familiaritate viri cum Concepta testati sint, nec non de stupro deque edito partu, recognitione filii a viro facta, de mandato accepto ad conciliandam dotem, et demum de comperta mulieris honestate: de qua fidem amplam iam fecerat Parochus.

Duo tamen testes de promissione et repromissione haec deposuerunt: unus enim testatus est: «t Duobus abhinc annis dum essem in officina, quam Conceptae pater possidet, loseph aderat cum Concepta atque inter colloquia promittebat se eam uxorem ducturum, et vicissim Concepta repromittebat matrimonium.» Atque idem testis subdit: « tum ante tum post stuprum pluries Ioseph, in dicta Conceptae officina sistens, Conceptae promittebat, se eam uxorem ducturum, et vicissim respondebat Concepta, se non alii quam Iosepho nupturam. » Denique idem testis adiecit: « Scio, Iosephum, priusquam deflorasset puellam, ei promisisse matrimonium, et etiam post deflorationem, quia Iosephus ipse mihi dicebat, tum ante tum post stuprum, se eam absolute uxorem ducere velle.»

Altera testis deposuit: « Iosephus pluries mihi dixit uxorem ducere se velle Conceptam; sed eius matrem annuere nolle si do-

tem mulieri non darent ducatorum 700; quam mulierem nisi Iosephus devirginasset, quemadmodum se facturum mihi significavit, eam non posset uxorem ducere. »

His omuibus obstitit loseph fidem testium denegans et praesertim eorum quos modo retuli, quos dicebat *singulares,* non *contestes* et fide minime dignos.

Depositionibus testium a Curia perpensis, die 6 Iunii 1868 prodiit sententia, qua dicti impedimenti appositio confirmata fuit.

Post haec diu siluit causa, et interea vir summam ducatorum 700 mulieri exhibuisse videtur ut suo iuri seu molestiis inferendis cederet: quum ipsa tamen recusaret, die 30 Iunii 1869, idest anno post, loseph ad S. C. C. appellavit, quin eius appellationem Conceptae significaret, neque acta Curiae transferret.

Rogatus Archiepiscopus pro informatione et voto atque ut referret de Oratoris iure transmissis actis, inter cetera monuit, appellationem factam esse post annum et vigintiquatuor dies a lata sententia.

Hisce habitis Decretum de more prodiit: *ponatur in folio super peremptione appellationis, idque notificetur Emo Archiepiscopo, qui praefigat partibus congruum tempus ad deducenda iura sua coram S. Congregatione et de resultantibus Congregationem certior et.*

Huiusmodi Decreto cognito, Iosephi Defensor preces obtulit, ut causa etiam super merito discuteretur. Atque prodiit Decretum, quod efferri solet verbo, *uniatur:* quo Decreto significatur, preces uniendas esse causae ut de his ratio quoque habeatur.

Causa itaque proposita est sub dubiorum formulis quae in calce prostant.

Disceptatio gynoptiea.

DEFENSIO IOSEPHI. Iosephi Defensor quoad primum dubium contendebat, appellandi facultatem adhuc Iosepho manere, quod tempus ad appellandum utile non a die latae sententiae esset computandum, sed a die quo intimata sit sententia parti, quae in iudicio succubuit, iuxta tramites Codicis Gregorii XVI §. 969.

Iam vero in facto esse positum, sententiam a Curia latam non notificata»! iosepho fuisse: ergo adhuc in facultate esse Iosephi a sententia appellandi.

Ad secundum dubium super causae merito se convertens Orator animadvertit, esse in iure exploratum existentiam sponsalium non indiciis, sed validis argumentis esse probandam, propterea quod agitur de nativa hominis libertate coercenda per grave et perpetuum matrimonii iugum imponendum: ideoque nisi promissio unius et repromissio alterius adeo clare appareat, ut nullum admittat dubium, sponsalium contractum existere iudicari non posse. Quae quidem passim leguntur in huiuscemodi causis apud S. C. C. pertractatis.

Iamvero huiusmodi probationem in themate nullimode dari contendebat, tum quod ex allatis testimoniis non haberetur, tum quod puella libidine accensa virum allexerit atque urserit ad eam explendam: Iosephus enim inquiebat, se fuisse a muliere accersi tum noctu et clam in domum eiusdem Conceptae, quando eius fratres somno iacerent, cuius domus ianua per Conceptam aperiretur.

Eo magis excludendam esse sponsalium existentiam Orator subiungebat, quod mulier relicta domo paterna alibi filium in lucem ediderit, atque noluerit amplius in propriam domum redire etsi Iosephus maxime urgeret, adstipulante quoque Conceptae fratre: ex quibus Orator arguebat, non ex timore patris aut fratrum, Conceptam noluisse suam domum redire, sed ex lubrica vitae ratione.

His accedebant duo testes, qui deposuerant: ***identidem Iosephus eam est osculatus:*** item: ***in publica officina Iosephus amore ludebat cum Concepta eam deosculans.***

Quum itaque de eiusmodi muliere ageretur, quae denique virum ipsum contumeliis affecerit, neque sponsalium existentiam evinci neque locum esse impedimento ***nihil transeat.***

Sed admittens Orator posse interdum praesumi existentiam sponsalium, quamvis non constet de explicita promissione aut repromissione, animadvertit, ut praesumptio vim habeat explicitae probationis, haec tria concurrere debere: 1 promissionem ostendi debere veram et liberam futuri matrimonii a viro expressam: 2 copulam carnalem consequutam: 3 notoriam honestatem m u-

lieris, quae nunquam tale dedecus passa esset, nisi sub fide matrimonii contrahendi.

Iamvero, eiusmodi elementa in themate deesse Orator contendebat: deesse primum, quum probari non posset ex testibus vera et libera promissio futuri matrimonii a viro expressa: duos enim testes a muliere deductos, qui id viderentur testari* reiiciebat Orator, tamquam singulares et non contestes, immo tamquam viri inimicos, latrones et calumniatores. Deesse secundum elementum, quod nemo ex propria scientia stupri auctorem fateretur Iosephum: deesse tertium, quod ex modo deductis ostendere curavit, idest ex osculis in publica officina receptis, ex absentia a domo causa illegitimi partus.

Ad tertium dubium gradum faciens Orator, animadvertit, facta hypothesi, de sponsalioas, stupro et honestate mulieris, in themate constare, dispensationi etiam locum esse, propterea quod mulier virum iniuriis et contumeliis affecerat, ita ut fassa ipsa fuerit, se cum eo nuptias amplius inire nolle: ***domi meae te amplius nolo; te nolo, quia nuptias cum pari meo inire debeo.*** Maxime vero, quod ex coactis nuptiis mali derivant exitus, iuxta textum in ***cap. Requisivit,*** 17, ***de Sponsalibus,*** in quo de muliere renuente legitur: « ***cum libera debeant esse matrimonia, monenda est potius*** (mulier, quae interposito iuramento se viro nupturam firmaverat), ***quam cogenda, cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere.»***

Haec et alia protulit Iosephi Defensor.

DEFENSIO MULIERIS. Mulier defensorem apud S. C non constituit, ideoque eius defensio, prout moris est, ex officio facta.

Circa primum dubium est animadversum, tempus ad appellandum utile ex communi canonico iure esse decem dies ab habita notitia sententiae, quo inutiliter elapso, locum non amplius esse appellationi, iuxta cap. ***Quod*** 15 ***de Sentent, et re iudic,*** ubi legitur: « ***Cum post decem dierum spatium sententia in auctoritatem rei transeat iudicatae, qui ad provocationis subsidium intra id temporis non recurrit, appellandi sibi aditum denegavit; cum per hoc videatur per interpretationem iuris latae sententiae paruisse:»*** item in cap. ***Concertationi*** 8. ***de appell, in*** 6°. In themate vero non decem dies, sed annum a lata Curiae Archiepiscopalis sententia esse praeterlapsum.

Neque dicas, codice Gregoriano inspecto, annum praeterlabi debere, ut appellatio perempta dicatur: est enim animadversum, 1 dispositiones dicti civilis codicis ad rem non facere; eo magis quod in eodem codice §. 383 legatur, ***Niente viene innovato relativamente alle Sagre Congregazioni ecclesiastiche ed alle regole che attualmente si osservano dalle medesime.*** 2 Admissa etiam facultate appellandi per integrum annum, hic annus iam esset praeterlapsus; ideoque appellatio perempta.

Neque obstare in themate defectum notificationis sententiae: finem enim huius notificationis esse, ut pars in iudico succumbens sciat sententiam sibi adversam esse latam: in themate autem id latere non potuisse, cum uterque contendens suum patronum in iudicio haberet.

Quoad secundum dubium haec sunt pariter ex officio adnotata. Ut sponsalia certo existere in foro externo dicantur, oportet re quidem ut promissio unius et repromissio alterius demonstretur; neque esse satis simplicem promissionis acceptationem iuxta ea quae recte pondérât Engel ***De Sponsal. et Matr.*** §. 2 ***n.*** 2 scribens: « Potest quidem aliquando fieri promissio ab una » parte alteri ***mere gratuita*** et sine conditione repromissionis, » ut si dives aliquis feminae sibi in gravi morbo fideliter ser- » vienti pro remuneratione promittat matrimonium, cum utique » in ipsius sit potestate vel simpliciter vel sub conditione se » obligare, dummodo constet de hac voluntate et femina non » renuat, sed saltem tacendo acceptet talem promissionem; in- » tarim tamen ista promissio gratuita non habebit vim et effe- » ctum sponsalium; unde si femina ex sua parte etiam post ac- » ceptatam promissionem nolit contrahere matrimonium, ad id » compelli non poterit, quia tantum habuit virum sibi obligatum, » ipsa vero defectu repromissionis obligata non fuit, sicut si do- » nationem aliquam mere gratuitam acceptasset. Item ex tali » promissione non nascetur impedimentum ***publicae honestatis*** » sicut ex sponsalibus, quominus mortua femina cui promissio » facta est, soror eius a viro promittente in uxorem, vel econ- » tra mortuo viro eius frater a femina in matrimonium accipi » possit. » Immo eiusmodi promissionem et repromissionem ita veram et deliberatam esse debere, ut exhibeat verum et determinatum contractum.

Hunc tamen contractum, qui est matrimonii praeambulum , ceu notat Reiffenst. ***de spons.*** §. ***i. n.*** 5, non a specifica verborum formula, sed a reciproca voluntatis significatione de consensu praestito substantiam desumere, Glossa in cap. ***Tuae fraternitati, de Sponsal.***

Iam vero reciprocam hanc voluntatis significationem in themate, si non verbis satis clare pateret, factis, quae potentiora sunt verbis, plusquam satis comprobari videri. Omnes enim testes uno veluti ore deponere de diuturna et arcta familiaritate inter Iosephum et Conceptam; ideoque admissa mulieris honestate, quam unanimiter omnes testes affirmant, eam familiaritatem explicari non posse, nisi ad legitimum ineundum connubium referretur.

Eo magis quod intercesserit factum deflorationis cum subsecuta praegnantia et prole. Nullimode enim posse praesumi, mulierem ceteroquin honestam, absque spe et fide futuri matrimonii tantam voluisse pati honoris iacturam, Reiffenstuel ***de Spons. et matr.*** §. 5. ***n.*** 68; S. Rota in ***Romana Sponsalium*** 26 ***Ianuarii*** 1731 ***coram Bussio:*** in qua legitur: « Constat Gasparem » stuprum in Catharinam perpetrasse. Si itaque haec consensum » praebuit, ut suae virginitatis iacturam faceret, utique facto » ipso, quod verbis est potentius, repromissionem suam praestitit » ac sola spe futuri matrimonii id gessisse praesumitur. » Idem passim repetitur in scribendis concinnandisque huiusmodi causis, quae apud S. Congregationem Concilii ventilantur.

In themate autem constare, Iosephum esse stupri auctorem.

Haec maiorem firmitatem acquirere ex viri promissione, quam palam ipse fassus est post stuprum, dicens se eam uxorem ducere velle: eiusmodi enim voluntatem viri post stuprum saepius patefactam argumento esse, et praecessisse stuprum, eamque honestae puellae valide significatam, ut stupro assentiret.

Verum coniecturis et praesumptionibus, quamquam validis, opus non esse videri; quandoquidem duo testes deponerent explicitam satis promissionem et repromissionem repetitam, tamquam si de negotio ageretur, quod in dubitatione non esset positum.

Hisce positis, est animadversum, Iosephum duplici adstringi vinculo, quorum unum consurgeret ex obligatione deflorationis et prolis subsequutae ad honorem mulieris damnaque ipsi illata

reparanda, alterum fortius ex sponsalibus ortum; ideoque non posse in themate eidem dari facultatem dotandi vel matrimonium contrahendi: sed ad matrimonium contrahendum videri compellendum, cum datam sponsalium fidem implere teneretur.

Neque videri solvenda esse sponsalia auctoritate R. Pontificis quod ex coactis matrimoniis mali derivent exitus; in huiusmodi enim rerum adiunctis locum esse coactioni ceu pluries S. Congregatio iussit.

His aliisque deductis proposita sunt resolvenda

Dubia

I. « An sit locus peremptioni appellationis in casu.

» Et quatenus negative.

II. » An sententia Curiae Archiepiscopalis ***(N)*** sit confirman- » da vel infirmanda in casu.

» Et quatenus affirmative ad primam partem, et negative ad » secundam.

Iii. » An sit locus dispensationi in casu.

RESOLUTIO. S. Congregatio Concilii in comitiis habitis die 29 Aprilis 1871, causa cognita, respondere censuit.

Ad I. ***Providebitur in secundo.***

Ad II. ***Sententiam esse confirmandam.***

Ad III. ***Non proposita*** (1).

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. Sponsalium contractum, qui praeambulum matrimonii est, quique consistit in promissione et repromissione futuri matrimonii serio deliberateque facta, ostendi posse non solum ex explicitis verbis, sed etiam factis, quae explicari non possint, si promissio et repromissio futuri matrimonii non supponatur.

II. Inter eiusmodi facta, quae sunt in singulis casibus variabilia, unum haberi quod iuridicum quoque valorem obtinuit, idest stuprum quod honesta ceteroquin puella in gravi sui honoris iacturam passa fuerit.

(1) Haec responsio: *non proposita,* **significat, causam non esse disceptationi S. Congregationis propositam, sive id eveniat ex accidentali causa, ut quando tempus deest ut disceptetur, sive ex alia ratione ob quam proponi non debeat; in primo casu reproponitur in nova Congregatione, in secundo non amplius praponitur, si ille, cuius id intersit, rationaliter non urgeat.**

III. In themate multa intervenisse facta quae sponsalium exi stentiam non solum significarent sed etiam notoriam redderent.

IV. His in adiunctis non esse in facultate stupratoris dotandi virginem stupratam et proli progenitae consulendi aut eam uxorem ducendi ; sed teneri ad hanc secundam obligationem implendam.

V. Colliges denique, iuxta ss. canonum procedendi rationem, tempus ad appellandum utile cessare post lapsum decem dierum a lata sententia (1); eoque tempore elapso appellationem dici peremptam.

CIRCA APPLICATIONEM SECUNDAE MISSAE

Die 29 Aprilis 1871.

SUMMARIA PRECUM. Episcopus N ex Hispania has preces SSmo Patri per S. Congregationem Concilii admovit.

« S. Congregatio Concilii Decreto 25 septembris 1858 edito declaravit, non licere Sacerdoti, qui binam eadem die dicit Missam, eleemosynam seu stipendium accipere pro secunda.

» Quae declaratio antecessorem meum N movit, ut sequentia dubia eidem Congregationi proposuerit.

» I Utrum Parochi, qui, ut menti fundatorum fiat satis, die-
» bus Dominicis et festis binam (obtenta facultate) dicunt Mis-
» sam et pro fundatoribus ***Primissariarum*** (quae ob exiguitatem
» reddituum et penuriam Sacerdotum plerumque proprio carent
» Sacerdote) applicant, salarium ex fundo ***Primissariarum*** pro
» peculiari labore percipere possint?

» II Utrum Parochi, qui pro necessitate circumstantiarum
» diebus Dominicis et festis bis celebrant, tradita simul doctri-
» na christiana, pro peculiari labore et industria certum sala-
» riwu annuum a Parochianis oblatum percipere valeant?

» Die 23 Martii 1861 S. Congregatio censuit rescribendum:
» Posse permitti prudenti arbitrio Episcopi aliquam remuneratio-

ni) **Confer quae adnotata fuerunt in causa** ***Decimarum in vol. Iii pag. %t9,***

» nem intuitu laboris et incommodi, exclusa qualibet eleemosyna » pro applicatione Missae.

» Ad secundum dubium hac declaratione satis perspicue responsum esse videtur; quoad primum vero quaerere liceat, an Parochis Missam alteram fundatam ***applicare*** et integros Primissariae redditus exiguos pro ***applicatione*** simul et intuitu laboris et incommodi (in specie pro divini verbi praedicatione) percipere liceat absque obligatione dictam Missam fundatam die feriali pro fundatoribus applicandi; an redditus fundatae Primissariae stipendio manuali seu eleemosynae in dicto Decreto exclusae congruant et ideo altera die pro fundatoribus Missa applicanda sit.

» Cum eiusmodi fundationum exigui redditus plurimis in locis et ad compensandos simul peculiares labores et ad solvendum stipendium pro fundata Missa altera die applicanda minime sufficiant; Sacerdotes his in regionibus haud raro tam pauperes sint, ut Missam hebdomadariam gratis applicare nequeant, nec incolae ipsi ex propriis, quantum oporteret, tribuere valeant, hinc Sanctitatem Tuam humillime et enixe rogo, ut pro dioecesi N concedere dignetur, ut Sacerdotes qui facultate binandi gaudent, redditibus Primissariarum pro fundatoribus binando applicantes in pace fruantur. »

Haec Episcopus. Quid autem sint eiusmodi fundationes, quae ***Primissariae*** dicuntur, deprehenditur ex aliis precibus, quas praedecessor Episcopus exposuerat, quasque preces exposui ***in vol.*** I. ***pag.*** 13; sunt Beneficia et simplicia et curata, quibus provisum est, ut Dominicis diebus et festis, praeter quasdam Ferias Sacrum celebretur matutinum.

Quum itaque ex relato Rescripto S.Congregationis diei 23 maii 1861 remittebatur quidem prudenti arbitrio Episcopi aliqua remuneratio celebrantibus secundam Missam intuitu laboris et incommodi, qui labor et incommodum describebatur in dictis precibus expositis anno 1861, ut videre est citato loco ; excludebatur autem quaelibet eleemosyna pro applicatione Missae , inde Presbyteri secundam Missam celebrantes non tenebantur eam applicare pro fundatoribus ***Primissariarum*** ex quibus quidquid percipiebant, prudenti arbitrio Episcopi, percipiebant intuitu dumtaxat extrinseci laboris et incommodi: hac;

itaque ratione eveniebat, ut applicatio pro fundatoribus facienda esset altera die: voluntas enim fundatorum ex parte tantum erat executioni mandata, scilicet per celebrationem Missae factam diebus Dominicis, sed cum Presbyteri non tenerentur eam applicare, onus applicationis manebat adhuc.

Hisce itaque positis, quae ex praesentibus precibus Episcopi N collatis cum iis quas exposuerat eius praedecessor ***loc. cit.*** eruuntur, clare apparet in quo consisteret difficultas indulgendi, ut qui celebrarent secundam Missam retinerent sibi fructus omnes ***Primissariarum*** Missam secundam pro fundatoribus applicantes.

Obstabat videlicet declaratio pluries facta a S. Congregatione Concilii qua cautum est, non licere celebranti secundam Missam recipere eleemosynam pro secunda simplici celebratione.

Posito itaque Rescripto: ***posse permitti prudenti arbitrio Episcopi aliquam remunerationem intuitu laboris et incommodi eocclusa qualibet eleemosyna pro applicatione Missae,*** eoque Rescripto applicato ad fundationes ***Primissarias*** dictas, tres fieri posse hypotheses ex officio est animadversum, idest: detracta summa pro remuneratione ab Episcopo adsignata, vel supererit adhuc tantum quantum manualis eleemosynae taxam exaequat: vel nonnihil supererit quod tamen manualem eleemosynam non attingat: vel totum plane a dicta remuneratione absorbeatur.

In prima hypothesi necessarium esse transferre applicationem ad aliam diem, cui translationi cum obstaret voluntas fundatoris, opus esset Apostolica Auctoritate.

In secunda hypothesi ad reductionem Missarum et translationem esse Auctoritate Apostolica deveniendum.

In tertia hypothesi videndum, quid expediret, an supprimere applicationem Missarum, quod tamen, aliis mediis existentibus, concedi non soleret; an alia onera reducere.

Animadversum denique est, in facultatibus consuetis S. Congregationi Concilii a Romano Pontifice collatis, eam etiam esse qua possit et Missas reducere et ad alias dioeceses ecclesias et altaria transferre: immo esse eidem concessum, ut hanc facultatem ad triennium sacrorum Antistitibus delegare possit. Quibus facultatibus si forte Episcopus N esset instructus videndum esset, num in themate eadem facultate uti posset.

Ceteram Episcopum N quaerere, ut, habita ratione tenuitatis reddituum paroecialium et egestatis paroecianorum, Presbyteri Missam iterantes redditibus Primissariarum, in pace frui relinquerentur.

RESCRIPTUM. S. Congregatio Concilii, perpensis Episcopi precibus in comitiis habitis die 29 Aprilis **1871** rescribendum censuit: ***Prout exponitur negative, et in casibus particularibus recurrat pro translatione et reductione Missarum quatenus opus fuerit.***

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I Prohibitam esse receptionem eleemosynae pro secunda Missa, iis, qui Missam iterare debeant.

II Ob extrinsecum a Missae celebratione laborem et incommodum interdum permitti, ut aliquam remunerationem prudenti Ordinarii arbitrio percipere possint.

III Si eiusmodi remuneratio percipiatur ex fructibus alicuius capellaniae, non intelligi perceptam propter simplicem celebrationem aut Missae applicationem.

IV Ideoque, qui fructus ex capellanía percipiat ob extrinsecum laborem et incommodum, quae celebrationem secundae Missae comitentur, posse libere hanc secundam Missam, nulla recepta eleemosyna, pro quibus velit applicare.

V Proindeque, Missa non applicata fructibusque perceptis ex capellanía, onus, ad quos pertinet, manere providendi Missarum applicationi quam capellanía exigat.

EX 8. CONGREGATIQUE SS. BITÜÜH.

ROMANA

DE PRIVILEGIO CONCESSO BASILICAE INCLYTAE VIRGINIS ET MARTYRIS AGNETIS EXThA URBIS MOENIA POSITAE

« Quum Fidelium devotio erga Sanctam Agnetem Virginem et Martyrem non parum aucta sit postquam Sanctissimus Dominus Noster .Pius Papa IX pridie Idus Aprilis anni 1855 praesentissima Deiparae Virginis et praefatae S. Agnetis ope a gravissimo periculo liberatus fuit, quumque post tantum prodigium frequentius ad Basilicam eidem Virgini et Martyri sacram extra moenia Urbis sese conferant Sacerdotes tum Saeculares tum Regulares ad celebrandam Missam in Altari, in quo eius corpus requiescit; Rev. Pater D. Alphonsus Lalli Canonicus Regularis Lateranensis et in memorata Basilica Parochi munere fungens praedictorum Sacerdotum votis obsecundans ab eodem Sanctissimo Domino Nostro humillime postulavit, ut amodo in enunciato Altari Missa Sanctae Agnetis propria celebrari valeat etiam quando ritus duplex occurrat. Sanctitas porro Sua, referente subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, attentis expositis de speciali gratia in exemplum non afferenda indulsit, ut Sacerdotes tum Saeculares tum Regulares in dicto Altari, si voluerint, celebrare valeant Missam propriam uti in Missali Romano duodecimo Kalendas Februarii, diebus quidem infra Octavam Natalis Sanctae Agnetis sub ritu duplici minori, aliis vero anni diebus more votivo: semper tamen exceptis Duplicibus primae et secundae classis, Dominicis et Festis de praecepto servandis, Feriis, Vigiliis, Octavisque privilegiatis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. »

ßie 1. Februarii 1872.

Loco **98** Signi

C. Episcopus Ostien. et Velitern. Card. PATRIZI S.R. C. Praef.

D- BARTOLINI S. R. C. Secretarius

De singulari privilegio agitur concesso Basilicae velustissimae, quae custodit cineres eius nobilis Romanae puellae, quae quum suam virginitatem insigni martyrio coronasset, in universo catholico orbe, omni ritu a primis Ecclesiae saeculis fuit praeclarissime celebrata, quaeque aetate nostra, tum Romae tum in Ecclesia universa, suam memoriam famoso prodigio validissime renovavit.

Parochus eiusdem Basilicae, qui expositum Decretum obtinuit, sui muneris esse duxit eidem Decreto MONITUM ***adiicere ad normam ss. Rituum, quod utile erit heic referre pro iis qui ad Basilicam accedentes eo privilegio uti velint. Sic autem se habet:***

MONITUM

In nostra Basilica S. Agnetis V. M. extra Moenia Urbis, ex Indulto S. R. C. diei **1.** Februarii 1872., quilibet Sacerdos tum Saecularis tum Regularis in Altari praefatae S. Agnetis Missam propriam de eadem Sancta Virgine celebrare potest, infra eius Octavam sub ritu duplici, in aliis vero anni diebus more votivo in duplici tamen minori vel maiori, non vero in Duplicibus primae vel secundae classis, Dominicis, Festis de praecepto servandis, Vigiliis Nativitatis et Epiphaniae Domini ac Pentecostes, Feria IV. Cinerum, tota majori hebdomada et infra Octavas Nativitatis et Epiphaniae Domini, Paschatis, Pentecostes et SS. Corporis Christi,

Haec Missa est de eius Festo, die XXI Ianuarii, et cum paramentis sacris rubri coloris.

Infra Octavam ipsius Natalis cum Gloria,- Credo, secunda Oratione de Officio illius diei, et etiam tertia Oratione, si forte aliqua Commemoratio occurrit.

Aliis vero anni diebus in prima Oratione Missae loco ***solemnia colimus,*** dicitur, ***commemorationem colimus*** sine Gloria et sine Credo, cum secunda et tertia Oratione, videlicet: secunda de Officio illius diei, et tertia est ipsa Commemoratio occurrens; et si in Officio fiunt duae vel tres Commemorationes, eae quoque et eodem ordine tertio, quarto et quinto loco faciendae sunt. Si vero nulla Commemoratio occurrit, tertia Oratio ea est, quae in Semiduplicibus ratione temporis secundo loco dicenda

est. Verumtamen si tertia Oratio est ***A cunctis,*** vel in ea nomen S. Agnetis reticendum, vel in eius locum-Collecta prima in ordine ***Concede quaesumus omnipotens Deus*** substituenda est (1).

Collectae semper dicuntur.

Tempore paschali in fine Introitus ante Psalmum adduntur duo ***Alleluia*** et in fine Offertorii et Communionis unum ***Alleluia*** et post Epistolam loco Gradualis dicuntur duo Versus cum quatuor ***Alleluia*** ex Missa ***Loquebar*** de Communi Virginum.

Praefatio est de Tempore, vel de Octava occurrente, alioquin communis, etsi in Missa illius diei ipsa sit propria.

Infra Octavam Ascensionis Domini dicitur quoque ***Communicantes*** dictae Solemnitatis.

Benedicamus Domino in fine Missae voti vae.

Evangelium S. Ioannis dicitur semper in fine Missae.

Missa conventualis est de Officio illius diei.

Romana seu Ianuen. Canonizationis Beati Ioannis Baptistae De Rubels Confessoris Canonici Basilicae Collegiatae S. Mariae in Cosmedin.

DECRETUM « Quum agi deberet in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria de validitate Processus Auctoritate Apostolica constructi super novis Miraculis quae a Deo Optimo Maximo patrata perhibentur Beato Ioanne Baptista de Rubeis praedicto intercessore adhibito, subscriptus Cardinalis eidem Sacrae Congregationi Praefectus ac huius Causae Ponens, instante Rmo D. Canco Iacobo Arrighi Postulatore Causae ipsius, sequens Dubium proposuit in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Vatica-

(1) Si Commemoratio non occurrit, in Missa votiva tertia Oratio est: in Adventu *Deus qui B. M. V. utero:* a Circumcisione Domini usque ad Purificationem B. M. Y. *Deus qui salutis:* a Purificatione B. M. V. usque ad Dominicam Passionis, *A cunctis* omisso nomine S. Agnetis vel *Concede quaesumus omnipotens Deus:* a Dominica Passionis usque a,d Dominicam Palmarum *Ecclesiae tuae* vel *Deus omnium fidelium:* ab Octava Paschatis usque ad Pentecosten *Concede nos famulos:* ab Octava Pentecostes usque ad Adventum *A cunctis* omisso nomine S. Agnetis vel *Concede quaesumus omnipotens Deus.* Cum in nostra Basilica infra Octavas non exceptas Officium semper est de aliquo Sancto, in Missa votiva secunda Oratio est de Officio illius diei et tertia de Octava.

num habitis - ***An constet de validitate Processus Apostolica Auctoritate Romae constructi super novis Miraculis praedicti Beati; Testes sint rite ac recte examinati in casu, et ad effectum de quo agitur?***-Emi porro ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, auditoque R. **P.** D. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore rescribere rati sunt: ***Affirmative.*** Die 2 Martii 4872.

» Facta postmodum de praemissis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX per infrascriptum Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit. Die 7 iisdem mense et anno. »

C. Ep. Ostien. et Velitern. Card. **PATRÌZI** S. R. C. Praef.

Loco ^Sigilli

D. ***Bartolini S. R. C. Secretarius,***

Papien. seu Feltren. canonizationis Beali Bernardini a Feltria Ordinis minorum Sancti Francisci de Observantia,

DECRETUM ‹f Praevia Apostolica dispensatione concessa die **7** Aprilis Anni 1870 discutiendi Dubium de Virtutibus Beati Bernardini a Feltria Sacerdotis Professi Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia, antequam ex Decretis ad alia procedi valeat in Sacrorum Rituum Congregatione Ordinaria, attamen cum interventu et voto Consultorum, ab Emo et Rmo D. Cardinali Hannibale Capalti eiusdem Causae Relatore, ad humillimas preces R. Patris Fr. Vincentii a Jennis Sacerdotis Professi Ordinis Minorum Sancti Francisci Reformatorum et Causae Postulatoris, in Ordinariis eiusdem Sacrae Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis propositum fuit sequens Dubium nimirum — ***An ita constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe, et Charitate in Deum ac Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia earumque adnexis in gradu heroico in casu ut procedi possit ad discussionem quatuor. Miraculorum?*** — Cunctis porro expensis et consideratis quae in

eadem Causa deducta fuere, tum Consultores tum Emi et Rmi Patres Cardinales Sacris tuendis Ritibus Praepositi, proposito *Dapio* rescripserunt: *Affirmative.* Die 30 Ianuarii 1872.

» Et facta deinde per me infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX fideli relatione, Sanctitas Sua benigne annuit, et sententiam Sacrae Congregationis ratam habere ac confirmare dignata est Die 1 Februarii anno eodem. »

C. Episc. Ostiem et Velitern. CARD. PATRIZI S. R. C. Praef.

Loco © Signi

Dominicus Bartolini S. R. C. Secretarius.

Ruthenen. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Sor. Mariae Guillelmae Aemiliae De Rodat instituirías Sororum a Sacra Familia nuncupatarum.

DECRETUM. « Undecimo Kalendas Decembris anni 1867, quum Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX benigne annuit ut de Dubio Signaturae Commissionis Introductionis Causae Servae Dei Mariae Guillelmae Aemiliae de Rodat praefatae ageretur in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria absque interventu et voto Consultorum, licet non elapso decennio a die praesentationis Processus Ordinarii in Actis Sacrorum Rituum Congregationis, Emus et Rmus D. Cardinalis Carolus Sacconi huius causae Ponens, ad instantiam Rmi Domini Canonici Gustavi Gallot, Cubicularii Honorarii Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae IX et huius Causae Postulatoris, attentis Litteris Postulatoriis plurium virorum Ecclesiastica praesertim Dignitate illustrium, in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Vaticanum hodierna die coadunatis sequens Dubium discutiendum proposuit, nimirum : *An sit signanda Commissio Introductionis huius Causae in casu et ad effectum de quo agitur?*

» Et Sacra eadem Congregatio, omnibus maturo examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuit: *Affirmative, sive Signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit.* Die 2 Martii 1872-

» Facta postmodum de praemissis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX per infrascriptum Sacrorum Rituum Congregationis Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit, propriaque manu signavit Commissionem Introductionis Causae Ven. Servae Dei Mariae Guillelmae Aemiliae de Rodat praefatae. Die 7 iisdem mense et anno. »

C. Ep. Ostien. et Velitern. Card. **PATRIZI** S. R. C. Praef.

Loco *ffa* Sigilli

D. Bartolini S. JR. C. ***Secretarius.***

Vapincen. Beatificationis et Canonizationis Ven. Set vae Dei Benedictae Bencurel e Tertio Ordine S. Dominici.

DECRETUM. « Instante Rmo Patre Fr. Alexandro Vincentio lande! Magistro Generali Ordinis Praedicatorum et huius Causae Postulatore Emus et Rmus D. Cardinalis Lucianus Bonaparte ipsius Causae Ponens sequens proposuit Dubium in Ordinariis Comitiis Sacrorum Rituum hodierna die ad Vaticanum habitis ***« An sententia Episcopi Vapincensis super Cultu praefatae Ven. Servae Dei nullatenus exhibito, seu super obedientia Decretis sa. me. Urbani l^pae VIII sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur?*** Emi porro ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi omnibus accurate perpensis auditoque voce et scripto R. P. D. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore rescribere censuerunt — ***Affirmative*** seu ***sententiam esse confirmandam.*** Die 2 Martii 1872.

» Facta postmodum de praemissis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX per infrascriptum Sacrorum Rituum Congregationis Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis in omnibus ratum habere ac confirmare dignata est. Die 7 iisdem Mense et Anno. »

C. Episc. Ostien. et Velitern. Card. **PATRIZI** S. R. C. Praef.

Loco Sigilli.

Dominicus Bartolini S. R. C. Secretarius.

APPENDIX XI.

DS CONCORDATORUM NATURA.

Gallicam opusculum, cui titulus *Deux questions sur le concordat de 4804,* quod nobilis vir Mauritius de Bonald, munere civilis iudicis fungens in Gallus scripsit et elapso anno 1871 e vulgavit omnes propemodum catholicae 'ephemerides laudarunt atque epistolam SSmi Patris gratulatoriam eius auctor promeritus est quae tenoris est qui sequitur.

NOBILI VIRO DILECTO FILIO
MAURITIO DE BONALD

PIUS PP. IX

Dilecte fili nobilis vir salutem et Apostolicam Benedictionem.

u Lucubrationem tuam, dilecte » fili nobilis vir, cui titulus *Deux » questions sur le Concordat de 4804 i»* perlibenter excepimus, cum et » religionem peritiamque tuam com» mendet et oculis subiiciat nati» vam et peculiarem huiusmodi pa» ctorum seu indultorum indolem, » unde facile solvi queant proposi» tae quaestiones. Gratulamur ita*D* que tibi tuoque scripto ominamur *n* ut, qui blasphemant quod igno» rant, inde tandem discant, Eccle*n* siam per haec conventa de rebus » ad se spectantibus, non aliena ap» petere iura (1), sed propria largi*D* ri. Omnia interim tibi fausta ad» precantes, divini favoris auspicem » et paternae nostrae benevolentiae *y>* pignus Apostolicam Benedictionem » tibi peramanter impertimus.

» Datum Romae apud S. Peli trum, 19 Iunii anno 1871.

» Pontificatus Nostri anno vice» simo sexto. »

(1) Anima illa candida, quae informabat Van-Espen, virum tandem in haeresi demortuum, qui in suo opere *Ius ecclesiaslic. univers,* saepe luget detrimentum ecclesiasticae disciplinae, cupiens atque enixe exhortans universos Episcopos, ut cailapsam veterem disciplinam fortiter et suaviter instaurent, quum Ecclesia toleret quidem, sed non approbet collapsam disciplinam (ubi nescis quid nomine Ecclesiae intellexerit, cum haec ad universos dirigat Episcopos in *Proleg.% 3);* de Concordatis agens totus in eo est, ut nonnullis documentis in medium quomodocumque deductis nullimode rite expensis pulverem in oculos imperitorum iniiciat. Satis enim sibi fuit, ut inter fluctuantes propositiones insinuare more suo valuerit, nativum ius Principum saecularium esse electionem et confirmationem Episcoporum ad vacantes sedes, ita ut Romani Pontifices hoc ius Principum proprium per Concordata iniuria abstulerint, iliud in indultum convertentes. Sic inter cetera scripsit atque conclusit *part. t tit. 13 c. 3 n. 8:* « Sive autem electioni *[Episcopo» rum)* faciendae consensum Principis expectare deberent Capitula; sive electio» nis factae adprobationem, semper tamen natum erat contingere, ut non alius eli-

Episcopi quoque et Archiepiscopi opusculum illud plausu exceperunt ut patet ex gratulatoriis epistolis ad eundem auctorem missis quarum unam vel alteram refero.

Episcopus Carcassonensis die 2 Iunii 1871 ita rescripsit.

Monsieur,

u **Permettez - moi de vous remercier de l'excellent opuscule que vous avez bien voulu m'adresser.**

if **Les plus graves questions religieuses et politiques préoccupent aujourd'hui les esprits; et on aime** *ca* **les voir traitées par ceux qui, comme vous. Monsieur, joignent a Tautorité d'un grand nom, l'amour des vrais principes et des saines doctrines.** *Je partage votre manière devoir sur un acte pontifical dont on a trop longtemps abusé; et je fais des vœux ardents pour que l'Eglise reconquière sur ce point comme sur tous les autres la plénitude de sa liberté.»*

Item, Archiepiscopus Tolosanus eodem die rescripsit: *u Vos raisonnements, vos conclusions sont des mieux établis, mais quelle peine pour les faire accepter par les gallicans!* **(1).»**

» geretur aut admitteretur, nisi quem Princeps cupieoat. Non mirum proinde quod » Principes Capitulis sibi subiectis annuerent canonicam electionem, quam vel ipsi » pro suo arbitrio fieri permittebant aut probabant vel improbabant. Quin et fa- » eile eis erat sua auctoritate aut precibus interpositis a Capitulis impetrare, ut » illum in Episcopum eligerent, quem Principes desiderabant.

» Porro cum viderent per reservationes Pontificias nominationes ad Curiam Ro- » manam devolutas, non proinde amplius a suo dependere arbitrio ecclesiarum ca- » thedralium provisiones, imo frequenter personas extraneas sibi haud gratas, » quin et *nonnunquam suspectas !* ad Praelaturas suorum Regnorum nominari, omni » conatu studioque illis reservationibus sese opposuerunt, atque canonicas electio- » nes restitui voluerunt, suamque, quam in iis iampridem habuerunt, auctorita- » tem reduci.

» E contra Pontifices *(en usurpatores* ***ambinosi)*** attendentes, quod restitutis ca- » nonicis electionibus reipsa quodammodo ad Reges et Principes devolveretur Praelatorum nominatio; ipsi vero Pontifices in totum ab eis excluderentur, in tantum ut » nec Praelatorum confirmatio,quae de iure communi Metropolitano competit, ad ipsos » in posterum spectaret, convenientius crediderunt *(vide hominis simplicitatem I),* si » Regibus concédèrent privilegium seu indultum nominandi sive praesentandi ipsi Pon- » tifici personas ad Episcopatus promovendas, et ita Reges ius nominandi Episco- » pos ex privilegio aut indulto Sedis Apostolicae habere viderentur, ac una Sedi » Apostolicae Episcoporum promotio et confirmatio reservaretur. » En quomodo Reges fuerunt victimae usurpationis ! Ad hanc enim expressionem reducitur tota mollis et delicata ratio dicendi huius candidi viri. Hoc selegi exemplum, quia passim vidi, praesertim in causis, quae **ex** superiori Italia Romam deveniunt, eiusmodi pessimum auctorem citari. Neque intelligo unde eveniat, quod auctores omnino catholici, immo amplissimi nominis in suis scriptis eius auctoritatem interdum afferant qui continuo hac scribendi ratione utitur, quique ingenuitate summa adulterata documenta passim affert, semper intentus ad exaltandam Principum auctoritatem Apostolica depressa et ad nihilum propemodum redacta.

(1) Carissima est filialis responsio, quam huic epistolae adiecit nobilis vir de Bonald his verbis: « Deus providebit... *Gen. 22, 8.* Neque qui plantat est aliquid

In haec sensa pariter rescripserunt Episcopus Hebronensis in par. inf. auxiliarius Episcopi Genevensis; Episcopus Petrocoricensis; Archiepiscopus Turonensis; Episcopus Atrehatensis; Episcopus Anneciensis; Episcopus S. Claudii.

In eo opusculo vir illustris duas quaestiones de Gallico Concordato anno 1871 celebrato dirimendas suscepit, quae ei fuerant sic propositae: « I° praesens Gubernium *(nationalis Defensionis appellatum)* » successitne privilegio Concordati » praesentandi Episcopos sedibus va- » cantibus?

» 2° Facta hypothesi Gubernium » hoc successisse, S. Sedes habetne » ius revocandi privilegium illud, ha- » bita ratione abusus qui de eo » factus est per Gallica Gubernia » spatio septuaginta annorum ? »

Considerans autem nobilis vir De Bonald Concordatum illud tum in se quoad suam naturam quae aliis Concordatis est conformis, tum quoad abusus, ad has duas conclusiones devenit: I° Concordatum esse meram concessionem per Romanum Pontificem factam Gallico Gubernio, cuius Concordati Romanus Pontifex est semper solus dominus et iudex: 2° actum illum, anno 1801 celebratum, considerari non posse ut contractum ob ipsam rei naturam, tum quia intercedit inter potestatem spiritualem et temporalem, quae potestates sunt diversae naturae, quarum secunda illi subest sicut corpus animae subest; tum quia de obiecto agitur quod esse non potest obligationis materia ex parte spiritualis potestatis.

Quisque facile videt, quamvis de Concordato agatur inter S. Sedem et Gallicum Gubernium anno 1801 celebrato, quaestionem non hoc unicum factum respicere, sed ad ea omnia similia facta, quae Concordati nomine veniunt, sese referre: tangit enim Concordati naturam.

Mittens De Bonald suum opusculum Romam ad Professorem P. Camillum Tarquini, virum tum publici tum privati canonici iuris consultissimum, habuit ad rei confirmationem epistolam ab ephemeridibus catholicis valde celebratam quam mox trado latine accurate conversam.

Meo quidem iudicio haec epistola perutilis est cum aliis de causis tum ex ea maxime, quod penes Canonistas sanae doctrinae Concordatorum indoles et natura non ioli me explorata reperitur; et non raro nostri Canonistae sese implicant in externa Concordatorum forma, quae speciem quandam contractus quasi alienationis identidem praeseferre videtur; quae quidem extrinseca forma non alia de causa est inducta, quia

neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus, *epist J .Corinth. 3,7.* Espérons avec Mgr Tévêque de Périgueux et de Sarlat,... que la vérité trouvera un point d'appui et une cause d'expansion dans les événements si lamentables dont nous sommes le témoins.»

in eiusmodi conventionibus saepe agi solet inter lupum et agnum.

E converso Canonistae aulici Concordata sine ulla haesitatione considerant tamquam alienationes potestatis ecclesiasticae; immo Concordata habent tamquam aliquid gratiosum ex parte civilis potestatis concessum Ecclesiae, quum absurde teneant, in potestate laicae potestatis natura sua ea iam et ampliora contineri, quae per Concordata sunt Guberniis a S. Sede concessa.

Dicta autem epistola clarissimi iurisconsulti ita se habet:

a Gratias tibi ago maximas ob egregium munus libelli tui de Concordatis, non modo quia tuae in me opinionis indicium fuit, verum etiam quia non mediocris mihi extitit causa voluptatis. Recreat enim, magnoque solatio est, laicum videre de rebus religiosis scite recteque disputantem constantique animo Ecclesiae iura asserentem, dum alios, quos magis decuit, timor humanarum rerum detinet, vel etiam in transversum rapit.

» Equidem intelligere nunquam valui quo pacto duo haec simul coniungi possint^ et catholicam fidem profiteri, et Primatui Romani Pontificis detrahere, ita ut asseratur, Eum de libero Ecclesiae regimine ex ea parta decidisse, de qua in Concordatis dispositum est. Si quis enim ius illud, quod circa res spirituales, vel spiritualibus adnexas in aliquo Concordato constitutum est, variari, tum cum Ecclesiae bonum id exigit, ab Ëo amplius per se non posse, qui toti Ecclesiae praepositus a Christo est, pro certo habet, simulque catholicam de Primatu doctrinam salvam esse arbitratur, is porro vehementer mirificeque se decipit. Nemo quippe est e Catholicis, qui Primatum existimet gratiosam ius esse, merumque donum in favorem ac beneficium Successorum S. Petri collatum: imo de fide omnes tenent, instar oneris et obligationis iisdem esse impositum. At quidquid hoc nomine delatum est, id profecto ab humeris excutere sive ex toto, sive ex parte non licet ; eiusque fides, cui tale munus datum est, Ei semper, qui dedit, obstricta manet. Quid porro censes, futurum esse, si quis e Romanis Pontificibus ante Christi tribunal constituatur, et de parte aliqua gregis, sive mactata sive vexata, in quaestionem vocetur, isque respondeat, se non potuisse huic malo mederi, quia in eo res versabatur, quod e sua potestate effugerat, causa videlicet Concordati, quod vel a se, vel ab aliquo e suis decessoribus initum fuerat? Quid tandem hoc est? inquiet Christus: Etiamne venum oves meas dedisti? At non aperte tibi iam edixeram, tum cum illas fidei tuae pascendas tradidi, eas non *tuas*, sed *meas* oves esse? *Pasce agnos* MEOS. Nonne aperte te monui, industriae curaeque tuae personali Me eas commisisse, quem propterea de amore in me tui ter Ego sciscitatus sum ? AMAS ME? *Pasce oves meas.* Meridianae porro lucis est, neque ex toto,

neque ex parte Romanum Pontificem gregis sibi a Christo commissi abdicare a se curam posse. At si *pactum synallagmaticum* Concordatum censeri debet, ita ut non liceat Iesu Christi Vicario in ea re spirituali, vel spirituali adnexa, quae in Concordatum incidit, administrationem ac regimen in se recipere, nisi de eius consensu, cum quo Concordatum initum est, an non est manifestum, in ea re veram alienationem factam fuisse, adeoque violatum Christi imperium esse, Ecclesiaeque constitutionem fractam ?

» Portenti mihi semper instar fuit, non uno oculorum obtutu deprehensa esse continuo corollaria catholicae fidei repugnantia, quae ex huiusmodi doctrina emanant. Ea quippe semel admissa, haec simul admittere necesse erit, Pontificem quemque Romanum Successorum suorum potestatem coarctare posse: Successorum potestatem non eandem omnino, neque parem esse, quam quae a Christo S. Petro collata fuit: Eum, qui in Petri cathedra succedit, non immediate a Christo in S. Petri persona, sed a decessore suo auctoritatem accipere : Cum ducenti circiter ac sexaginta Pontifices a Petro ad Pium IX extiterint, si novum quisque Concordatum müsset, iam fere ad nihilum futurum fuisse ut Primatus potestas redigeretur: Cumque certissimum sit, quidquid alienari potest, praescriptioni quoque esse obnoxium, Primatus quoque auctoritatem in praescriptionem abire posse etc. etc. Atqui ßxhorrent ista aures catholicae, eaque penitus recta fides aversatur.

•*n* Pervelim sane scire, qua ratione eiusmodi doctrinae assertores quaestionem practice dirimerent, cum, mutatis circumstantiis, quod antea tolerari Concordatum poterat, deinde Ecclesiae salutique animarum perniciosum ac pestilens factum esset. De istorum sententia, qui Christi tenet potestatem, consensum eius, cum quo Concordatum initum est, expectare teneretur. At neminem fugit, quanta in praerogativis suis retinendis Principum sit tenacitas : ex quo apertum vel modice prudenti est, eiusmodi consensum nullatenus concessum iri. Quaenam igitur, flagito, dirimendae quaestionis ratio erit? Audivi a catholico doctore (!), in eiusmodi eventu ad omnium populorum sensum appellandum esse. Absurditatem eiusmodi consilii praetermitto, quaque ratione populorum omnium sensus colligi, conciliari, cognoscique possit. Hoc tantum dico, eiusmodi propositionem in aperta haeresi esse, quippe quae in Ecclesia Christi supremum iudicium in plebe constituit. Famosus ille Richerismus, quem toties Romani Pontifices, aliique Catholicae Ecclesiae Episcopi sententiis suis confixerunt, multo est eiusmodi propositione innocentior. Quo igitur utendum remedio erit? Incredibilem tibi rem dicere videbor; at hoc quoque nonnemo proponere mihi ausus est : idem remedium usurpandum

esse, quo duae sui iuris nationes paribus in circumstantiis uti solent: *Bellum!* **Itane? Bellum? Relinquo auctoribus suis eiusmodi doctrinam; meque iterum ad praxim recipio. Quaero ab iis, an praeter damnum etiam ludibrium Ecclesiae velint. Quibus armis cum potente Principe, quibus exercitibus Romanus Pontifex dimicabit? Illuditisne etiam Ecclesiae, eamque non modo oppressam, verum etiam derisam cupitis? Gladione, vique brutae iura omnia subiicitis? Age vero, ait alter, alia remedia minime desunt, quibus Ecclesia adversus Principes iura sua tueatur. Quae? Equidem aliud ego non video praeter excommunicationem. At si cum heterodoxo res erit, si cum eo, qui religionem despicit et contemnit, quid, quaeso, excommunicatio adversus eiusmodi homines valeat? Deinde quinam erunt excommunicationis effectus? Privationemne inferet eius praerogativae in Concordato concessae, quam revocari Ecclesiae bonum exigit, an non? Negant? Ergo nullum afferet remedium. Affirmant? Ergo concedunt, Pontificem Romanum , saltem excommunicando, Concordata abrogare posse. At si excommunicando potest, cur absque excommunicatione clementiore ac mitiore modo non poterit ?**

» Scite ipse animadvertis, in Ecclesiae regimine Summum Pontificem legislatorem esse, ceteros vero subiectos. Id scilicet dixisti, quod Petrum alloquens Christus dixit: PASCE; **nimirum Pastoris habe munus:** AGNOS MEOS, OYES MEAS: **ceteri de grege sunt. Id etiam dixisti, quod illustris quidam Galliarum Rex (Ludovicas VII) potenti cuidam Imperatori (Friderico I) renuntiari mandavit:** ***An ignorat praedictus imperator, quod Dominus noster Iesus Christus, cum esset in terris, B. Petro, et per eum universis successoribus eius oves suas pascendas commisit? Nonne audivit in Evangelio ab eodem Dei Filio eidem Principi Apostolorum esse dictum:*** **Simon diligis me? Pasce oves meas.** ***Numquid sunt hic Francorum Reges, vel aliqui Praelati excepti?*** **Huic porro doctrinae catholicae mirum in modum obnituntur, qui circa res spirituales, vel spiritualibus adnexas, cuiusmodi ea sunt, de quibus in Concordatis agitur, in pari gradu constituunt, interque se aequi iuris faciunt Romanum Pontificem, et Principes. Rebus quidem in temporalibus, iisque ad temporalem finem recte obtinendum ordinatis, iuris sui Principes esse, et nos fatemur, et Ecclesia Romana docet: at in spiritualibus, vel spiritualibus adnexis eos esse subiectos, dogma fidei est. Hinc merito elementa ipsa iuçis publici repetens animadvertis, absurdum id esse, secumque pugnare , quod legislator atque subiecti in auctoritate pari statuantur; quod negetur legislatori, eiusque dignitatis legislatori, qui non a populo, sed a** Deo **directe potestatem recepit, ius mutandi leges, cum reipublicae id expedire intellexerit; quod**

in iis mutationibus perficiendis eorum, qui sibi subiecti sunt, consensui subiiciatur, eumque petere et expectare cogatur. Sane ego non video, qui possit huius rei evidentia non in omnium oculos incurrere.

» Gelsiore profecto nos in gradu versamur, ac quaevis alia humana potestas, licet supremi absolutique Principis: est enim Ecclesia Regnum Christi, Romanique Pontificis auctoritas non ipsius, sed Christi est, cuius ipse vices et potestatem gerit. Nihilominus libenter patiar, ut suae quisque reipublicae historiam retexat, huiusque generis exempla exquirat. Quid sane reperiet? Reperiet feuda Reipublicae corpori adiecta, quibus iurisdictio legesque propriae erant non iure tantum gratuito (en ipsa habes Concordata) sed iure plane oneroso, quod sane Concordatis multo est gravius : reperiet provincias, quae legibus propriis utebantur, quasque deinceps fideliter servatum iri Respublica promiserat (quid Concordatis similius?): at provincias etiam reperiet, quae cum liberae, suique iuris essent, Reipublicae sese eo pacto, conditioneque, ut aiunt, *sine qua non*, adiecta dediderunt, ut leges omnes ac privilegia propria rata, sancta et inviolata manerent; quod profecto vim omnem Concordati longe superat. Hoc ergo iam peto, hoc instantius quaero, quid de hisce rebus omnibus actum sit? Uno die, unoque decreto antiquata, abrogata, deleta omnia sunt; omnesque, publicae utilitatis nomine, ad eiusdem iuris earundemque legum amussim exaequati fuere: neque vero eiusmodi factum in dubium, aut in examen iterum vocare cuipiam licet. At ita mens atque ratio cuique constet, quid, obsecro, hoc rei est? Quod sibi tribuunt atque vindicant, id suo omniumque hominum Domino, id caeli terraeque creatori Christo Iesu negant? quandoquidem, ut antea dixi , Christi vice atque nomine potestatem suam Romanus Pontifex exercet, eiusque potestas ipsius Christi potestas est.

» Nonnihil aliud tangere etiam velim. Si vendere pretioque emere spiritualia nefas est, hoc cupio mihi dicant, utrum in verum proprieque dictum contractum vocare etiam sine pretio liceat. Si Simon ille Magus, pecunia nulla interposita, acquirere sibi stipulando voluisset potestatem dispensandi Spiritum S., utrum existimamus , mitius cum eo acturum Patrum fuisse ? Ne dicant mihi , quaeso, in Concordatis res ipsas spirituales non alienari, sed vel delegationem quandam circa eam fieri, vel quidpiam simile: id enim, respondeo, facile admitti poterit, si ius delegationem illam, vel quodcumque illud simile revocandi salvum sit: at cum *ius ipsum* ceditur, alterique obligatur, tum profecto res ipsa obligatur spiritualis, quia ius ad spiritualia spirituale est proprio veroque sensu.

» Argumentum, in quo hi triumphare se existimant, formulae quaedam sunt verborum Romanorum

Pontificum nomine adhibitae, quibus indoles pactionis synallagmaticae Concordatis asseritur. Haec tamen cum obiiciunt, scientiae principiis nuncium mittunt, eiusque fundamenta convellunt. Distinguere scilicet inter argumenta aut nesciunt, aut nolunt, quaenam illa sint, quae vim dignitatemque probationis mereantur, quaeve inter meras obiectiones recenseri debeant. Vera proprieque dicta probatio nonnisi a certis, immutabilibus atque omnium consensu admissis principiis hauriri petique potest. Si qua hisce adversa ac repugnans auctoritas proferatur, quae consistere cum iis nullo pacto possit, nihilo maioris aestimanda erit, quam quaedam obiectio, quae dissolvi et enodari debet, *impropriatis* etiam, ut aiunt, si necesse fuerit vocibus, iuxta notissimas ac traditas in iure regulas. Quid igitur Romani Pontifices voluere, tum cum indolem pacti synallagmatici Concordatis tribuisse visi sunt? Nihil profecto aliud, nisi ut quaslibet suspicionum umbras dissiparent certum sibi esse profitentes , ita firmiter, quamdiu per se licuisset, ea quae in Concordatis statuta fuerant, se servaturos, ac si pacta essent synallagmatica, neque ratione dissimili, ac in eiusmodi pactis fieri consuevit. Haec vero, quae polliciti sunt, immota sanctaque fide adeo semper servarunt ut extremos quoque officii sui limites aliquando attigerint: quod porro eorum intemperantiam satis superque revincit, qui de potestate Pontificis suspiciosos ac pavidos se perpetuo exhibent. At si ea, quae constituta sunt, retinere, in potestate Pontificis amplius non sit, si Ecclesiae incolumitas, si salus animarum, si conscientiae proinde iudicium, ac divina vox Christi curam gregis sui haberi imperantis, immutari illa, aut penitus aboleri iubeat, quis adeo excors ac caecus esse potest, qui hoc sibi persuadeat, in hisce etiam circumstantiis sua se potestate suoque se munere Romanos Pontifices exuere voluisse, denique ea se obligatione illigasse, quae, natura ipsa sua, illicita fuisset atque irrita? An hoc nobis dicent, in iis rerum adiunctis Romanum Pontificem iudicio Principis, cum quo Concordatum initum est, an ea revera necessitas urgeat, subiicere se debere? Perinde nimirum hoc esset, ac si dicas, Romanum Pontificem in iis rerum adiunctis divinam Ecclesiae constitutionem immutare debere: cumque Christus Ecclesiae regimen industriae curaeque eius personali *(Amas me?)* commiserit, laicos ab eodem removerit, in eos ipsos illud debere, ab humeris propriis excussum, transferre. Perinde etiam hoc esset, ac iuris publici principia convellere, ea regula constituta, ut legislator, isque legislator, qui non a populo, sed a Christo ipso potestatem habet, in legibus immutandis ab eorum assensu, qui sibi subiecti sunt, pendere debeat. Perinde denique hoc esset, ac normam praescriptionesque rationis pervertere, id nimirum exige n do, ut

i Q rebus spiritualibus administrandis, quarum cognitio Romanis Pontificibus data est, minime vero Principibus, atque in immensi huiusce corporis Ecclesiae ad perfectam unitatem com pacti regimine, cuius nexus inter singula membra, atque omnia circumstantiarum adiuncta, quibus afficitur et implicatur, uni tantum Iesu Christi Vicario nota sunt, Principibus autem ignota, iusti ordinis rectaeque dispositionis cura Principibus ipsis demandetur, a Romano Pontifice detrahatur.

» Natura Pontificii primatus, qui alienationis est incapax, eaque proportio , quam circa res spirituales, vel spiritualibus adnexas, inter Romanum Pontificem ac Principes, qualis est inter legislatorem ac subiectos, rectissime instituisti, duo sunt scopuli, in quos semper illidet quicumque voluerit indolem pacti synallagmatici Concordatis tribuere. Cum ad hunc locum Controversiam, veluti errantem, revocabas, ad intimam eius indolem pervenisti: neque enim aliter definiri Concordatum potest, nisi *Lex particularis ecclesiastica pro aliqua Ecclesiae parte auctoritate Summi Pontificis edita ad Principis eius loci instantiam, speciali eiusdem Principis obligatione confirmata/ se eam perpetuo servaturum.* Ex quo fit manifestum, partes Romani Pontificis in Concordatis eas esse, quae legislatori competunt, Principum vero, quae subiectorum sunt propriae, ita tamen, ut hoc insuper accesserit, quod praeter naturale vinculum, quo subiecti erga leges tenentur, quoquo ab iis recedere prohibentur, aliud quoque particulare Principes adiecerit, quo se, speciali obligatione suscepta, ad ea perpetuo servanda se obstrinxerunt.

r> Video iustos epistolae fines esse me praetergressum, sed abripi facile idcirco passus sum, non quidem ut fonti aquas praeberem, sed ut tibi sit manifestum, et quantum voluptatis e tuo libello perceperim, et quanto consensu ea quae sentis, amplectar.

» Eximiae erga te meae opinionis significationem rogo, ut benignus accipias.»

CAMILLUS TARQUINI *e Societate Iesu*
Iuris Pontificii in Gregoriana
Collegii Romani Universitate
Doctor decurialis

EX S. « REGAT » DE PROPAGANDA FIDE

DE FACULTATE ITERANDI MISSAM

M19S10«IM ORDINARIIS CONCESSA.

Inter facultates, quas Missionum Ordinariis tribuit **S.** Congregatio fidei propagandae praeposita, ea continetur, quae his verbis est concepta: « Celebrandi bis in die, si necessitas urgeat » (ita tamen ut in prima Missa non sumpserit ablutionem) » per unam horam ante auroram et aliam post meridiem sine » ministro et sub dio et sub terra, in loco tamen decenti, etiamsi)> altare sit fractum vel sine reliquiis Sanctorum et praesentibus » haereticis, schismaticis, infidelibus et excommunicatis si alito ter celebrari non possit. Caveat vero, ne praedicta facultate » seu dispensatione celebrandi bis in die aliter quam ex gravis» simis causis et rarissime utatur, in quo graviter ipsius con» scientia oneratur. Quod si hanc eandem facultatem alteri Sa-^ » cerdoti... communicare aut causas ea utendi alicui, qui a San-* » cta Sede hanc facultatem obtinuerit, approbare visum fuerit, » serio ipsius conscientiae iniungitur, ut paucis dumtaxat, iisque » maturioris prudentiae ac zeli, et qui absolute necessarii sint, » nec pro quolibet loco, sed ubi gravis necessitas tulerit et ad » breve tempus eandem communicet aut respective causas ad» probet. »

Instructio quae sequitur respicit hunc facultatum articulum, eaque est tenoris huiusmodi:

MTSTEÜCTIO

S. CONGREGATIONIS FIDEI PROPAGANDAE PRAEPOSITAE SUPER MISSAE ITERATIONE.

DOCUMENTUM. « 1. La facoltà di binare la Messa, di cui la S. Sede suol munire gli Ordinarii delle Missioni con che possano comunicarla ai loro Missionarii, ha suscitato non pochi dubbi, proposti dai medesimi a questa S. Congregazione. La ragione di tali dubbi si desume dal rigore stesso delle clausole, che per ordine di Alessandro VII furono apposte al relativo articolo delle Formóle. Il perchè è sembrato opportuno di raccogliere nella presente istruzione le massime e le regole più comuni, che deggiono aversi in vista neir uso della menzionata facoltà.

» 2. Ognuno sa, che per regola generale secondo l'odierna disciplina della Chiesa, è lecito ai Sacerdoti di offrire il S. Sagrificio una sola volta il giorno. Così dispone Innoc. III **(1):** « Respondemus quod excepto die Nativitatis Dominicae,***nisi causa » necessitatis suadeat,*** sufficit Sacerdoti semel in die unam Mis- » sam solummodo celebrare. »

» 3. Nel caso adunque di necessità si permette ai Sacerdoti

VERSIO 1. ***Facultas iterandi Missam, quam tribuere solet S. Sedes Ordinariis Missionum, quam facultatem communicare possunt suis Missionariis, non pauca excitavit dubia ab iisdem huic S. Congregationi proposita. Horum dubiorum ratio petitur ex ipso clausularum rigore quae iussu Alexandri VII adiectae fuerunt articulo Formularum qui de hac facultate agit. Quare opportunum visum est colligere per praesentem Instructionem principia et regulas communiores, quae in huius facultatis usu prae oculis sunt habendae.***

2. ***Quisque noscit, Regulam generalem esse, iuxta vigentem Ecclesiae disciplinam, fas esse Sacerdoti S. Sacrificium offerre semel in die. Sic Innocentius III*** (1) : « ***Respondemus, quod excepto die JSa- » tivitatis Dominicae,*** nisi causa necessitatis suadeat, ***sufficit Sa- * cerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare. »***

3. ***In casu ergo necessitatis permittitur Sacerdoti Missae iteratio***

(1) Cap. *Consuluisti* de Celebratione Missarum.

d'iterare la Messa in un medesimo giorno. Ciò per altro deve intendersi, come risulta chiaramente dai termini stessi delle Formóle, del permesso di celebrare due Messe soltanto, malgrado la gravità delle cause per celebrarne un numero maggiore. Domandava il Prefetto della Missione de'Cappuccini di Tunisi, se essendo tutti i suoi Missionarii carcerati, avrebbe potuto in un medesimo giorno, ***si necessitas urgeat,*** celebrarne più di due. E la Congregazione Generale di Propaganda dei 7. Agosto 1684 risolveva « ***non posse vigore facultatum celebrare ultra duas Missas.*** » II che erasi già risposto nella Congregazione Generale tenuta ***coram Ssmo*** ai 17 Febbraro 1648; poiché esposto l'abuso che erasi introdotto presso i Sacerdoti schiavi in Algeri di celebrare tre Messe « ***Ssmus... iussit per dictum Praefectum*** (Algeriae) ***praecipi nomine Sanctitatis suae Sacerdotibus .. quod cum Sedes Apostolica in facultatibus Missionariorum potestatem seu licentiam concesserit celebrandi bis in die, ubi necessitas id exegerit, ne deinceps ultra duas Missas celebrent.*** » Lo stesso si ripeteva negli anni 1818 e 1820 al Prefetto Apostolico di Tunisi.

eodem die. Id tamen debet intelligi, ut ex ipsis formulae verbis di' gnoscitur, de venia celebrandi duas tantum Missas, quamvis graves concurrerint causae quae maiorem numerum celebrare suaderent. Postulavit olim Praefectus Missionis Capuccinorum Tuneti, an uno eodemque die, si necessitas urgeret, plures quam duas Missas celebrare posset, propterea quod omnes eius Missionarii in carceres coniecti erant? Atque S. Congregatio generalis fidei propagandae praeposita die 7 Augusti 1684 ***respondit:*** non posse vigore facultatum celebrare ultra duas Missas. ***Quod iampridem responsum fuerat in generali Congregatione habita coram Summo Pontifice die*** 17 ***Februarii*** 1648: ***namque exposito abusu qui invaluerat inter Sacerdotes captivitate detentos in Algeria celebrandi tres Missas,*** « SSmus... iussit per dictum Praefectum ***(Algeriae)*** praecipi nomine Sanctitatis Suae Sacerdotibus... quod cum Sedes Apostolica in facultatibus Missionariorum potestatem seu Iicentiam concesserit celebrandi bis in die, ubi necessitas id exegerit, ne deinceps ultra duas Missas celebrent. » ***Idem fuit repetitum anno*** 1818 ei 1820 ***Praefecto Tuneti.***

» 4. La necessità adunque è l'unico titolo per cui si autorizzano i Sacerdoti a binare la Messa. Convien però osservare anzi tratto col Verricelli (1) che « haec necessitas non est de- » sumenda ex parte inopiae Sacerdotum, sed ex- parte necessi- » tatis spiritualis populi, et rarità te Sacerdotum. » Posto il quale principio è agevole ricavare varie regole negative sull' uso della facoltà, di cui si tratta.

» 5. In I° luogo è chiaro che mal si apporrebbe chi dicesse potersi binare nelle feste soppresse, in cui il popolo va esente dall' obbligo di ascoltare la Messa, come avvertivasi dalla S. Congregazione nel 1837: « ***Re mature perpensa, ex ipsius formulae verbis satis clare patuit, non posse facultates ad abrogatas festivitates extendi. Cum enim in memorata formula declaretur facultatem valere si necessitas urgeat, sequitur ex eo unice titulo, quod dies illi festi olim fuerint, non posse Missam bis ab eodem Sacerdote celebrari. »***

» 6. 2° Parimenti è vietato il binare per comodo di quelli, che amassero di soddisfare al precetto della Messa nelle private

4. ***Necessitas ergo est unicus titulus ex quo facultas Sacerdotibus fit duas dicendi Missas. Expedit cum Verricelli*** **(1)** ***animadvertere, quod « haec necessitas non est desumenda ex parte inopiae Sazerdotum, sed ex parte necessitatis spiritualis populi et raritate Sacerdotum.» Hoc principio posito, facile est quasdam negativas regulas eruere de usu facultatum de quibus agitur.***

5. I°. ***Non potest iterari Missa diebus festis suppressis, quibus populus Missam audire non tenetur, quemadmodum monuit S. Congregatio anno*** 1837 ***hisverbis:«*** Re mature perpensa,ex ipsius formulae verbis satis clare patuit, non posse facultates ad abrogatas festivitates extendi. Cum enim in memorata formula declaretur, facultatem valere si necessitas urgeat, sequitur ex eo unice titulo, quod dies illi festi olim fuerint, non posse Missam bis ab eodem Sacerdote celebrari.»

6. 2°. ***Pariter interdicta est Missae iteratio in eorum commodum, qui vellent praecepto audiendi Missam satisfacere in suis***

(1) De Apost. Mission. Tit. IV. quaest. 98 Dub. 18 n. 201.

loro Cappelle. Avea rappresentato nel 1842 il Vicario Apostolico di Limburgo la consuetudine invalsa colà di permettere la binazione negli Oratorii privati ***in castris magnatorum,*** nè « redendo in tali occasioni avverarsi la necessità voluta dalle Formole, chiese tanto in vista della consuetudine che della utilità morale che ne derivava, d'essere autorizzato a permetterlo. Ma il S. Offizio giudicò ***iuxta exposita non expedire.*** E avendo replicato il Vicario Apostolico, che alcuni Sacerdòti per la facoltà avutane anteriormente dal suo predecessore proseguivano a binare, la Suprema decretò « ***facultatem esse revocandam, quatenus Vicarius Apostolicus Limburgen. prudenter id fieri posse existimet. »***

» 7. 3° Da queste stesse risoluzioni si deduce che la consuetudine non è un titolo sufficiente perchè uno stesso Sacerdote possa offrire in un giorno due volte il s. Sagrificio. E ciò è conforme a quanto insegna Bened. XIV. nella cost. ***Declarasti nobis,*** diretta ai 16 Marzo 1746 al Vescovo di Huesca in Aragona: « ***Solum inquirimus,*** così il Pontefice, ***utrum ea consuetudo rationem praescriptionis sibi aut praesumptionis comparavit ,et utrumque falsum et alie-***

privatis capellis. Enarraverat anno 1842 ***Vicarius Apostolicus Limburgensis consuetudinem in suo Vicariatu inolitam permittendi Missae iterationem*** in castris magnatorum ; ***quum autem non putaret his in adiunctis eam necessitatem esse, quae a formulis exigitur, petiit, tum ratione consuetudinis, tum moralis utilitatis quae inde proveniebat, ut sibi auctoritas fieret id permittendi. At S. Congregatio Inquisitionis iudicavit:*** iuxta exposita non expedire. ***Quum autem subiunxisset Vicarius Apostolicus, aliquos Sacerdotes ex praehabita facultate ab eius Praedecessore iterationem Missae prosequi, eadem S. Congregatio decrevit :*** facultatem esse revocandam, quatenus Vicarius Apostolicus Limburgensis prudenter id fieri posse existimet.

7. 3°. ***Ex huiusmodi Resolutionibus infertur, consuetudinem non esse titulum sufficientem, ut idem Sacerdos offerre bis possit uno eodemque die S. Sacrificium. Quod etiam consonat cum eo quod docuit Renedictus XIV in Const.*** Declarasti nobis, ***data die*** 16 ***Martii*** 1746 ***ad Episcopum Oscensem his verbis:*** « Solum inquirimus, utrum ea consuetudo rationem praescriptionis sibi aut praesum-

num iudicamus. » Ed in quanto alla prescrizione dice: « ***Si etenim iuxta civiles leges sanctae res praescribi non possunt, absonum undique est asserere, fuisse per praescriptionem aliquid obtentum vel acquisitum, quod adversetur sanctionibus universalibus Ecclesiae, quarum observantiam S. Concilium Trid. in Missarum celebratione Sacerdotibus omnibus praecipit. »*** Sulla presunzione poi soggiunge : « ***Sed , ceteris praetermissis, subdimus, haec intelligi posse de illis privilegiis, quae impetrari potuissent a Sede Apostolica, si quis ea postulasset, non vero de iis, quae cum postulantur, negari omnino consueverunt, ne praesumptio plus habeat roboris et momenti quam veritas.**** Ond'è che quando la S. Congregazione ha conosciutocene in qualche luogo fosse invalsa la consuetudine di binare la Messa senza necessità, non ha mancato di riprovare consuetudini di tal fatta siccome un abuso, eccitando lo zelo dei Vescovi ad eliminarla.

» 8. 4° Anche la povertà dei Preti è ben lungi dal giustificare la binazione della Messa, come già si accennò dal Verricelli (1).

ptionis comparavit, et utrumque falsum et alienum iudicamus.» ***Et ad praescriptionem quod attinet, scripsit :*** c Si etenim iuxta civiles leges sanctae res praescribi non possunt, absonum undique est asserere, fuisse per praescriptionem aliquid obtentum vel acquisitum, quod adversetur sanctionibus universalibus Ecclesiae, quarum observantiam S. Concilium Trid. in Missarum celebratione Sacerdotibus omnibus praecipit. »Ad ***praesumptionem autem quod attinet subiunxit:*** « Sed ceteris praetermissis subdimus haec intelligi posse de illis privilegiis, quae impetrari potuissent a Sede Apostolica, si quis ea postulasset, non vero de iis, quae cum postulantur, negari omnino consueverunt, ne praesumptio plus habeat roboris et momenti quam veritas. » ***Inde est, quod S. Congregatio, quum cognoverit aliquo in loco inolitam esse consuetudinem iterandi Missam sine necessitate, non omisit eiusmodi reprobare consuetudinem tamquam abusum, zelum Episcoporum excitans ad eam eliminandam.***

8. 4°. ***Etiam Presbyterorum paupertas non iustificat Missae derationem ut cum Verricelli {i) indicatum est. Quidam Hiberniae***

(1 t. cit.

Un Arcivescovo d'Irlanda dimandò nel 1688 « se per la sola » causa della povertà possono li Regolari celebrare due Messe » nei giorni festivi, facendole nelle case private non ostante che » tutte le parrocchie e li conventi abbiano le loro chiese e cap» pelle. » La risposta della S. Congregazione fu negativa; ed essendosi riferito nelle due particolari Congregazioni di Propaganda dei 7 Marzo 1743,, e 28 Luglio 1750 che tuttora vigeva in Irlanda il divisato abuso, perchè molti Sacerdoti si servivano della « fa» colta di binare non per altro fine che di aver limosine più «abbondanti, e quindi potersi più comodamente sostentare, » gli EE. PP. ordinarono: ***Graviter moneantur Sacerdotes, ne facultate celebrandi bis in die abutantur, ut stipendium largius et pinguius habeant.*** E da Bened. XIV (1) chiamasi ***abusus intolerabilis*** quello di dare ad un Sacerdote la facoltà di binare ***eum in finem, ut duplici eleemosyna decentius se sustentaret.*** Solo ad usare un riguardo ai Religiosi poveri di quel regno, i quali eransi lamentati di un'analoga proibizione fatta nel 1817 dal Sinodo

Archiepiscopus anno 1688 ***petiit: « An ex sola paupertatis causa possent Regulares duas Missas diebus festis celebrare id facientes in privatis domibus, quamquam omnes paroeciae et Conventus proprias ecclesias et capellas haberent. » S. Congregationis Responsum negativum fuit: quum autem relatum esset particulari Congregationi Fidei Propagandae habitae tum die*** 7 ***Martii*** i 743 ***tum die*** 28 ***Iulii*** 1750, ***eiusmodi abusum in Hibernia adhuc vigere, quod multi Sacerdotes utebantur facidtate iterandi Missam non alia de causa quam ut pinguiores eleemosynas perciperent, atque inde commodius se sustentarenl, Emi Patres decreverunt :*** « Graviter moneantur Sacerdotes, ne facultate celebrandi bis in die abutantur, ut stipendium largius et pinguius habeant. ***y>Et a Benedicto XIV {i) appellatur*** abusus intolerabilis ***concessio alicui Sacerdoti facta iterandi Missam*** eum in finem, ut duplici eleemosyna decentius se sustentaret. ***Solum ut aliquem morem gereret pauperibus Religiosis eius Regni, qui conquesti fuerant de simili prohibitione facta in Synodo provinciali Tuamensi ob damnum inde proveniens sublata sibi elee-***

(1) Const *Apostolicum Ministerium* 30 Maii 1753 §. 11.

Provinciale di Tuam pel danno, che loro recava, togliendo ad essi T elemosina che all'occasione della Messa solevano percepire alla porta della Chiesa, mentre essi vivevano delle contribuzioni de'fedeli, volle la S. Congregazione che si avvertissero i Vescovi, che « ***in impertienda de auctoritate Apostolica Sacerdotibus licentia celebrandi diebus festis de praecepto duas Missas ob causas necessitatis ab Apostolicis Constitutionibus approbatas rationem habeant Sacerdotum regularium ac praesertim illorum qui in pauperibus coenobiis moram trahunt.*** » Del resto avendo dichiarato la S. Congregazione dei Concilio « ***ex praxi generali Presbyteris non concedi eleemosynam recipere pro secunda Missa, etiamsi de illis agatur qui parochiali munere instructi ideo stipendium pro prima Missa nequeunt obtinere, quod eam*** pro populo ***applicare teneantur,*** » come si notificò con apposita Circolare della Propaganda del 15 Ottob. 1863 agli Ordinarii delle Missioni, si è tolto oggimai ogni pretesto all' abuso di binare la Messa ad intuito dello stipendio. In vista però delle particolari circostanze di alcune Missioni il S. Padre si è degnato autorizzare, come

mosyna quam Missae occasione percipere solebant ad ecclesiae ianuas, cum ipsi viverent ex fidelium oblationibus, S. Congregatio voluit, ut monerentur Episcopi, ut, « in impertienda de auctoritate Apostolica Sacerdotibus licentia celebrandi diebus festis de praecepto duas Missas ob causas necessitatis ab Apostolicis Constitutionibus approbatas rationem habeant Sacerdotum Regularium ac praesertim illorum qui in pauperibus coenobiis moram trahunt.» ***Ceterum cum declaraverit S. Congregatio Concilii:*** « ex praxi generali Presbyteris non concedi eleemosynam recipere pro secunda Missa, etiamsi de illis agatur, qui parochiali munere instructi ideo stipendium pro prima Missa nequeunt obtinere, quod eam ***pro populo*** applicare teneantur,» ***ut notificatum est per literas circulares S. Congregationis Fidei Propagandae praepositae die*** 15 ***Octobris*** 1863 ***Ordinariis Missionum, dubium omne ac quilibet obtentus iterandi Missam intuitu stipendii sublatus est. Habita tamen ratione circumstantiarum quarumdam Missionum, SSmus Pater dignatus est auctoritatem facere, ut constat ex dictis Litteris circularibus, earum Ordinariis ad permittendum,*** « ut iusta et gravi

consta dalla Circolare medesima, i predetti Ordinarii a permettere « *tu iusta et gravi causa intercedente Sacerdotes sibi subditi etiam pro secunda Missa in eadem die celebranda stipendium percipere possint ac valeant.* »

h 9. 5° Non occorre da ultimo notare, che è vietato al Sacerdote di celebrare due volte la Messa, qualora possa aversi altro Sacerdote, pel cui mezzo possa soddisfarsi alla necessità del popolo, come insegna espressamente Bened. XIV nella precitata Costit. ***Declarasti Nobis.*** Ed è perciò, che prima di farsi luogo alla binazione, conviene esaminare se vi sia alcuno de'rimedi stabiliti dal diritto per provvedere allo spirituale bisogno del popolo ; e dapprima è tenuto il Parroco stesso a somministrare ad un altro Sacerdote lo stipendio; posta ***V*** impotenza di esso, vi è tenuto il popolo; e finalmente, se neppure il popolo per la sua povertà vi si potesse costringere, vi dovrebbe supplire l'Ordinario (1).

» 10. Fin qui dei casi, in cui è proibito iterare la Messa. Venendo ora ai casi in cui concorre la necessità richiesta a tale

causa intercedente Sacerdotes sibi subditi etiam pro secunda Missa in eadem die celebranda stipendium percipere possint ac /aleant.»

9.5°. ***Denique interdicta est Sacerdoti Missae iteratio si alter haberi possit Sacerdos, quo satisfiat populi necessitati, ceu expresse docet Benedictus XIV in citata Constit.*** Declarasti nobis. ***Atque inde est, ut, priusquam admittatur Missae iteratio, videndum sit, an aliquod medium iure constitutum suppetat ad prospiciendum spirituali populi necessitati: atque inprimis tenetur ipse Parochus ad dandum stipendium alteri Sacerdoti; posita autem eius impotentia, tenetur populus; et denique, si neque populus ob suam paupertatem cogi posset, Ordinarius supplere teneretur (i).***

10. ***Hactenus de casibus, in quibus prohibita est Missae iteratio. Ad casus quod attinet in quibus ad iterandam Missam necessitas concurrit, hi sunt expositi in Constit.*** Declarasti nobis. ***Hac in***

(î) **Ben. XIV. 1. c. Votum Card. Zelada** *Thesaur. Resolutionum,* **t. 87 io causa Derthusen. 26 Aug. 1768.**

effetto, trovatisi i medesimi svolti nella Cost. ***Declarasti Nobis.*** In essa si osserva primieramente, che secondo l'unanime consenso de* Teologi si permette di binare la Messa al Sacerdote ***« qui duas Parochias obtineat, vel duos populos adeo seiunctos, ut alter ipsorum Parocho celebranti per dies festos adesse nullo modo possit ob locorum maximam distantiam.*** » Ed è questo il primo caso, e più comune, l'altro che ivi si enumera, è « ***quando una tantum sit Ecclesia, in qua Missa celebratur, et ad quam insimul universus populus convenire non potest. »***

» **11.** Nei casi suenunciati può iterarsi la Messa anche da chi non trovasi munito delle facoltà delle Formole che sogliono concedersi dalla Propaganda, consentendolo lo stesso diritto comune, sempre però dipendentemente dall'Ordinario, cui s'appartiene il giudicare sia della vera necessità, come ancora della possibilità di applicare i rimedi canonici (§ 9). Difatti dopo averli indicati Bened. XIV. soggiunge: « ***Quae huc usque dicta sunt, canonicis etiam generalibus sanctionibus innituntur.*** » Che anzi è concorde opinione de' Teologi, come avverte Bened. XIV. nel

Constitutione consideratur in primis, iuxta unanimem Theologorum consensum permitti iterationem Missae Sacerdoti, « qui duas parochias obtineat, vel duos populos adeo seiunctos, ut alter ipsorum Parocho celebranti per dies festos adesse nullo modo possit ob locorum maximam distantiam. » ***Atque hic est primus et communior casus: alter, qui ibidem recensetur, est,*** « quando una tantum sit ecclesia in qua Missa celebratur, et ad quam insimul universus populus convenire non potest.

ii. In his casibus iterari Missa potest etiam ab iis, qui facultate non sunt donati per formulas, quae concedi solent per S. Congregationem fidei propagandae praepositae, cum id concedat ipsum commune ius, semper tamen dependenter ab Ordinario, cui pertinet de vera necessitate iudicium deque possibilitate applicandi canonica remedia (§. 9). ***Revera eiusmodi mediis indicatis Benedictus XIV subiungit : «*** Quae huc usque dicta sunt, canonicis etiam generalibus sanctionibus innituntur. » ***Quin imo concors est Theologorum opinio, quemadmodum et ipse Benedictus XIV animadvertit, in casu unius Parochi cum duabus paroeciis,*** « Parochum nedum

caso di un sol Parroco con due parrocchie « ***parochum nedum posse, sed plane teneri bis eodem die Missam celebrare*** (1). » Di che facilmente ne conseguita che ***Y*** analogo articolo delle Formole, essendo facoltativo, si estende anche ad altri casi di necessità non contemplati nel diritto comune, altrimenti renderebbesi inutile, almeno pe'luoghi ove le parrocchie sono canonicamente istituite disponendo per queste lo stesso dritto comune. Ciò è conforme a quanto il lodato Pontefice dice nell'opera ***de Sacros. Missae Sacrificio*** **(2)**, ove dopo aver asserito « ***casum qui revera contingit, eum esse cum Parochus duas habet parochias etc.»*** prosiegue ne'seguenti termini: ***«.neque tamen quidquam praeiudicatum volumus de aliis casibus, qui accidunt in Missionibus, quibus consultum est concedendo Missionariis facultatem plures celebrandi Missas eodem die; itemque de aliis casibus, in quibus vel ob locorum distantiam, vel ob paucitatem Sacerdotum, aut haereticorum aut infidelium persecutionem, ne fideles Missa careant, opus est a Sacerdotibus duas Missas celebrari.*** » E di queste

posse,sed plane teneri bis eodem die Missam celebra re ***(i).»Ex quibus facile consequitur, articulum Formularum, cum sit facultativus, protendi ad alios quoque casus necessitatis in communi iure non consideratas ; secus enim inutilis ille articulus evaderet, saltem pro iis locis in quibus paroeciae sunt canonice erectae, ipso iure communi pro his paroeciis disponente. Quod consonat cum eo quod docet Benedictus XIV in opere*** De Sacros.Missae Sacrificio **(2)*****, in quo facta mentione:*** casum, qui revera contingit, eum esse, cum Parochus duas habet parochias ***etc., his verbis prosequitur:*** «Neque tamen quidquam praeiudicatum volumus de aliis casibus, qui accidunt in Missionibus, quibus consultum est concedendo Missionariis facultatem plures celebrandi Missas eodem die; itemque de aliis casibus, in quibus vel ob locorum distantiam, vel ob paucitatem Sacerdotum, aut haereticorum aut infidelium persecutionem, ne fideles Missa careant, opus est a Sacerdotibus duas Missas celebrari. ***Et de huiusmodi quidem causis quae locum in Missionibus habent, pro quibus Missionum Superioribus datur facultas, agebatur***

(1) De Syn. Dioec. L.VI. c.VIII.n.2.

(2) Lib. III. c V. n. 4.

cause appunto che hanno luogo nelle Missioni e per le quali si dà ai Superiori delle medesime la facoltà, si parlava nel 1832 dalla Propaganda nello scrivere ad un Missionario di Filippopoli, il quale non celebrava più Messe, quantunque assistesse più popolazioni. Impostoglisi cioè di binare anche per ordine della Congregazione generale, gli si soggiungeva: « ***Se poi ella domanda perchè alla facoltà di binare la Messa nella formóla dell' indulto sieno unite quelle clausole di rigore, ella troverà nella formóla slessa la risposta, osservando, che V indulto non si restringe ai bisogni del popolo ne* giorni festivi, ma essendo in termini generali comprende ancora gli altri casi in questione, come sarebbe il bisogno di amministrare il viatico agli infermi in ambedue le parrocchie, ed in questi altri casi è dove debbono aver luogo le cautele prescritte. »***

» 12. Ora appunto per questi casi meno ovvii si sono trovati non di rado imbarazzati i Vescovi ed i Missionarii nell' uso della facoltà, dubitando principalmente della sufficienza delle cause che si richiedessero a seconda delle clausole che 1' accompagnano. D'altro lato tanti sono e sì differenti i casi che possono avvenire su questa materia nelle Missioni, da non potersi facilmente

anno 1832, ***cum ad quendam Missionarium Philippopolitanum, qui non iterabat Missas, quamvis variis populis praesideret, scriptum fuit : iniuncta scilicet Missae iteratione, etiam ex mandato generalis S. Congregationis, adiungebatur:*** « Si autem quaeras, cur facultati iterandi Missam in formula Indulti adiciantur illae rigoris clausulae, invenies in ipsa formula responsum: observabis enim Indultum non coerceri ad populi indigentias diebus tantum festivis; sed, quum generalibus terminis contineatur, comprehendere quoque alios casus de quibus agitur, quemadmodum esset necessitas administrandi infirmis Viaticum in utraque paroecia, et in huiusmodi aliis casibus locum habere debere praescriptas cautelas.»

12. ***Atque in huiusmodi singillatim casibus minus frequentibus In usu eius facultatis identidem implexi reperti sunt Episcopi et Missionarii; de causarum praesertim sufficientia dubitantes, quae requirerentur iuxta clausulas facultati adiectas. At vero tot tamque varii sunt casus, qui de hac materia in Missionibus possunt con-***

prevedere e molto meno ridurre a determinate regole, potendo variare il giudizio sui medesimi secondo le varie circostanze dei luoghi, dei tempi e delle persone, che in essi concorrano. Ecco perchè la soluzione dei particolari dubbi che in proposito si sono avanzati, si è per lo più rimessa al savio discernimento,del Superiore della Missione.

» 13. E dapprima si è più volte chiesta una regola sul numero bastevole dei fedeli, perchè si possa iterare la Messa. Nella Cost. ***Apostolicum Ministerium,*** per ***V*** Inghilterra si dice potersi far uso della facoltà « ***cum eorum numerus qui diebus festivis tenentur sacris assistere, talem exhibeat necessitatem, ut nisi alicui Sacerdoti duas Missas eodem die celebrandi potestas concedatur, Ecclesiae mandato*** plures ***non satisfacerent,*** » Questo criterio generale però non toglie ogni dubbio sul numero che sia necessario alla binazione. Lo stesso può dirsi di una risposta negativa del S. Uffizio nel 1688 ad alcuni Missionarii Cappuccini della Grecia. Aveano essi dimandato: « utrum Missionarius Sacerdos solus in » loco degens duas Missas diebus Dominicis et festivis pro quin-

tingere, qui praevideri facile haud possunt, multoque minus reduci ad determinatas regulas; de iisdem enim iudicium variari potest iuxta dispares locorum, temporum personarumque concurrentes circumstantias. Haec est ratio cur dubiorum particularium resolutio, quae hac de re sunt proposita, plerumque remissa est prudenti Superioris Missionum arbitrio.

13. ***Pluries regula postulata est de numero fidelium, qui esset satis, ut Missa iterari posset. In Constit.*** Apostolicum Ministerium, ***edita pro Anglia dicitur, eiusmodi facultate posse uti*** « cum eorum numerus, qui diebus festivis tenentur sacris assistere, talem exhibeat necessitatem, ut nisi alicui Sacerdoti duas Missas eodem die celebrandi potestas concedatur, Ecclesiae mandato ***plures*** non satisfacerent. » ***Eiusmodi tamen generalis norma dubium non aufert de numero iterationi necessario. Idem repeti potest de quodam negativo responso S. Inquisitionis anno*** 1688 ***dato quibusdam Missionariis Capuccinis in Graecia. Hi quaesiverant : « Utrum Missionari rius Sacerdos solus in loco degens duas Missas diebus Dominicis » et festivis pro quindecim seu viginti personis, quae legitime im-***

» decim seu viginti personis, quae legitime impeditae primae » Missae adesse non valuerunt, celebrare possit; » e la Suprema ai 28 Genn. dello stesso anno decretò ***non licere.*** Se peraltro il numero di venti è insufficiente all' effetto, può ulteriormente dimandarsi, quale sia il numero minimo, che basti.

» 14. Ma intorno a questo dubbio, come a quelli concernenti la distanza, la S. Congregazione ha tenuto la massima di lasciarli decidere dalla prudenza degli Ordinarii delle Missioni, da cui di-» pende la facoltà, potendo essi soli sulla faccia dei luoghi dare il giusto peso a tutte le circostanze concorrenti nelle singole contingenze. Ed invero fin dal 1688 il Prefetto della Missione di Tunisi in Barbaria chiedeva in generale, che si dichiarasse, quale dovesse essere il numero de'fedeli privi d'altronde di Messa, a riguardo di cui si potesse binare; e la Congregazione Generale di Propaganda dei 16 Novembre rispondeva: ***Relinquatur caritati et conscientiae P. Praefecti.*** Similmente il vescovo di S. Louis negli Stati Uniti d'America nel 1828, dopo aver esposto come il proprio, così il timore di altri Vescovi di gra-

» peditae primae Missae adesse non valuerunt, celebrare possit: » et Suprema S. Inquisitio die 28 ***Ianuarii eiusdem anni decrevit :*** non licere. ***Si itaque numerus viginti fidelium haud satis existimatur ut Missa iteretur, ulterius quaeri potest, quinam sit minimus numerus, qui sufficiat.***

14. ***Sed circa eiusmodi dubium, quemadmodum circa ea quae distantiam respiciunt, S. Congregatio in more habuit, resolvenda haec esse prudenti Ordinariorum Missionum arbitrio, a quibus facultas pendet ; ipsi enim in locis in quibus sunt recte aestimare possunt concurrentes circumstantias in singidis casibus. Et sane usque ab anno i*** 688 ***Praefectus Missionis Tuneti in Mauritiana generatim postulabat, ut declararetur, qualis esse numerus fidelium deberet qui Missa privarentur, ut Missa iterari posset; et S. Congreg. Generalis Fidei Propagandae die*** 16 ***Novembris respondit:*** Relinquatur caritati et conscientiae P.Praefecti. ***Similiter Episcopus S.Ludovici in Statibus Americae foedere iunctis anno*** 1828, ***exposito suo aliorumque Episcoporum timore propriam conscientiam gravandi ob formularum clausulas, postulavit: « utrum quoties triginta aut quin-***

varsi la coscienza per le clausole delle formóle, dimandava, c utrum quoties triginta aut quinquaginta fideles periculo expo- » nuntur Missam de praecepto non audire, bis celebrare valeant.» Con lettera dei 13 Marzo per ordine di Leone XII gli si rescrisse: « ***omnem te anxietatem animi deponere debere, et quin commovearis verborum rigore, Se conscientiae ac prudentiae tuae committere, ut iudices quibus in casibus ratione habita adiunctorum dioecesis tuae graves adesse causae censendae sint, facultatem, de qua sermo est, Sacerdotibus impertiendi. Ubi vero has causas graves secundum conscientiam prudentiamque tuam arbitratus fueris, Sanctitas Sua posse te absque ulla dubitatione ça facultate uti benigne declaravit. »***

» 15. Una consimile risposta fu anche data nel 1851 al Vicario Apostolico di Limburgo, il quale avea proposto un dubbio sulla distanza. « In hac regione (così egli) ex antiqua con- » suetudine binandi licentia aliquando conceditur ob necessita- » tem moralem, licet parochia vicinior non distet ultra spatium » mediae leucae; quaeritur num recte? » La Propaganda con let-

» quaginta fideles pericido exponuntur Missam de praecepto non » audire, bis celebrare valeant: » iussu Leonis XII litteris datis die 13 ***Martii rescriptum est:*** «omnem te anxietatem animi deponere debere, et quin commovearis verborum rigore, Se ***(Sanctitatem Suam)*** conscientiae ac prudentiae tuae committere, ut iudices, quibus in casibus ratione habita adiunctorum dioecesis tuae graves adesse causae censendae sint, facultatem, de qua sermo est, Sacerdotibus impertiendi. Ubi vero has causas graves secundum conscientiam prudentiamque tuam arbitratus fueris, Sanctitas Sua posse te absque ulla dubitatione ea facultate uti benigne declaravit. »

15. ***Similis quoque responsio data est anno*** 1851 ***Vicario Apostolico Limburgensi, qui dubium super distantia sic proposuerat:*** « In hac regione ex antiqua consuetudine binandi licentia aliquando conceditur ob necessitatem moralem, licet parochia vicinior non distet ultra spatium mediae leucae; quaeritur num recte?» S. ***Congregatio suis Uteris die*** 31 ***Iulii respondit:*** « Praemisso Episcoporum esse muneris pro viribus curare, ut hac uti facultate

tera dei 31 Luglio gli rispose « ***Praemisso Episcoporum esse muneris pro viribus curare, ut hac uti facultate non sit opus ad succurrendum fidelium necessitatibus, praxis generalis servanda in singulis casibus assignari non potest. Quapropter in casibus ut supra particularibus, deficiente Presbyterorum copia, aliisque omnibus circumstantiis mature perpensis, prudenti iudicio Superioris definiendum, utrum eo in casu concurrant gravia rerum adiuncta, quae tradunt Doctores necessitatis casum efficere futi propositus videtur), in quo dispensationi a praecepto universali de non iterando Sacrificio ab eodem Presbytero eademque die locus fiat, et binandi facultati tribuendae, qua parce omnino illum uti debere ex Apostolici ipsius indulti verbis apprime perspicitur.*** » E questa istruzione ne'termini stessi fu inviata al Vescovo di Treviri nel 1853, da parte dei quale erano stati proposti svariati dubbi sul binare la Messa, essendoglisi scritto ai 28 Settembre, che considerati i suoi quesiti « ***censuit S. Congregatio dandam esse instructionem, quam... Vicarius Apostolicus Limburgen. obtinuit sub die*** 31 ***Iulii an.*** 1851.»

» 16. Per altro tra le varie risposte, che affidano il giudizio

non sit opus ad succurrendum fidelium necessitatibus, praxis generalis servanda in singulis casibus assignari non potest. Quapropter in casibus ut supra particularibus, deficiente Presbyterorum copia, aliisque omnibus circumstantiis mature perpensis, prudenti iudicio Superioris definiendum, utrum eo in casu concurrant gravia rerum adiuncta, quae tradunt Doctores necessitatis casum efficere (uti propositus videtur), in quo dispensationi a praecepto universali de non iterando Sacrificio ab eodem Presbytero eademque die locus fiat, et binandi facultati tribuendae qua parce omnino illum uti debere ex Apostolici ipsius Indulti verbis apprime perspicitur.» ***Atque haec Instructio iisdem verbis data fuit Episcopo Trevirensi anno*** 1853, ***cuius nomine varia dubia de Missae iteratione proposita fuerant; rescriptum enim ei fuit die*** 28 ***Septembris, quod eius quaesitis consideratis,*** «censuit S. Congregatio dandam esse instructionem, quam... Vicarius Apostoli» cus Limburgensis obtinuit sub die 31 Iulii anno 1851.»

16, ***Ceterum inter varia responsa, quae iudicio Superioris re****

sulla gravità delle cause al Superiore, alcune meritano peculiar menzione, come quelle che senza dilungarsi dalla regola ordinaria di chiamar il Superiore stesso a giudicar delle cause, indicano insieme in qualche guisa la qualità, o il grado della necessità richiesta per la binazione, e talora temperano alquanto T impressione, e calmano la soverchia anzietà che avean prodotto ne'Vescovi e Missionarii le clausole, ond'è vincolata nelle Formole questa facoltà. Una di tali risposte fu data nel 1848 ad un Vescovo degli Stati Uniti d'America: « ***Venio ad postulatum tuum*** (così in una lettera dei 9 Maggio) ***circa modum interpretandi necessitatem, quae requiritur ad licitum usum facultatis bis in die Missam celebrandi... Noverit ergo Amplitudo Tua necessitatem huiusmodi, de qua sermo est, veram quidem, sed moralem intelligi; non autem absolutam, de qua proinde diiudicare in singulis casibus pendet a prudenti iudicio, inspectis circumstantiis. Caveas ergo oportet hac in re ab anxietate nimia in diiudicando, ne frustra concessa aut pene in nullo casu ad actum reducenda facultas praedicta videatur.*** » Più notevole è la dichiarazione, che si porse

mittunt causarum gravitatem nonnullae peculiarem mentionem merentur; eiusmodi sunt illae quae, dum sequuntur consuetam regulam remittendi Superioris iudicio causarum aestimationem, indicant simul aliquo modo genus seu necessitatis gradum quem iteratio Missae postulat, atque identidem aliquatenus tempérant impressionem atque leniunt nimiam animi anxietatem quam Episcopis et Missionariis illae clausulae creaverant quibus haec facultas coercetur. Unum ex eiusmodi responsis datum est anno 1848 ***ad Episcopum in Statibus Americae foedere iunctis; datis enim litteris die*** 9 ***Maii sic est rescriptum :*** « Venio ad postulatum tuum circa modum interpretandi necessitatem, quae requiritur ad licitum usum facultatis bis in die Missam celebrandi.... Noverit ergo Amplitudo Tua necessitatem huiusmodi, de qua sermo est, veram quidem, sed moralem intelligi; non autem absolutam, de qua proinde diiudicare in singulis casibus pendet a prudenti iudicio, inspectis circumstantiis. Caveas ergo oportet hac in re ab anxietate nimia in diiudicando, ne frustra concessa aut pene in nullo casu ad actum reducenda facultas praedicta videatur. » ***Notatu di-***

nel 1828 ad un Prefetto Apostolico nelle Antille di America. Diffidando quel Prefetto di poter far uso tranquillamente delia facoltà in discorso per le gravi condizioni, che la circondano, avea implorato « ampliorem facultatem a Sede ¿\postolica copiam » faciendi Presbyteris... ut diebus dominicis el festis de praece- » pto Missam bis celebrare possint, cum id postulet necessitas » aut spiritualis fidelium utilitas. » Fattane relazione al Papa nell'udienza dei 13 Aprile gli si rispose nel modo seguente: ***« Talis existimatio est virtutis et prudentiae tuae, ut SSmus D. N. iusserit, omnem deponere te debere anxietatem animi, et si existimaveris necessarium esse, vel fidelibus vehementer utile, ut Sacerdotes bis Missam eodem festo die celebrent, verborum quibus rescriptum contineri videtur, rigore commoveri te non debere. Prudentiae itaque et conscientiae D. T. committit de necessitate ista, et causarum gravitate iudicare atque in iis rerum adiunctis facultatem per memoratum rescriptum copiam faciendi Sacerdotibus, ut Missam bis celebrent, te habere Sanctitas Sua benigne declaravit. »***

gnior est declaratio quae facta est anno 1828 ***ad quendam Praefectum Apostolicum in Antillis Americae. Cum enim ille haud fiderei tranquille uti facultate de qua agitur ob graves conditiones quibus constringitur, imploravit*** « ampliorem facultatem a Sede Apostolica copiam faciendi Presbyteris——ut diebus dominicis et festis de praecepto Missam bis celebrare possint, cum id postulet necessitas aut spiritualis fidelium utilitas. » ***Facta huius rei relatione R. Pontifici die*** 13 ***Aprilis, responsum est eo modo qui sequitur:*** « Talis existimatio est virtutis et prudentiae tuae, ut SSmus D. N. iusserit, omnem deponere te debere anxietatem animi, et si existimaverit necessarium esse, vel fidelibus vehementer utile, ut Sacerdotes bis Missam eodem festo die celebrent, verborum quibus rescriptum contineri videtur, rigore commoveri te non debere. Prudentiae itaque et conscientiae D. T. committit de necessitate ista, et causarum gravitate iudicare atque in iis rerum adiunctis facultatem per memoratum Rescriptum copiam faciendi Sacerdotibus, ut Missam bis celebrent, te habere Sanctitas Sua benigne declaravit. »

» 17. La medesima regola di commettere all'arbitrio o alla carità de'superiori delle Missioni l'applicazione de'principii generali ai casi pratici, si è osservata anche quando in essi,-come eransi esposti, non si scorgesse quella grave urgenza di cause, considerandole almeno in sè stesse e in astratto, quale esigono le clausole di questa facoltà; il che appunto conferma doversi dare gran parte nel calcolo delle ragioni, che ne giustificano l'uso, alle condizioni tutte e allo stato de'fedeli. Di ciò fa testimonianza la risposta data da questa S. Congregazione nel 1688 al Vice-Prefetto della Missione di Tripoli. 11 quale incerto per le più volte accennate clausole avea richiesto, « a quanto nu-
li mero di schiavi o liberi possa celebrare precisamente la se-
to conda Messa, dandosi talvolta il caso, che nel bagno fuori di
» Tripoli non si ritrovino presenti al sacrificio dieci o quindici
» persone schiave... e se in mancanza di Sacerdoti per questi
» soli possa celebrare la seconda volta le feste? » Ora malgrado la sfavorevole decisione emanata in quell'anno stesso dal S. Offizio per un caso simile come si è detto al ***§.*** 13, il S. Con-

17. ***Eadem regula committendi arbitrio aut charitati Superioris Missionum applicationem generalium principiorum practicis casibus servata quoque est, quando in ipsis, prout exponebantur, non appareret ea causarum vis et gravitas (saltem si hae causae considerarentur in se et in abstracto) quam huius facultatis clausulae exigant; quod quidem confirmat, in causis considerandis, quae usum facultatis suadeant, magnam rationem habendam esse omnium conditionum statusque fidelium. Huius rei argumento est responsio a S.C. data anno*** 1688 ***Vice-Praefecto Missionis Tripolitanae. Hic ob clausulas incertus quaesierat: « cuinam numero servorum aut liberorum***
» posset praecise celebrare Missam secundam, quum interdum da-
» relur casus, ut in balneo extra Tripolim praesentes Sacrificio non
» adessent plures quam decem aut duodecim servi... et an in Pre-
» sbylerorum carentia pro illis solis posset celebrari secunda Missa
» diebus festis? » At quin obstaret Resolutio eodem anno data a S. Congregatione Inquisitionis, ut notatum est superius §. 13, S. ***Congregatio Fidei Propagandae praeposita die*** 5 ***Octobris respondit:*** « Relinquatur charitati et conscientiae P. V. Praefecti. » ***Neque mi-***

sesso di Propaganda dei 5 Ottobre ordinò: ***Relinquatur charhati et conscientiae P. V. Praefecti.*** Nè è a meravigliare, se la Propaganda credè potersi far luogo a più benigna interpretazione, trattandosi di schiavi, i quali per la loro condizione meritavano una particolare indulgenza, essendo forse T unico loro conforto l'assistere al S. Sagrificio. Un'altra prova di propensione ad una più mite interpretazione o connivenza in vista delle circostanze ne somministrò la Suprema nel 1860; imperocché sebbene ai 20 Giugno rispondesse al Vicario Apostolico d'un regno aggiacenle alla Cina, « desiderium Neophytorum bis aut ter in anno SSmam » Eucharistiam sumere volentium ***per se*** non esse urgentissimam » causam, in casu de quo agitur » cioè per iterar la Messa secondo la facoltà, tuttavia soggiungeva: « sed pensatis omnibus loft corum et personarum circumstantiis relinquendum arbitrio » R. P. D. Vicarii Apostolici. » Donde risulta che quelle cause, le quali di per sè stesse e Quindi per molti luoghi non sono gravi, Io possono addivenire in alcuni altri per le circostanze, che vi si associno.

» 18. Sono queste le massime, che si sono avute in mira riguardo alla facoltà di binare, e che verrano certamente a tran-

rum esse debet si haec S. Congregatio benigniori interpretationi indulsit; agebatur enim de servis, qui ob hanc suam conditionem peculiarem indulgentiam merebuntur, quum unicum fortasse solatium eis esset S. Sacrificium. Aliud eiusmodi argumentum, ratione circumstantiarum habita, anno 1860 ***suppeditavit S. Inquisitio; namque licet die*** 20 ***Iunii responderet Vicario Apostolico cuiusdam Regni Sinis adiacentis*** « desiderium Neophytorum bis aut ter in anno SSmam Eucharistiam sumere volentium ***per se*** non esse urgentissimam causam, in casu de quo agitur » ***idest iterandi Missam iuxta facultatem, attamen subiunxit:*** « sed pensatis omnibus locorum et personarum circumstantiis relinquendum arbitrio R. P. D. Vicarii Apostolici. » ***Ex quibus eruitur, eas causas, quae per se atque proinde multis in locis graves non sint, graves*** *evadere posse in aliis locis ob circumstantias quae casum concomitentur.*

18. *Haec sunt principia, quae prae oculis sunt habita quoad*

quiillizzare gli Ordinarii delle Missioni nell'esercizio della medesima. Se è vero che suol deferirsi in ciò al savio discernimento degli Ordinarii delle Missioni, si rende chiaro però dalle cose discorse, quanto mai debbano essi cautelarsi rimanendo sempre gravata la loro coscienza sul legittimo esercizio di siffatta straordinaria facoltà. Nondimeno le clausole usate nelle formóle « non debbonsi interpretare (giova conchiudere con quest' avvertenza data dalla S. C. nel 1832 al Vescovo di Nicopoli in Bulgaria) nell'estremo rigore, avendo sempre in vista che la *Sede Apostolica concede la detta facoltà a spirituale vantaggio dei fedeli, bramando che tutti abbiano il comodo di adempiere il precetto ecclesiastico. »*

» 19. Resta ora a dire del r?to, ossia del modo da tenersi nel binare la Messa. Su di che non è necessario osservare, essersi sempre prescritto ai Missionarii dalla S. Congregazione e dallo stesso Bened. XIV, che chi bina, non dee prendere le solite abluzioni del calice a cagion del digiuno, cosicché « si in prì-
» ma Missa, post receptionem Corporis et Sanguinis, provisionem
» acceperit, non debet secundam Missam in praedictis casibus

facultatem Missam iterandi, quaeque profecto in eiusdem facultatis exercitio Missionum Ordinarios tranquillabunt. Quamvis autem prudenti Ordinariorum Missionum arbitrio deferri soleat, attamen ex hactenus dictis apparet, quanta cautela ipsi uti debeant; quum semper eorum conscientia onerata maneat in exercitio huiusmodi extraordinariae facultatis. Nihilominus repetere hic iuvabit, quod S. Congregatio anno 1832 *ad Episcopum Nicopolitanum in Bulgaria rescripsit, clausulas in Formulis adhibitas* « intelligendas haud esse in extremo rigore, habito prae oculis principio, Sedem Apostolicam dictam facultatem concedere in bonum spirituale fidelium , cupientem, ut omnes praeceptum ecclesiasticum adimplere facile possint. »

19. *Superest nunc de ritu dicere seu de modo quo iterari Missa possit. Semper a S. Congregatione Missionariis fuit praescriptum atque a Benedicto XIV, eum qui Missam iterat, consuetas Calicis ablutiones sumere non debere ob ieiunium, ita ut « si
» in prima Missa post receptionem Corporis et Sanguinis, profu»*

» celebrare (1) » anche cioè in que' casi, in cui la popolazione altrimenti rimarrebbe priva della Messa in giorno festivo. Sebbene poi con decreto della S. Congregazione de'Riti ***in Elusitana àie*** 16 Septembris 1815 erasi prescritto, che uno solo fosse il calice da adoperarsi da chi celebra due Messe, siccome P osservanza di un tale decreto involveva non lievi difficoltà, quando si dovesse celebrare in due Chiese remote l'una dall'altra; la encomiata S. Congregazione nei generali comizi dei 12 Settembre 1857 moderando il precedente decreto decise ***usum duorum calicum in casu posse permitti*** (2). La qui unita istruzione, che fu compilata per ordine della medesima S. C, riguarda il modo di purificare il calice servito per la prima messa. »

Dalla Propaganda li 24 Maggio 1870.

» sionem acceperit, non debeat secundam Missam in praedictis caii sibus celebrare » (1): ***id est etiam in iis casibus, in quibus populus Sacrificio privaretur diebus festis. Quamvis autem in Decreto Sacrae Congregationis SS. Rituum in*** Elusitana ***die*** 16 ***Septembris*** 1815 ***praescriptum esset, ut unus tantum esset calix quo uti debeat, qui duas celebret Missas; quum tamen eiusmodi Decreti executio haud levibus difficultatibus esset obnoxia, quando celebrari deberet in duabus ecclesiis ab invicem remotis, eadem S. Congregatio in comitiis habitis die*** 12 ***Septembris*** 1857 ***pro moderamine dicti Decreti rescripsit:*** usum duorum calicum in casu posse permitti (2). ***Instructio quae heic adiicitur, iussu eiusdem S. Congregationis SS. Rituum concinnata, modum respicit purificandi calicem qui pro prima Missa inservient.***

Ex Secretaria S. ***Congregationis fidei propagandae praepositae die*** 24 ***Maii*** 1870.

Ex QUIBUS COLLIGES:

L Pluribus abhinc saeculis paullatim invalescente ecclesiastica disciplina, quae nunc viget, de Missa non iteranda ab eo-

(1) **Conc. di Nimes tenuto nel** 1284 **presso Bened. XIV De Sacr. Missae Sacrif. L. HI cap. V n. 4.**

(2) **Hoc Decretum expositum habes in vol. HI p. 603 et seqq. harum ephemeridi»!».**

dem Sacerdote uno eodemque die, non posse Missam iterari, nisi causis canonicis existentibus, quae eiusmodi iterationem legitimam reddant.

II. Eiusmodi causas canonicas hoc generali principio contineri: Missam iterari posse ac debere, si alia ratione consuli non possit populo ius et officium habenti audiendi Missam diebus festis.

III. Iudicium de harum causarum existentia non ad Parochos vel Presbyteros pertinere, sed ad Episcopum seu Ordinarium, a quo venia iterandi Missam obtinenda est ne abusus oriatur.

IV. Haec quae ex communi iure derivant communia quoque esse Ordinariis Missionum independenter a facultate, quam habent per S. Congregationem fidei propagandae praepositam.

V. Quare, quum Ordinarii Missionum habeant facultatem a S. Sede delegatam iterandi vel iterari faciendi Missam suis Missionariis, per eiusmodi facultatem intelligi non posse coercitum id quod ipsis iure communi iam sit concessum: sed per eam, id quod iure communi sit omnibus Ordinariis concessum, ad alios quoque casus protendi (1).

VI. Unde gravissimas clausulas facultati adiectas non alia de causa intelligendas esse appositas, quam ut evitarentur facultatis abusus.

(1) Inter casus, qui in praeposita Instructione memorantur,'ad quos facultas sese extendit, videtur quoque recensendus casus qui propositus fuit per *Summaria precum* S. Congregationi Concilii die 17 Septembris 1859, qui est huiusmodi. Plures dies festi in Gallus anno 1802 per Card.Caprara fuerunt suppressi, ita ut fideles bis diebus non teneantur audire Missam. Inter eiusmodi festos dies suppressus recensetur festum Circumcisionis Domini, quod congruit cum civili festo. Episcopus Argentinensis videns eiusmodi civile festum aequiparari ecclesiae festo, ita ut grave scandalum oriretur si populus ea die Missam audire non posset, S. Congregationi hoc dubium proposuit: « Utrum Rectores ani» marum et celeri Sacerdotes, quibus » Episcopus Argentinensis concessit fa» cultatem diebus dominicis et festivis de » praecepto duas Missas celebrandi in » dissitas locis, hac facultate *(ordinaria)* » uti possent in festo Circumcisionis? Et » quatenus negativum edatur respon» sum , supplicat ex gratia speciali, ut » praedicto festo hoc idem facere pos» sint quod diebus dominicis et festis » de praecepto faciunt. » S. Congregatio', precibus discussis, respondit: *Pro gratia ad quinquennium, facto verbo cum SSmo.* Sane quamvis causa sufficiens non sit ad Missam iterandam sola ratio festi suppressi, ut in Instructione animadvertitur, potest tamen esse causa, si populus festum, licet ex Decreto suppressum , consideraret tamquam Ecclesiae festum , ita ut scandalum grave oriretur si ea die se Missa destitutum videret. Esset enim festum iure suppressum, facto autem quodammodo non suppressum.

VII. Abusus autem deesse, quoties ille qui facultatem habet, arbitrio boni viri, rebus pensatis, iudicet Missam iterari necessarium esse seu valde utile.

VIII. Eiusmodi necessitatem moralem ex variis titulis orir- posse, idest ex iustitia (saltem in locis in quibus paroeciae canonice sunt erectae), ne populus Missa diebus festis defraudetur; ex caritate, ne populus cogatur summis incommodis ad audiendam Missam; ne praecipuo solatio privetur ad christianam pietatem fovendam; ne scandalum oriatur et similia.

IX. Ea necessitas, quae ex iustitia oriatur, adeo vincere videtur prohibitionem iterandi Missam, ut non tantum bis dici Missa possit ac debeat eodem die, sed etiam ter vel quater (1), si alia ratione consuli non possit populi necessitati.

X. Prohibitam nihilominus esse Missae iterationem si Praesbyter ieiunus esse cessaverit.

(1) VI facultatis, de qua Instructio agit, existente morali necessitate, dici ab uno Sacerdote eodem die non possunt Missae numero plures quam duae: facultas enim refertur ad casus praeter ordinarios. Ordinarii autem casus, in quibus opus non est facultate Apostolica , duo solent esse, 1° quando unus Presbyter praesideat pluribus populis, quo in casu toties repeti Missa debet quot sunt populi: unde si sint tres vel quatuor, ter vel quater idem Presbyter iterare Missam debet: **2°** Idem dicendum, si templum adeo sit angustum, ut omnem populum nonnisi repetita vice continere possit. De qua re praeclarissima est epistola S. Leonis Magni ad Dioscorum Episcopum Alexandrinum de disciplinae conformitate servanda inter Romanam et Alexandrinam Ecclesiam; in ea epistola haec inter cetera Pontifex praecepit: « *Ut autem in omnibus observantia nostra concordet, illud quoque volumus custodiri, ut cum solemnior quaeque festivitas conventum populi numerosioris indixerit et ea fidelium multitudo convenerit, quam recipere Basilica simul una non possit, Sacrificii oblatio indubitanter iteretur, ne his tantum admissis ad hanc devotionem, qui primi advenerint, videantur hi, qui postmodum confluxerat, non recepti: cum plenum pietatis ac rationis sit, ut quoties Basilicam, in qua agitur, praesentia novae plebis impleverit, toties Sacrificium subsequens offeratur. Necesse est autem ut quaedam pars populi sua devotione privetur si unius tantum Missae more servato, Sacrificium offerre non possint, nisi qui prima diei parte convenerint. Studiose ergo Dilectionem tuam et familiariter admonemus, ut quod nostrae consuetudini ex forma paternae traditionis insedit, tua quoque cura non negligat* etc. »

In hac epistola S. Leo est tantum sollicitus de Missae iteratione in expositis rerum adiunctis, nulla facta distinctione, sive per unum sive per plures Presbyteros successive facienda sit; atque ea praesertim de causa, quod *plenum sit pietatis et rationis.* Quibus verbis titulus iustitiae indicatur. Sed de his rebus copiosius loquar in sequenti Volumine VII.

XI. Neque posse recipi eleemosynam pro Missis iteratis, nisi id auctoritate apostolica sit indultum.

XII. Eiusmodi indultum ob peculiares necessitates in locis tantum Missionum concedi solere (1).

INSTRUCTIO DE CALICIS PURIFICATIONE

Data a S. R. C. die il *Martii* 1858 *pro iis, qui in dissitis locis Missam iterare debent* (2),

« QUANDO Sacerdos eadem die duas Missas possitis in locis celebrare debet, in prima dum divinum Sanguinem sumit, eum diligentissime sorbeat. Exinde super corporale ponat Calicem et palla tegat, ac iunctis manibus in medio Altari dicat : ***Quod ore sumpsimus etc.*** et subinde admoto aquae vasculo digitos lavet dicens: ***Corpus tuum*** et abstergat. Hisce peractis Calicem super Corporale manentem adhuc, deducta palla cooperiat ceu mos est, scilicet primum purificatorio linteo, deinde patena ac palla, et demum velo. Post haec Missam prosequatur, et completo ultimo Evangelio, rursus stet in medio Altaris, et detecto Cálice, inspiciat an aliquid divini Sanguinis nec ne ad imum se receperit, quod plerumque contingit. Quamvis enim sacrae species primum sedulo sorptae sint, tamen dum sumuntur, cum particulae, quae circum sunt, undequaque sursum deserantur,* hon nisi deposito Calice ad imum redeunt. Si itaque divini Sanguinis gutta quaedam supersit adhuc, ea rursus ac diligenter sorbeatur, et quidem ex eadem parte qua ille primum sumptum est. Quod nullimode omittendum est, quia Sacrificium moraliter durat, et superextantibus adhuc vini speciebus ex divino praecepto compleri debet.

» Postmodum Sacerdos in ipsum Calicem tantum saltem aquae fundat, quantum prius vini posuerat, eamque circumactam ex eadem parte, qua S. Sanguinem biberat in paratum vas demittat. Calicem subinde ipsum Purificatorio linteo abstergat, ac demum cooperiat, uti alias fit atque ab altari discedat. Depositis vestibus sacris, et gratiarum actione completa, aqua e Calice

(1) Confer causam *Circa applicationem secundae Missae,* quam retuli *p. 526.*

(2) Hanc instructionem habes in *vol. III pag.* 604 harum ephemeridum.

demissa pro rerum adiunctis vel ad diem crastinum servetur (si nempe eo rursus Sacerdos redeat Missam habiturus) et in servanda purificatione in Calicem demittatur, vel gossipio aut stupa absorpta comburatur, vel in Sacrario, si sit exsiccanda, relinquatur, vel demittatur in piscinam.

» Cum autem Calix, quo Sacerdos primum est usus, purificatus iam sit, si illo ipso pro Missa altera indigeat, eum secum deferat: secus vero in altera Missa diverso Calice uti poterit. »

Cum superior S. R. C. Instructio nonnisi casum respiciat, quo Sacerdos duas Missas dissitis in locis eadem die sit celebraturus; operae pretium visum est ex Commentariis Bartholomaei Cavanti et Caietani Mariae Merati hic ritum adiungere a Sacerdote servandum cum utramque Missam in eadem Ecclesia offerre debet.

« Hoc itaque in casu Sacerdos post haustum in prima Missa diligenter Sanguinem Domini, omissa consueta purificatione, patena calicem et palla patenam tegens ac super corporale relinquens, dicet iunctis manibus: ***Quod ore sumpsimus Domine etc.*** Deinde digitos, quibus SS. Sacramentum tetigit, in aliquo vase mundo ad hoc in Altare praeparato abluet, interim dicens ***Corpus tuum Domine etc.,*** abstersisque purificatorio digitis calicem velo cooperiet; velatumque ponet super corporale extensum. Absoluta Missa si nulla in Ecclesia sit sacristia , calicem eodem modo super Altare relinquet; secus vero in Sacristiam deferet, ibique super Corporale vel pallam in aliquo loco decenti et clauso collocabit usque ad secundam Missam; in qua, cum eodem calice uti debeat, illum rursus secum deferet ad Altare, ac super corporale extensum reponet. Cum autem in secunda Missa Sacerdos ad Offertorium devenerit, ablato velo de Calice hunc parumper versus cornu Epistolae collocabit sed non extra corporale, factaque hostiae oblatione cavebit ne purificatorio extergat calicem, sed eum intra corporale relinquens leviter elevabit^ vinumque et aquam eidem caute imponet, ne guttae aliquae ad labia ipsius Calicis résiliant, quem deinde nullatenus ab intus abstersum more solito offeret. »

EX S. «REGIONE CONCILII TRIDENTINI

PARTICULARITER A SSMO D. N. DEPUTATA

IURISDICTIONIS

***Die** 12 Augusti 1871.*

Compendi um faett. SSmus D. N. anno 1867 dioecesim Archiepiscopi N in America in duas dioeceses ob eius nimiam amplitudinem divisit. Archidioecesis retinuit suum primaevum titulum N; altera autem appellata est dioecesis G.

In Bulla dismembrationis dictum non est explicite, uti assolet, de Presbyteris, qui novi Episcopi iurisdictioni subiacerent. Quare quaestio quae sequitur exorta est.

Alexius iampridem Presbyter Archidioecesis N, ac professor in Seminario eiusdem Archidioecesis, natus fuerat in ea territorii parte, quae per divisionem evasit dioecesis G. Novus Episcopus G, carentia Presbyterorum pressus, exoptabat sibi vindicare Alexium tamquam Presbyterum proprium, quum et in nova erecta dioecesi natus esset nec in alia obtineret perpetuum aliquod ecclesiasticum ministerium seu Beneficium. Archiepiscopus N non obstabat votis Episcopi G; immo pluries Alexium hortatus est, ut Episcopo G morem gereret.

Verum Alexius id non esse in iure novi Episcopi contendit; propterea quod ipse eo animo ss. ordinibus esset initiatus, ut Archiepiscopo N subditus maneret; atque ibi domicilium elegerat et acquisiverat ubi in praesentia Professoris munere fungebatur. Adiungebat tamen se in vota Episcopi G concessurum, si declaratio alicuius Romanae Congregationis supervenisset.

Novus Episcopus G considerans officium Alexii ecclesiae suae maxime profuturum, atque alios indígenas Clericos in Seminariis Archidioecesis N studiorum causa interea degentes suam iurisdictionem pari modo fortasse esse postea evasuros, haec quae sequuntur dubia dirimenda proposuit.

I°. In quas personas iurisdictio Episcopi novae dioecesis, divisionis tempore, porrigatur.

2°. An Episcopus novae dioecesis ius habeat ad eam revocandi illos omnes Ecclesiasticos, qui intra eiusdem fines nati, tempore divisionis exercebant quidem aliquod officium in ea parte quae veteri dioecesi attributa est, nullo tamen ibidem Beneficio vel ministerio in cura animarum ponebantur.

Eiusmodi causa S. Congregationi Concilii iudicanda remissa est.

Disceptatio synoptica.

VOTUM CANONISTAE. Antequam causa disceptanda S. Congregationi proponeretur quaesitum est Canonistae votum, quod breviter sic complectar.

Formula, qua **S.** Congregatio Consistorialis uti solet, quando agitur de dioecesibus dividendis, plerumque est huiusmodi: «Con-
» stituatur et adiudicetur eidem novo Episcopatui N universum
» territorium, quo nunc constat praesignatus districtus N; pro-
» indeque praelaudata civitas N caeteraeque cunctae vel civita-
» tes vel oppida vel paroeciae, quae intra territoriales eiusdem
» districtus N terminos nunc comperiuntur, insimulque omnes eis
» in locis extantes ecclesiae sive parochiales succursales, sive
» simplices, oratoria, coenobia, monasteria, pia instituta et tam
» saecularia quam regularía, quae extant, Beneficia, itemque
» utriusque sexus personae sive saeculares sive regulares (non
» tamen exempti), tam Clerici quam Presbyteri, omnes demum
» incolae cuiuscumque status, gradus et conditionis simili modo
» subiiciantur ordinariae iurisdictioni, regimini, potestati ac su-
» perioritati Episcopi N pro tempore existentis eique respective
» pro civitate, dioecesi, clero et populo assignentur atque ad-
» tribuantur. »

Ex quibus verbis apparet novi Episcopi iurisdictionem extendi I° super universum districtum seu territorium, quo nova dioecesis finita est: 2° super omnes personas eiusdem territorii incolas; ac proinde dici potest, personas in totum novo Episcopo subiici, in quantum territorium incolunt: « iurisdictio enim inest toti territorio, sicut nebula in tota palude » ceu ait Barbosa in cap. ***Cum olim*** 19 ***de Censibus ver. In tua sunt.***

Verum quando dicimus, omnes territorii incolas novo Epi-

scopo subiici, intelligi volumus eos, non qui ***materialiter,*** sed qui ***iuridice*** territorium incolunt. Ii vero locum aliquem ***iuridice*** incolere dicuntur, qui ibi domicilium fixerint; qui enim aut negotii aut officii causa in aliquo loco reperiuntur, ii iuridice, non incolae, sed peregrini et advenae nuncupantur. ***Non enim ambigilur*** (ita in 1. 7 C. de incolis) ***singulos habere domicilium ubi quis larem rerumque ac fortunarum suarum summam constituit, unde rursus non sit discessurus, si nihil avocet: unde cum profectus est, peregrinari videtur: quod si rediit peregrinari iam destitit.***

Ex his itaque concludere in genere possumus, eos omnes, qui territorium novae dioecesis, divisionis et erectionis tempore ita incolebant, ut in eo domicilium iuxta iuris requisita contraxerint, novi Episcopi iurisdictioni obnoxios esse. Haec quidem ad primam genericam quaestionem scripsit Canonista.

Quoad alteram quaestionem, idest, quinam Ecclesiastici viri in specie novae dioecesis iurisdictioni subiacerent, idem Canonista statuebat tamquam principium : quibus quisque titulis obnoxius Episcopo fit ratione s. ordinationis, iisdem obnoxius fit ratione iurisdictionis.

Hodie autem, subiungebat, quatuor esse s. ordinationis titulos, idest, originem, domicilium, Beneficium et triennalem familiaritatem; Innocentius XII, ***Speculatores,*** die 4 Novembris 1694. Iurisdictionem autem semel acquisitam perpetuo perdurare nisi supervenerit factum aliquod iuridicum, quod personam ecclesiasticam ab hac iurisdictione solverit; quod factum esse solet Beneficii vel domicilii acquisitio in aliena dioecesi de consensu proprii Episcopi facta.

Quare in genere Canonista opinabatur responderi posse ad secundam propositam quaestionem: eos omnes ecclesiasticos viros divisionis tempore novae dioecesi subiectos esse, qui vel originem ex ea ducerent, vel Beneficio in ea potirentur, vel domicilium in ea iure contraxisse!)t: eos autem, qui ex illa oriundi quidem essent, sed alibi de licentia Episcopi domicilium fixissent, vel Beneficium ***residentiale*** adepti fuissent, non subiici iurisdictioni novi Episcopatus. Dixit autem ***residentiale,*** quia Beneficium simplex, licet possit esse titulus, quo aliquis alicui Episcopo obnoxius fiat ratione s. ordinationis, attamen post ordinationem et post acquisitam iurisdictionem non eximit Clericum a subiectione

proprii Episcopi originis. O/nittebat praeterea titulum familiaritatis qui locum habere non poterat in themate.

Sed, quum soleat esse praxis SS. Congregationum respondendi non per generalia principia, sed tantum applicandi generalia principia ad facta seu casus particulares, totam quaestionem Canonista coercebat ad casum Presbyteri Alexii, videlicet, an Alexius in adiunctis in quibus reperiebatur, teneretur parere Episcopo G eum revocanti in novam dioecesim.

Existimabat autem non posse Alexium declinare iussum novi Episcopi.

Id ostendebat ex modo expositis principiis: idest Alexium ss. ordinibus ideo fuisse ab Archiepiscopo N initiatum, quia ad eam partem archidioeceseos pertinebat, quae per divisionem avulsa est: novo autem superveniente Episcopo in eam partem sic divulsam, omnia ei subiecta esse, eodem iure quo antea Archiepiscopo N subiiciebantur: ideoque et Alexium, si factum aliquod iuridicum non obstaret, subiectum manere novo Episcopo.

Videndum ideoque supererat, an aliquod iuridicum factum a territorio novae dioecesis Alexium exemerit. Hoc iuridicum factum esse posse, prosequebatur Canonista, acquisitionem Beneficii residentialis vel domicilii : sed neutrum in facto existere. Et ad domicilium excludendum inquiebat, domicilium in aliquo loco ubi aliquis degat ratione alicuius officii, non acquiri etiamsi pluribus annis officium illud ibidem exerceatur: quod est principium universim admissum et passim indicatur in Foliis S.Congregationis, ut in *Fanen.* 20 Aprilis 1771 §. *Civitas;* in *Terracinen. Privernen. et Albanen. Ordinationis* 26 *Ianuarii* 1833 §.iVo» ea. Officium enim quod ad nutum conferentis est amovibile non importat animum perpetuo in aliquo locó commorandi.

Quum itaque ita res se haberent priusquam nova dioecesis erigeretur; erecta nova dioecesi, novoque Episcopo constituto, illico, ipso iure, in huius potestatem transiisse Alexium: nec deinde integrum Alexio fuisse in dioecesim, in qua degebat, lares transferre aut Beneficium acquirere sine venia novi Episcopi, argumento ex *cap.* 16 *Concilii Trid. sess.* 23 *de Ref.*

Post haec respondebat Canonista ad ea quae obiecerat Alexius, quod scilicet ipse in Seminario Archidioecesis N esset educatus et ab Archiepiscopo N ad ss. ordines assumptus, et ea mente,

ut eidem Archiepiscopo perpetuo subiaceret, cui obedientiam promiserat.

Et ad primum respondit, moram in Seminario nihil proficere ad domicilium acquirendum; atque ita, ut qui in alieno seminario degant studiorum causa non possint sine uteris dimissoriis proprii Episcopi originis seu domicilii ordinari, ut iudicatum est in ***Spolelana et Reatina Ordinationis*** 11 Iunii 1840, quod consonat cum citata Constitutione ***Speculatores.*** Per huiusmodi ergo moram in alieno seminario, etiamsi gratuitum locum obtineant, alumnos non evadere subditos alieni Episcopi, in cuius seminario educentur.

Ad secundum respondit, Alexium per s. ordinationem fuisse quidem devinctum non personae sed Archiepiscopo, et Archiepiscopo quidem quatenus iurisdictionem exercebat in ea territorii parte ex qua Alexius erat oriundus et non ex alio titulo quam Driginis et domicilii: ob quem titulum nunc eum subesse debere Episcopo G.

Ad tertium respondit, non sufficere mentem ad contrahendum aliquo in loco domicilium atque ad subditum alicuius evadendum. Si mente enim tantum haec consequi possemus, nemo cuiquam domino, qui optimus non esset, subditum se esse vellet.

Ad quartum respondit, obedientiam promissam Archiepiscopo in actu s. ordinationis erga eos omnes Antistites protendi, quibus legitimo iure parere ubilibet debeat Sacerdos: quod et notatum fuit in quodam Folio causae ***Reatinae, Residentiae,*** 26 Iapuarii 1833, §. ***Quod vero,*** his verbis: « Quod vero Britius non » Reatino Episcopo, sed Emo Card. Urbis Vicario dumtaxat obe- » dientiam se spopondisse animadvertit, notat Episcopus (Reati- » nus), ***promissionem illam erga eos omnes Antistites protendit » quibus legitimo iure parere ubilibet is debeat Sacerdos:*** neque » pro nuda inanique formula habendam esse monet Benedictus XIV » solemnem illam obedientiae et reverentiae sponsionem, quam » Presbyter facit in manibus Episcopi ordinantis iuxta vetustis- » simum Ecclesiae morem (Catalanus ad Pont. Rom. t. 1). Quin » imo addit, Presbyterum huiusmodi promissionis vigore ea lege • inter alios adstrictum teneri, ut a servitio Ecclesiae, cui in » ordinatione addictus fuerit, discedere nequeat sine licentia Epi- » scopi; Haller ***de Sacris eieci, et ord. p. Í. §.*** 14. »

Quum itaque obedientia promissa Archiepiscopo N, eiusque successoribus ad eos omnes Antistites se porrigat, quibus Ordinatus legitimo titulo est subiectus, Alexium obedientiam hodie debere Episcopo G cui et ratione originis subest, quique Episcopus G successit in ius, quod antea Archiepiscopus N obtinebat.

Sed quamvis Alexius per dioecesis divisionem non amplius haberet Archiepiscopum N tamquam Ordinarium proprium, et e converso subesset Episcopo N ut proprio Ordinario, inquirendum supererat, utrum Alexius, in adiunctis in quibus versabatur, absolute obedire teneretur Episcopo G, éum revocanti in novam dioecesim, sub nulla conditione.

Hanc quaestionem secundariam ita pertractabat Canonista, cuius verba refero et sunt quae sequuntur.

Quamvis nonnulli Auctores asserant, clericos qui non habent Beneficium in titulum, praecisam et personalem residentiam requirens, discedere posse, et ire quo velint, neque ab Episcopis dimissorias eisdem posse denegari, atque in hanc sententiam nonnullas veteres S. C. C. Resolutiones afferant; Fagnanus tamen ***cavendum*** monet ***ab id genus collectoribus,*** ipsorumque sententiam citato Conc. Trid. decreto prorsus adversari affirmat in ***cap. Admonet num.*** 15 ***de Renunciat.*** Antonellus ***de Iure et oneribus Clerk, lib.*** 2 ***part.*** 6 ***cap.*** 8, et in folio causae ***Healinae Residentiae*** 26 ***Ianuarii*** 1833 §. ***Imo.***

Antiquiores porro huius S. Congregationis Resolutiones, quibus edicitur, ***clerictim qui certo loco non est adscriptus ab Episcopo suo invitum non posse retineri, ne a sua dioecesi recedat, et alibi parochialem accipiat, ut in Ariminen.*** 5 ***Decembris*** 1574, eo sensu videntur accipiendae, quod Episcopus non possit Clericos invitos retinere sine iusta causa, et nisi eisdem de congrua sustentatione provideat. Nicol. ***Lucubrat. Can. lib.*** 1 ***art.*** 22 ***n.*** 3, Card. De Luca ***disc.*** 2 ***Adnot. ad Conc. Trid. num.*** 4, et in folio causae in ***Nucerina Residen, et suspens.*** 5 Septembris 1818, §. ***Ulterius,*** quae conditio in posterioribus resolutionibus semper invenitur apposita, ut videre est in ***Amerina*** 8 Maii 1756, ***in cit. Nucerina, in Reatina*** 26 Ianuarii 1833 et alibi.

Omnis igitur Alexio effugium praeclusum videtur ut se ab iurisdictione Episcopi G eximat, eiusque, ad propriam dioecesim illum revocantis, iussa declinet. Hic tamen pro corónide duas

addam facti species apud S. Congregationem disputatas, quae nonnihil lucis praesenti controversiae dirimendae affundere possunt.

Prima sit causa ***Reatina Residentiae,*** quae die 26 Ianuarii 1833 dirempta fuit. Agebatur in ea de Gaspare Britio, e dioecesi Reatina oriundo, ab eius Episcopo ad primam Tonsuram initiato, tum inter alumnos S. Vincentii a Paulo Romae cooptato, atque ab Eminentissimo Urbis Vicario ad minores et sacros Ordines promoto, adsignato eidem a parente patrimonio in agro Reatino. Post aliquot annos sacram illam familiam deseruit, et in patriam reversus, munus docendi pueros suscepit. Quinto post anno, ad parochiale Beneficium Archipresbyteratus in oppido Montis Boni Sabinensis dioecesis, facto feliciter periculo, ab Eminentissimo Sabinensi Episcopo assumptus est, atque in possessionem, expeditis Apostolicis Uteris, immissus, et Vicarii etiam Foranei munere deinde cumulatus. Verum renuente Episcopo Reatino facultatem discedendi eidem concedere, imo eumdem revocante, Sacra Congregatio eum, ut rediret, cogí posse respondit, ***dummodo de congrua eidem ab Episcopo provideretur;*** idque quamvis allegaret, se fuisse ab Eminentissimo Urbis Vicario ad Sacros Ordines promotum, et per literas Apostolicas paroeciae possessionem nactum, nulloque in dioecesi Reatina Beneficio auctum, nec ulli Ecclesiae adscriptum, obedientiam vero a se Eminentissimo Urbis Vicario promissam. Eminentissimi enim Patres qualitatem originis in Britio considerantes, qua subditus efficiebatur Episcopo Reatino, huius autem iurisdictionem per ingressum, Britii in religionem suspensam quidem, sed eo regrediente reviviscentem, eumdem Bri ti um redire ad dioecesim Rea **I** i n a m coegerunt.

Altera habetur in ***Nucerina Residentiae et Suspensionis*** 29 Septembris 1818. In ea agebatur de Gervasio Aleandri oriundo e dioecesi Nucerina, qui in dioecesim Tudertinam sese contulerat, ibique Rhetoris et Rectoris munere in Seminario fungebatur. Hic contendebat se non potuisse a proprio Episcopo in dioecesi retineri, eo quod nulli Ecclesiae in ordinatione esset adscriptus. Nihilominus S. C. definivit sustineri suspensionem in eum latam ab Episcopo Nucerino, et praeceptum quo illum ad suam dioecesim revocabat, ***dummodo Episcopus provideat Aleandrum congrua pro dioecesi sustentatione.***

Quae cum ita sint, ad dubium: an Sacerdos Alexius N. teneatur parere Episcopo G, eum ad propriam dioecesim revocanti; respondendum censerem: Affirmative, dummodo eidem ab Episcopo de congrua sustentatione provideatur.

Sed praeter Canonistae votum nonnullae aliae animadversiones ex officio sunt adiectae. Repetito videlicet generali principio, Episcopum novae dioecesis supra omnes Christifideles tam Presbyteros quam Clericos iurisdictionem habere tempore erectionis novae dioecesis, qui vel ratione ***originis*** vel ratione ***domicilii*** inibi sunt, animadversum est in themate non posse ab hac iurisdictione sese eximere Clericos illos, qui in seminariis Archiepiscopi N studiorum causa degant.

Explorati enim iuris esse unica studiorum causa domicilium ibi acquirere haud posse, /. 2. C. ***de Incolis,*** in qua hoc ius sic declaratur: « ***Nec ipsi, qui studiorum causa aliquo loco morantur, domieilhim habere creduntur, nisi decem annis transactis eo loco sedes sibi constituerint secundum epistolam divi Hadriani.*** »

Neque ratione collationis ss. Ordinum sese posse eximere ab eadem iurisdictione: etsi enim antiquitus id iuris obtinuit, ut Clericus Episcopo a quo Ordinibus esset initiatus per omnia subesset, Thomassin. ***de vel. et nov. discipl. eccl. p.*** 2 /. 1 ***n.*** 3 ***et*** 4, lapsu tamen temporis eiusmodi disciplinam declinasse, arg. ***ex aap.*** 1, 2, 3 ***de tempor. ordin, in*** 6°.

Haec quoad Clericos novae dioecesis G, qui degebant in seminariis Archiepiscopi N.

EA QUAE SUNT ANIMADVERSA FAVORE ALEXII. Ad convalidanda vero iura Alexii est praeterea animadversum, nemini esse interdictum, ubi velit domicilium eligere /. 31 ***ff. ad Municipal,*** ibi enim legitur: « ***Nihil est impedimento quominus quis ubi velit habeat domicilium quod ei interdictum non sit.*** » Idque ne filiis quidem familias esse interdictum ex ***I. placet*** 3, ***et I.*** 4 ***ff. ad Municip. u Placet,*** inquit Ulpianus, ***etiam fdiosfamilias domicilium habere posse non utique ibi, ubi pater habuit, sed ubicumque ipse domicilium constituerit*** » idest, ut explicat ibidem Glossa: ***non*** tantum ***ubi pater habet, sed ubicumque filius constituit sibi domicilium.*** Quod et probasse videtur S. Congregatio in ***Bononien. seu Ferrarien. Ordinationis*** die 14 Novembris 1733.

Huius causae haec erat facti species. Franciscus anno 1702

natus est in oppido ***Cento*** dioecesis Bononiensis, abi pater domicilium habebat. Anno 1703 pater inde discessit cum familia et domestica supellectili, seque contulit Ferrariam ob hereditatem sibi delatam ibique existentem.

Franciscus Ferrariae penes patrem educatus literarum studio operam dedit, doctoris gradum aliaque officia publica, tamquam civis Ferrariensis a Magistratu obtinuit. Sed, quum postea Francisco obvenisset alia hereditas, rediit in oppidum ***Cento*** animo (ut iureiurando contesta ri paratus erat) perpetuo ibidem vivendi seorsum a patre, qui Ferrariae perstitit.

Cupiente tribus post annis Francisco ecclesiasticae militiae nomen dare, dubium ortum est, utrum ad Archiepiscopum Bononiensem, an vero ad Episcopum Ferrariensem spectaret clericali tonsura eum initiare.

Causa delata ad S. Congregationem Concilii, propositaque dubitandi formula : « An ad Emum Archiepiscopum Bononiae vel » potius ad Emum Episcopum Ferrariae spectet ordinatio Fraud- is sci in casu : » S. Congregatio respondit: ***spectare ad Emum Archiepiscopum Bononiae cum litteris testimonialibus Emi Episcopi Ferrariae*** (1).

(1) In folio causae, S. Congregationi proposito, haec fuerant adnotata. « Satis quidem constat Franciscum inspecta origine subditum esse Archiepiscopo Bononiae, in cuius Dioecesi ortum habuit. Sed tamen aeque certum est domicilium deinde fuisse translatum ad Civitatem Ferrariensem, et hac ratione eum evasisse subiectum Episcopo. Cum autem subiectio ab origine profecta non cesset per subiectionem ex domicilio comparatam, iuxta *Text. in* ***I.*** *Cum te, et in* ***I.*** *Si quis Cod. de municip. et orig. lib. 40, et in* ***I.*** *Privilegio Cod. de Incoi, eodem lib. 10,* sequeretur Franciscum gemmam habere subiectionem idoneam ad rite suscipiendos Ordines ab alterutro, quem maluerit, Ordinario, ut ex *cap. Cum nullus* ***de*** *temp.* ***ord.*** *in 6* notat *Fagnan. in Cap. Significavit num. 42 de Paroch.*

» Ad hunc enim casum non pertinet sanctio Bullae Innocentianae, quae incipit *Speculatores in§. At si Pater.* Ibi enim statuit Pontifex tunc habendam esse rationem domicilii potius, quam originis, ubi filius natus fuerit in eo loco, in quo Pater fortuito, et ex accidenti moram trahebat. Id quod secus est in casu, de quo agitur, nam vere patrium solum erat Oppidum Dioecesis Bononiensis, in quo ortus est Franciscus.

» Sed peculiari consideratione digna est circumstantia illa, quod Filius iam ad locum originis rediit, ibique instructis aedibus consedit, bona hereditatis sibi delatae possidens. Videndum quippe est, an praesens domicilium cum prisca origine coniunctum praeferri debeat domicilio antea quidem contracto Ferrariae, sed quod filius iam dereliquit et abdicasse videtur; adeoque perpendendum, utrum Franciscus hodie relineatsub*

Porro si cuique licet figere domicilium ubi velit, videri Alexium domicilium contraxisse in loco ubi munere professoris fungeretur longe a suis, dioecesi adhuc post divisionem subiecta Archiepiscopo N. Ex diutina enim habitatione factum et animum ibi domicilium constituendi habuisse affirmari posse, quod satis est ad contrahendum domicilium ex ***I.*** 20 ***ff. ad Municipal,*** ibi : ***« Domicilium re et facto transfertur, non nuda contestatione.*** » Eo

lectionem, quam pristinum domicilium ei tribuerat erga Episcopum Ferrariae, an vero ea sublata per domicilii mutationem, nunc ille soli Archiepiscopo Bononiae subditus sit, et ab eo solum promoveri ad Ordines legitime valeat. Qua tamen in re animadverti oportet, quid habeat momenti, Franciscum Filiumfamilias esse, patriaque potestate illigatum, ac praeterea usumfruclum hereditatis, quam in Oppido *Cento* ipse Franciscus est assecutus, ad Patrem Ferrariae commorantem ex iuris eivilis praescripto pertinere.

» Caeterum posse Filiumfamilias post pubertatem domicilium sibi constituere, et domicilii iura nancisci ubicumque voluerit, etiam seorsum a Patre, aperte habetur in *L. Placet et I. Non utique ff. ad'municipal.* Potest quis tamen plura babere domicilia, iuxta *Text. in leg. Eius qui §.* ***i*** *et in I. Labeo ff. ad Municip.* ideoque possent fortasse in Francisco duo considerari domicilia, aliud scilicet proprium , paternum alterum , quippe quod Filio communicatur per Patrem, ad *Text. in I. Assumptio §. Si filius ff. ad municipal. L Filios Cod. de municip. lib. 10.* Habenti autem duo domicilia licet Ordines ab utriusque loci Episcopo suscipere, quemadmodum et obtinent! duo Beneficia in diversis Dioecesibus, ut probat Antonell. *de regimin. Eccles, lib. 2 cap. 4 n. 41 et de loc. leg. lib. i cap. i num. 30.* Pax Iordan. *Lucubr. lib. 3 tit. 6 nu. 65 Riec. in prax. Eccles, par. 4 resol. 275.* Passenn, in *cap. cum nullus de temp. Ord. in* ***6*** *qu. 4 art.* ***2*** *n. 55 cum duob. seq.* Barbos. *de Episc.par.2 alleg. A. num. 37 et seqq.* Id quod tamen intelligitur, si par, et aequa sit conditio utriusque domicilii, veluti si quis duobus in locis habitet pari anni parte; nam alioquin, si unum domicilium sit praestantius, et praecipuum, hoc debet attendi, ut explicant ipsi Doctores mox citati. Sic pariter ubi quis in una Dioecesi habeat Beneficium simplex, et in altera Beneficium residentiae legem imponens; praeferendus est in Ordinatione Episcopus huius loci, quia ad rationem Beneficii accedit ratio domicilii, ut censet Antonell. *de regim. Eccl. d. lib. 2 cap. 4 n. 22.*

» Verum in peculiari hac hypothesi diflicultatem facit, quod si Franciscus discessisset Ferraría animo illuc revertendi, tunc sane dici posset illum retinuisse paternum domicilium, quamvis per aliquot annos inde abfuerit, ac per consequens eum posse ad Ordines promoveri ad Ordinario eiusdem paterni domicilii, ut in his terminis loquitur Navarr. *conf. 3 de tempore Ordin. lib. 4.* At contra valde urget, quod Franciscus ea mente se contulit ad Oppidum *Centum,* ut ibi deinceps vitam traducat, perpetuoque consideat. Itaque omnino dimisisse videtur paternum domicilium, sibique novum alibi constituisse. Filium vero non ab Episcopo paterni domicilii, sed ab Episcopo domicilii proprii, esse Ordinibus initiandum probat Pigliateli. *consul. 480 num. 6i tom. 9.* »

magis, quod Alexius, ipso fatente, « ordinatus fuerat ea inten- **di** tione, ut maneret subiectus Archiepiscopo et tempore erectionis » dioecesis Professor erat, quod semper fuit et etiam nunc est » sub potestate praedicti Archiepiscopi. » Quare et factum et animum contrahendi ibidem domicilium non defuisse.

Denique facta etiam hypothesi, Alexium non contraxisse domicilium in loco ubi hactenus degit, animadversum est integrum sibi esse ibidem manere neque cogi posse a novo Episcopo G, ut ab eo loco recedat: ratio quae adduèebatur haec est: quod Clerici, qui nulli certo loco sunt adscripti vel nullo Beneficio ecclesiastico donati, possint e dioecesi discedere, Episcopo quaque invito, iuxta Resolutionem S. Congregationis Concilii in ***Ariminen.*** die 5 Decembris 1574, qua edictum fuit: « ***Clericum, qui certo loco non est adscriptus, ab Episcopo suo invitum non posse retineri, ne a sua dioecesi recedat et alibi parochialem accipiat.*** »

Quod quidem maiori ratione locum habere in themate, in quo agifir de dioecesi in duas partes nunc divisa, in qua divisione unicuique liberum esse debere eo loci permanere, ubi tempore divisionis degat, prout contingere solet in regimine politico, cum aliqua regio ab unius ad alterius Principis iurisdictionem transit.

EA QUAE CONTRA ALEXIUM SUNT ADNOTATA. Sed iterum adversus haec, quae Alexio suffragabantur, est in contrarium animadversum: licet vera sint quae de domicilio superius sunt adnotata, verum tamen quoque esse, neminem posse voluntate sua ab origine propria eximi, iuxta /. 4. **C.** ***de Munie, et orig.*** ubi singillatim legitur: « ***Origine propria neminem posse voluntate sua eximi, manifestum est.*** » S. Tribunal Romanae Rotae huic iuris principio inhaerens firmiter tenuisse originis domicilium non amitti ex habitatione in alio loco, praesertim si in loco originis et domum et bona quis retineat, ***Recent.*** dec¿s.364 ***n.*** 7 ***par.*** 13; ***et decis.*** 364 ***n.*** 5 ***par.*** 6 ***t.*** 1: immo edixisse quoque, nunquam praesumi renunciatum originis domicilium nisi per expressam declarationem momento migrationis factam, aut per longi temporis cursum, qui debeat excedere decem annos, ***Recent, decis.*** 589 ***n. 19 par. S t.*** 2. Fagnanus in cap. ***Significavit, de Parochiis n.*** 9, 10, 11, distinguons domicilium mahsionis a domicilio originis haec ad rem tradit : « Nota ex hac Decretali duos praecipuos effectus transía- **is** tionis domicilii. Primus est, quia per huiusmodi translationem

» quis subtrahitur iurisdictioni prioris Episcopi ***cap. Proposuisti...***
» atque ita iurisdictio, quam quis habet in incolas et advenas
» ratione domicilii, expirat eo ipso quod incola inde discedat,
» adeo ut in talem recedentem non possit postea iurisdictionem
» exercere.

» Secundus effectus est, quia iurisdictio Episcopalis transfun-
» ditur in Episcopum loci, ubi constitutum est domicilium, ita ut
» sicut dominus temporalis acquirit iurisdictionem in incolam....
» ita et dominus spiritualis... »

» Adverte tamen, quia primus effectus abdicationis iurisdi-
» ctionis a primo Episcopo vindicat sibi locum, st ***is, qui domi-***
» cilium transtulit, non erat ibi alias oriundus, ut in casu huius
» decretalis. Nam isti non erant oriundi e regno Hierosolymitano,
» sed elegerant ibi mansionem. Unde cum non essent subiecti
» illis Praelatis nisi ratione domicilii, ipso translato, in nihilo
» remanserunt subiecti, cum prorsus cessaverit causa subiectio-
» nis.... ***At secus est in subiecto ratione originis ; quia etsi alio***
» domicilium transferat, non tamen propterea eximitur a iurisdi-
» ctione naturalis domini, nec quoad spiritualia, nec quoad tem-
» poralia. De spiritualibus est textus in cap. ***Cum nullus, de temp.***
» ordin., ubi patet, Episcopum posse Ordines conferre oriundo
» ex sua dioecesi, licet alibi domicilium habeat. Quod si ordinare
» potest, ergo et iudicare, cap. ***Nullus,*** et ibi Glossa ***fin. supra***
» eodem. Similiter hic poterit conveniri in loco originis... Nam
» civilitatem ratione originis non potest quis sola voluntate a se
» abdicare, cum naturalia sint immutabilia____***Itidem remanet***
» hic subiectus quoad onera personalia. Ideoque si extrahatur ad
» aliquod munus in loco originis, tenebitur illud subire, licet ha-
» beat alibi domicilium; quoniam incola est adstrictus muneribus
» et oneribus tum loci tum domicilii tum loci originis ut in dicta
» /. Incola etc. »

Si itaque domicilium originis nunquam amittatur quoad nonnulla spiritualia, inter quae subiectio quoad potestatem ordinandi; et neque renunciatum eiusmodi domicilium quoad cetera omnia praesumatur, nisi aperte constet; Alexium subiectum adhuc plene manere dicendum esse Episcopo G suae originis, quum nullimode constaret, originis domicilio renunciasse. Immo contrarium constare dicebatur, quum deesset diutina commoratio eum la ri bus

rerum ac fortunarum suarum summa; quandoquidem et domum et bona in loco suae originis possideret ubi eius parentes degebant

Post haec nullius momenti esse dicebantur, quae ab Alexio de sua intentione deque optione in divisione dioecesis facienda asserta sunt: simplices enim erant assertiones, quarum prima etsi vera, destituebatur, facto realis domicilii; quarum altera in Clerico, auctoritati ecclesiasticae legitimo titulo coiligato, erronea erat. Non enim quae iure civili in bonum communis ordinis permittuntur, repeti possunt de ecclesiarum ministris, qui multo strictioribus vinculis suis ecclesiis seu dioecesibus colligantur.

Ad ea vero, quae ex adverso sunt adnotata de Clerico nulli ecclesiae dioecesanae seu pio loco adscripto, qui invito etiam Episcopo proprio parochiam extra dioecesim recipere potest, non erat necessaria in themate responsio. Namque in praesentia agitur de subiectionis fundamento, quod, ut ita dicam, est radix iurisdictionis in certos Clericos certusque fideles. Non enim ad primariam sed ad secundariam quaestionem pertinet inquisitio, an Episcopus cogere possit Clericum proprium ad manendum in dioecesi, vel, si extra dioecesim degat, an cogere eundem possit ad redeundum, si alicui dioecesanae ecclesiae ex qua saltem alimenta recipiat, non sit adscriptus; quum nemo suis stipendiis militare cogi possit.

Ad rei tamen declarationem est animadversum, Concilium Tridentinum ***Sess.*** 23 ***de Ref. c.*** 16, vestigiis inhaerens Concilii Chalcedonensis statuisse: ***«Cum nullus debeat ordinari, qui iudicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis ecclesiis, Sancta Synodus, vestigiis sexti canonis Concilii Chalcedonensis inhaerendo*** (1), ***statuit, ut nullus in posterum ordinetur, qui illi ecclesiae aut pio loco, pro cuius necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus. Quod si locum inconsulto Episcopo deseruerit ei sacrorum exercitium interdicatur.))***

Eandem Constitutionem Tridentinam fuisse confirmatam et uberius declaratam pro Hispaniarum regnis ab Innocentio XIII Const. ***Apostolici ministerii*** die 13 Maii 1773 atque iterum a Bc-

(1) **Textus Concilii Chalcedonensis et reliqua opportuna reperies in** *vol. V p 478 tn notis.* **Reeoli ouoaue possunt quae scripsi in** *vol. III p . 507 et seqq.*

nedicto XIII Const. ***In Supremo, àie*** 23 Septembris 1724 (1). Atque repetitam in Concilio Romano sub Benedicto XIII ***Tit.*** 6. ***cap.*** 2 his verbis: « Clericali insuper Tonsura nullus initietur, ni- » si eodem tempore ecclesiae illi adscribatur, pro cuius servitio » debet ordinari. Si qui vero sint, etiam minoribus aut sacris » Ordinibus insigniti, qui nulli certae ecclesiae fuerint adscri- » pti, Episcopi adscriptionem huiusmodi, etiam a suis praede- » cessoribus omissam, suppleant et pro arbitrio servitium toties, » quoties opus fuerit praestandum designent: quam adscriptio- » nem, quando eos, qui iam promoti extra dioecesim, vel stu- ft diorum causa vel alia ab Episcopis probata, commorantur, ad » tempus ipsismet Episcopis benevisum, differri posse indulgemus. » Ita autem adscripti etsi Clerici sint, etiam coniugati aut Be- » nefícia vel officia ecclesiastica non obtineant, ab ecclesiae ser- » vitio cui fuerint deputati, festis diebus singulis, praesertim so- ft lemnioribus, ne absint, propria ibi munia obituri; alias ad al- » tiores gradus promovendi non promoveantur et iam promoti

(1) Benedictus XIII in citata Constitutione ex integro refert et confirmat Constitutionem Innocentii, in qua haec inter cetera pro Hispanus declarata sunt: • Volumus, ut pro tutiori ipsius conci- » tiaris sanctionis executione ab omni- » bus Regnorum Hispaniarum huiusmodi » Archiepiscopis et Episcopis non alii » ad primam Tonsuram in posterum ad- mittantur, quam quibus ecclesiasticum » aliquod Beneficium statim conferen- » dum sit; aut quos constiterit litera- » rum studio operam sic dare, ut qua- » si in via ad Ordines tum minores tum » etiam deinde maiores suscipiendos ver- » sari videantur; vel demum quos vi- » derint expedire alicuius ecclesiae ser- **it** vitio vel ministerio deputari.

» Et tam in his, qui ad primam Ton- » suram, quam in aliis, qui promoveri ad » Ordines etiam minores optaverint,omni- » no servetur pariter regula ab eodem » Concilio Tridentino tradita; nimirum, ut » nullus ordinetur qui iudicio sui Epi. * scopi non sit utilis aut necessarius suis » ecclesiis, quique illi ecclesiae aut pio » loco pro cuius utilitate aut necessi- » tale assumitur non adscribatur, ubi » reipsa functiones muneri suo consen- » taneas exerceat. *Quod si modo repe- » riantur vel clericali Tonsura iam ini- » tiati vel ad Ordines sive minores sive » maiores iam promoti, qui nulli certae » ecclesiae vel loco pio adscripti fue- » rint, Episcopi adscriptionem huiusmo- » di vel a seipsis vel a Praedecessoris » bus suis omissam, statim suppleant, » non minus quoad omnes in maioribus » Ordinibus, etiam Presbyteratus, consti- » tutos, quam quoad eos, qui sola pri- » ma Tonsura vel minoribus Ordinibus » initiati Beneficium tamen ecclesiasti- » cum possident. Ex reliquis autem, ut » praefertur, vel sola prima Tonsura in- » signitis vel in minoribus Ordinibus con" » stitutis, sed Beneficio carentibus, non- » nisi eos adscribant, quos ecclesiis suis » utiles vel necessarios esse iudicavi » rint. »*

» Episcoporum arbitrio pro inobedientiae gravitate multentur.
» Crescente vero contumacia, Episcopi ultra poenas a Tridentino
» Concilio indictas, post trinam Canonicam monitionem contra
» inobedientes et contumaces procedant ad omnium usque pri-
» vilegiorum clericalium privationem: servata in reliquis nupera
» super hoc Constitutione nostra.»

Indicabantur praeterea nonnullae veteres SS. Congregationum Resolutiones a Pignatelli citatae de iis, qui alicui ecclesiae essent adscripti, qui iuxta Tridentinam dispositionem, sine expressa Episcopi venia discedere non possunt, et si locum, inconsulto Episcopo deseruerint, sacrorum exercitio possunt interdici. De hac re sic scripsit Pignatelli varias Resolutiones ac opiniones referens ***tom.*** 3. ***consul.*** 56 ***num.*** 2. 3 ***et*** 4. «Si Clericus ra-
» tione Beneficii simplicis non potest cogi ad residendum pro-
» pter generalem totius orbis consuetudinem, de qua Glossa....
» (citat Auctorum calervam) aliique communiter ex Garzia
» p. 3. ***c.*** 2. ***n.*** 4 ***et seqq.*** ubi ait sic fuisse decisum a S. Congre-
» ^alione.... ergo multo minus quando non obtinent Beneficium.
» item quia in ecclesiis non curatis Clerici non possunt prohi-
» beri ne quo velint pergant..**a**

» Atque ita censuit S. Congregatio Concilii die 21 Ianuarii
» 1574 ad ***sess.*** **6** c. 8 ***de Ref.*** cum hac tamen limitatione, nisi
» talis Clericus sit adscriptus alicui ecclesiae, in qua se exerceat,
» vel habeat Beneficium requirens personale servitium, ex ***sess.*** 23
» c. 6, aut aliter statuto loci ab immemorabili tempore pro-
» hibeatur. Idem censuit S. Congregatio Episcoporum in ***Senogal-***
» Hen. 13 Augusti 1579; in ***Civitate Ducali*** 6 Septembris 1593;
» in ***Ostun.*** 20 Ianuarii 1616, et eadem S. Congregatio Concilii
» in ***Terracinen.*** 19 Februarii 1628 et in ***Ariminen.*** cuius verba
» sunt ista: ***Clericus, qui certo loco non est adscriptus ab Episcopo***
» suo invitus retineri non potest ne a sua dioecesi recedat et alibi
» parochialem accipiat; adscriptus vero retineri potest invitus, die
» 5 Decembris 1574. Itaque si sint adscripti servitio alicuius ec-
» clesiae non poterunt discedere absque licentia sui Episcopi
» iuxta Concilium Trid. dicta ***Sess.*** 23 ***c.*** 16, ubi decernitur, quod
» tales non debent locum deserere, inconsulto Episcopo, idest
» sine consensu Episcopi, prout haec verba exponuntur in cap.
» Admonet, de Renunc. et in cap. ***Cum et plantare %. in Ecclesiis,***

» ***de Privileg.*** Quod si deseruerunt, sacrorum exercitium est eis » interdicendum ad praescriptum sexti Canonis Concilii Chalce- » donensis, qui refertur in can. ***Neminem*** 70. et a Trid. Synodo » innovatur in dicto cap. 16. Unde admonet Fagnanus in dicto » capite ***Admonet, de Renunc. n.*** 15 - ***cavendum esse a modernis » collectoribus*** (de Barbosa intelligit), ***dum aliis relatis dixerunt, » Presbyteris et Clericis non habentibus Beneficium in titulum » personalem residentiam requirens licitum esse ire quo velint et » Ordinarium teneri eis literas commendatitias concedere. Quod » est contra praecitatum Concilii Decretum.*** - Si autem nulli eccle- » siae inserviant, poterunt ad libitum absque alia licentia disce- » dere, cum sint sui iuris, nec alicuius servitio obligati sint, cum **i»** nullum obtineant Beneficium, quod aliquo egeat servitio. Et » in hanc sententiam olim propendisse S. Congregationem Con- » cilii, testatur idem Fagnanus » (i).

(1) Barbosa, *de Offic, et potest. Episcopi, alleg. 24* agens de litteris commendamus, quas Clericus peregrinus exhibere debet, ut admittatur ad Missam celebrandam in dioecesibus per quas peregrinatur, haec inter cetera scripsit n. 4. « Hae commendatitiae li- » terae sunt obtinendae ab eo qui pe- » tentis Clerici Ordinarius fuerit... Nec » sunt denegandae ab Episcopo Sacer- » dotibus et Clericis, qui non habent » Beneficia in titulum residentiam re- » quirentia, prout etiam decisum refert » Armendar... et iterum in S. Congrega- » tione Cardinalium negotiis Episcop. et » Regul. praeposita decretum fuit, illos » non posse revocare subditos ecclësia- » sticos alibi degentes, nec eos cogere, » sed teneri literas eis dare extra vo- » lentibus morari, si ratione Beneficii » non adstringerentur in sua dioecesi » residere, dicit ita in causa propria ob- » tinuisse Campanil, *in divers, iuris ca-* ***ii*** *non. rub. 9 c. 6 n.* 4. Sic eliam in facti » contingentia respondisse asserit Aloi- » sius Ricci *in praxi fori ecclesiastici de-* » *eis. 598 in 4 edit. et resol. 52í,* ubi » ampliat ad Clericum obtinentem sim- » plex Beneficium, qui etiam non pote- » rit cogi residere in dioecesi, ubi illud » habet, sed poterit ire quo vslit, et » ita dicit in Rota decisum in *una nul-* » *lius Beneficii^* Maii 1604 coram Lu- ***V*** dovisio nunc S. D. N. Gregorio XVin- » ter eius impressas decis. 175. »

Haec refert Barbosa, neque video in quo sit reprehendendus: quae enim hic collegit conformia sunt cum iis quae superius ex Pignatellio excripsi: et ipse Fagnanus, qui loc. cit. ad Barbosam allusionem faciens, dixit, cavendum esse a modernis collectoribus etc. in fine eiusdem capitis n. *37* confirmat satis superque quae Barbosa scripsit: ibi enim Fagnanus excipit eos, qui io sua ordinatione permiserunt se adscribi et mancipari servitio alicuius ecclesiae pro cuius utilitate sint ordinati, atque his verbis prosequitur: « Unde non mirum si eo » casu locum deserere non potest inconsuito Episcopo secundum canonem » sextum Concilii Chalcedonensis ibi in- » novatum. Nos autem agimus de illis » Beneficiis, quae nullo egent servitio.

Hisce itaque ad eruditionem potius quam ad necessitatem adductis proposita sunt resolvenda

Dubia

I. « An et ad quas personas Episcopi iurisdictio porrigatur » in casu.

II. » An Episcopus ius habeat revocandi ad suam dioecesim » Sacerdotem ***(Alexium)*** in casu. »

RESOLUTIO. S. Congregatio Concilii die 12 Augusti **1871** causa cognita respondere censuit:

Ad I ***Providebitur in casibus particularibus.***

Ad II. ***Affirmative, dummodo Episcopus eidem provideat de congruo officio et Beneficio.***

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Fundamentum legitimi exercitii episcopalis auctoritatis in certum populum certumque Clerum esse ipsum territorium dioecesanum, cui Episcopus canonice praesideat.

II. *Quare* omnes, qui cum territorio sint aliqua stabili ratione colligati, sive ratione originis et domicilii, sive ratione tantum domicilii, obnoxios regulariter esse eidem episcopali auctoritati.

III. Accedente sacra Ordinatione aliud vinculum cum episcopali auctoritate obstringi, ita ut non solum ratione territorii sint clerici eidem subiecti, sed etiam ratione s. Ordinationis, qua membra evadunt dioecesanae hierarchiae.

IV. Fortius eiusmodi secundum vinculum esse, si Clericus cum peculiari ecclesiastico officio seu Beneficio, in bonum dioecesis erecto, colligetur.

V. Quare, ut Clerici a vinculo auctoritatis episcopalis dioecesanae plene solvantur, necessarium esse, ut ostendant, se et a vinculo territorii solutos et a vinculo hierarchiae dioecesanae per sacram Ordinationem inducto.

» Unde nulla subest ratio, cur provisi » in eis inviti detineantur. Et in hanc » sententiam olim propendit S. Congregatio Concilii, quamvis dixerit, huius » dubitationis solutionem proprie ad se » non pertinere, sed petendam esse a » iure communi. » Mihi videtur Fagnanus melius non posse confirmare, quae scripserat Barbosa, qui de iis adamussim scripsisse videtur, qui de Beneficio non residentiali provisi, nulla ratio subest cur inviti detineantur.

VI. Primum vinculum solvi per aliud domicilium in aliena dioecesi constitutum, primo relicto; alterum vero solvi per Ordinarii licentiam derelinquendi dioecesim, sive ea sit expressa sive saltem tacita seu praesumpta (1).

VII. Eiusmodi licentiam, quae est quaedam excardinationis species, non posse ab Ordinario negari, quando Clericus non sit alicui Ecclesiae adscriptus iuxta Tridentinam dispositionem (2), vel non sit aliquo Beneficio donatus in bonum dioecesis constituto, cuiusmodi ea Beneficia solent esse quae residentiam exigunt.

VIII. Manente uno alterove vinculo, Clericum posse a proprio Episcopo revocari in suae dioecesis servitium, ita tamen, aequitate canonica suadente, ut Episcopus Clerico congrue prospiciat.

IX. Haec omnia regulariter valere etiam in dioeceseos divisione: novus enim Episcopus, in parte territorii eidem adsignata, in ea omnia iura subintrat, quibus antea totius territorii Episcopus pollebat.

X. In themate Alexium neque solutum fuisse ab originis loco, quum saltem non constaret de translato domicilio; neque solutum fuisse per licentiam novi Episcopi (qui per divisionem proprius eius Episcopus evasit) quum novus Episcopus expresse Alexium sibi vindicaret.

XI. Manente itaque utroque vinculo cogi posse, ut in eam partem territorii Alexius rediret ex qua originem sumpserat, ita tamen, ut per congruum officium et Beneficium ei consuleretur.

(1) Quando nulla ratio subest, cur Clerici inviti detineantur, haec licentia facile praesumitur, quum denegari ab Ordinario non possit si petatur: sic ex.gr. si Clericus alio se transferat et domicilium in aliena dioecesi ligat, Ordinario non reclamante, haec licentia praesumitur concessa.

(2) Haec Tridentina dispositio, desumpta ex veteri iure, non videtur fixisse radices, et temporis lapsu evasit, in pluribus saltem locis, observatu fere impossibilis: quaenam sint causae cur haec dispositio talis evaserit indicare curavi in cit. *Vol. V. pag. 478*.

lì S, CONGREGATIONE SS, lilii Li

CIRCA CALICES EX ALLUMINIO CONFECTOS

Die 6 Decembris 1866.

Decretum exscribimus, quod hactenus referre non potuimus, quod connexum est cum causa exposita in vol. IL pag. 232 et seqq. ***circa calices ex alluminio confectos. Quae itaque causae illi subsecuta fuerunt, haec sunt.***

MOLINEN.

DECRETUM I Rmus D.Petrus Maria ex Marchionibus Dreux Brezé, » Episcopus Molinen, sui muneris esse duxit a S. R. C. postulare #> an calices ex alluminio sive puro sive aliis metallis commixto, » attenta ipsorum pulchritudine ac soliditate nec non paupertate » ecclesiarum ruralium, praesertim in Gallia, adhiberi possint in » sacrosancto Missae sacrificio.» Exposito super hoc dubio voto Rev. D. Francisci Regnani Cubicularii Honorarii SSmi Domini Nostri Pii Papae IX et Physico-Chymicae Professoris, deoque typis excuso, praefatum dubium per Emum et Rmum D. Cardinalem Nicolaum Garelli Paracciani Ponentem propositum fuit in Ordinariis comitiis eiusdem S. Congregationis ad Vaticanum habilis die 1 Septembris vertentis anni, quae, omnibus accurate perpensis, rescribendum censuit: ***Nihil esse innovandum.***

» Acquievit huic decisioni eques Paulus Morin praedicti metalli fabricator. Reputans vero calices a se confectos fuisse exclusos quia non satis consultum erat dignitati tanto Sacramento debitae, de memorati Episcopi Molinensis consensu supplicem porrexit libellum SSmo Domino Nostro, ut calices ac patenas ex alluminio aliis metallis commixto, vulgo ***Bronzo di alluminio*** (latine ***aes allumimi)*** admittere dignaretur in celebratione sacrosancti Missae sacrificii si cuppae calicum et patenae in tota superficie argento prius et deinde auro in partibus a Rubrica requisitis obducantur. Sanctitas porro sua rem sibi definiendam reservans, voluit ut super hac nova propositione votum a memorato Professore Regnani conficeretur. Qui cum illud affirma-

tivum protulisset, nonnullis tamen sub conditionibus in voto ipso indigitatis, eadem Sanctitas Sua permisit calices et patenas sic confectas adhiberi, verum sub forma et conditionibus in adnexa Instructione praescriptis. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Die 6 Decembris 1866.»

ISTRUZIONE (1).

Ad uso dei fabbricanti de' vasi sacri in bronzo di alluminio inargentato.

« I fabbricanti di calici ed altri vasi sacri di bronzo d'alluminio, affinchè questi vasi siano atti a contenere la Santa Eucaristia, dovranno soddisfare alle seguenti condizioni:

» 1. Dovranno i detti vasi essere di bronzo di alluminio, cioè di una lega formata di alluminio e rame il più puro nella proporzione in peso del 10 per 100, ed in volume del 35 per 100, ossia in forinola chimica il binario AIC[1] u*. È tale quello, che attualmente viene somministrato dalla fabbrica del Sig. Cav. Paolo Morin.

» 2. Debbono essere inargentati ***stabilmente e riccamente*** su tutta la superficie. Si considera come argentatura stabile e ricca quella, per la quale vengono galvanicamente precipitati almeno tre grammi d'argento su ciascun decimetro quadrato di superficie. La quale argentatura è appunto quella, che sogliono avere le posate dell'orificeria Christofle. Ora in questa proporzione ***h*** crosta d'argento raggiungerà all'incirca la spessezza di millimetri 0, 0285; e si può calcolare che ogni coppa di calice di misura giusta dovrà contenere un 10 grammi circa d'argento.

» 3, Tale argentatura deve essere garantita nel miglior modo possibile. Aftinché ciò ottengasi, il fabbricante scolpirà su ciascun pezzo, oltre il marchio di fabbrica, anche un numero rappresentante i grammi di argento distesi su tutto il pezzo, appunto come costumasi dall'orificeria Christofle.

» 4. La doratura finalmente deve raggiungere nella totalità almeno la proporzione minima di grammi 0,25 per ogni decimetro **quadrato** di superficie. E detto nella totalità: giacché sa-

li) **Eiusmodi instructionem latine pon linguam nesciant, multo minus noscunt reddimus, quod praecipue refertur ad latinam: ipsi autem versionem in veraes allumimi fabricatores, qui si italicam naculum idioma sibi curabunt.**

rebbe desiderabile che tale doratura fosse più spessa nelle parti più esposte a logorarsi, come sarebbe l'orlo della coppa. Il che o si ottiene naturalmente, perchè la configurazione stessa del pezzo richiama su certe parti (per esempio le più acute) la corrente elettrica, o artificialmente, perchè la stessa corrente viene diretta coli'elettrodo sopra una determinata superficie.»

Roma 9 Décembre 1866.

FRANCESCO REGNANI

D. BARTOLINI *S. R. C. Secretarius.*

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS (1)

DECRETUM

DE CULTU S. IOSEPHI, CATHOLICAE ECCLESIAE PATRONI, AB APOSTOLICA SEDE PERAGENDO.

***Sanctissimi Domini Nostri* PII PP. IX *Decretum consistoriali quo Capellae pontificiae celebratio die sacro S. Ioseph B. Mariae Virginis Sponso Ecclesiae catholicae Patrono decernitur in Consistorio secreto habito die* 6 *maii an.* 1872.**

VENERABILES FRATRES

« Novum caeleste praesidium contra teterrima huius saeculi mala et calamitates Nobis et Ecclesiae parare cupientes, ac vestris postulationibus, aliorumque plurimorum Venerabilium Fratrum Nostrorum Episcoporum et totius catholici orbis votis adducti, quae crebra ad Nos, praesertim in Vaticani Concilii celebratione, pervenerunt, Nos, ut scitis, sanctissimum Immaculatae Virginis virum inclytum Patriarcham IOSEPHUM Catholicae Ecclesiae Patronum declarandum decrevimus, idque, Deo adiuvante, praestitirnns die octava Decembris anno millesimo octingentesimo septuagesimo, Decreto edito per Congregationem Nostram sacris Ritibus praepositam, quod deinde Apostolicis Litteris datis die septima Iulii anno superiori confirmavimus. Ubi hoc egimus,

(1) Io conditionibus, quibus Romanus Pontifex et Romana Sedes versatur, Consistoria non aguntur; hoc tamen Decretum ideo consistoriale appellatur, quod post Ecclesiarum provisiones SSmus D. N. publicavit. Provisiones autem ecclesiarum Romanus Pontifex privata veluti ratione Emis Cardinalibus accersitis communicat.

Nostri quoque muneris esse putavimus providere, ut recens adsciti Ecclesiae Patroni honores etiam debito externi cultus splendore augeantur, atque dies eius memoriae sacer, qui nunc sanctior et solemnior in tota Ecclesia habetur, praecipuarum aliarum solemnitatum more ab hac Apostolica Sede celebretur. Nos itaque annuo festo recurrente Sancti IOSEPHI universae Ecclesiae Patroni caelestis, Capellani Pontificiam in Palatio Nostro Apostolico in honorem Eius haberi volumus; quod quidem singulis quibusque annis fieri mandamus ac praecipimus, ita ut haec Capella Pontificia in honorent sancti IOSEPHI quotannis celebranda, ceteris adnumeretur, quo nimirum ipse sanctissimus Deiparae Sponsus suo patrocinio in tanta hostium oppugnatione non minus catholicam Religionem, quam hanc Apostolicam Sedem tegere velit ac tueri, ac benigne respondere precibus, quae ad Eum ab universo populo fideli effunduntur, pariterque spei et fiduciae, quam in Ipso merito collocavimus. Hoc vobis significandum esse censuimus. »

APPENDIX XII

DE APOSTOLICO SEMINARIO

Iam a volumine II ad calcem, ut memoria in his ephemeridibus maneret, aliquam dedimus notitiam quae modum respicit, quo susceptum Seminarii Apostolici opus in Programmate delineatum procederet : quod et in hoc volumine eo libentius facimus, propterea quod , opus illud gradatim exsecutioni mandandum, primum gradum modo excessit in secundum ingrediens.

Cumulatis enim praeteritis oblationibus, novisque Promotorum Oblatorumque zelo et charitate supervenientibus, tempus advenit, ut iuxta Programma pag. 15 n. 6 (1) privata ratione Seminarium Apostolicum ali quod initium sumeret.

Quare ex Promotione Taurinensi quatuor iuvenes optimae indolis optimaeque spei hac de causa Romam missi sunt : hi enim ab Illmo et Rmo D. Archiepiscopo Taurinensi benedicti Romam pervenerunt die 23 Decembris 1871, qui privata in domo interim vivunt more clericorum studentium in philosophiam et studium linguae graecae incumbentes.

SSmus Pater, qui in eiusmodi operibus promovendis nemini profecto est secundus, habita huius rei noitia, illico prospicere dignatus est

(1) Ibi legitur: « Statim ac sufficientes habebuntur oblationes ad paucos iuve- » nes alendos, pretio conducta domo,... iuvenes instituendi recipientia, alenturet » ad publicum aliquod gymnasium mittentur, ut studiis operam navent etc. »

privatae Capellae, quam die 21 Ianuarii 1872 pulcherrima pictura, Virginem repraesentante, omnibusque supejlectilibus in usum altaris communivit.

Denique ad augustissima!» suam praesentiam die 7 Febr. eosdem iuvenes admittere est dignatus, eos pusillum gregem appellans, atque vicissim iuvenes haec vota in scriptis reliquerunt ex animo expressa, quae latine sic sonant.

BEATISSIME PATER

« Quum iampridem pertineremus ad *Parvam Domum Divinae Providentiae*, quam Taurini fundavit Venerabilis Cottolengo, transivimus in Scholas Apostolicas recens Taurini erectas zelo Canonicilosephi Ortalda, quae quidem benedictione et favore Sanctitatis Vestrae florent. In huiusmodi Scholis eo animo degebamus, ut idonei redderemur Ecclesiae viri atque inde Christi Domini fidem ápud exteras regiones propagaremus.

» Quum ita res se haberent, significatum est nobis, Romae , sub faustissima Sanctitatis Vestrae auspiciis, Seminarium Apostolicum eadem de causa propagandi fidem aliqua ratione coeptum iri; Feliciter electi fuimus ad primam quandam manum constituendam , atque, ab Archiepiscopo Episcopisque nostris benedicti, primi sumus huius Instituti, quod firmiter confidimus novum esse lapillum, qui tantae Vestri Pontificatui} gloriae futurus accedat.

» Neque nos terrent tristissima tempora, quibus pulsat Satanae hora, neque universi militaris delectus laquei, qui nos iuvenes iam iam insir diantur. Exemplum enim habemus, quod ex Sanctitate Vestra omnibus fulget: in Eum videlicet confidimus Dominum , qui agitatissimas maris undas simplici nutu suo tranquillat, halituque oris sui impiorum omnium machinationes ad nihilum extemplo redigit.

» Parati hinc sumus, pro gratia, quam bonorum omnium distributor Deus dare nobis dignabitur, in chri* stianae pietatis scientiarumque vias proficere, ut idonei reddamur ad eam divinam fidem atque catholicam propagandam doctrinam,quam prae– sentes civilis societatis Rectores, iam a Deo apostatae, aut universim extinctam cuperent, aut inter cryptarum anfractus, <u* olim , profuga m vellent.

» In cohortes, excrescere cupimus atque ad nutum Sanctitatis Vestrae eo proficisci, ubi rerum ne* cessitas magis postulet. Parati enim sumus, propinante Deo, in novos indígenas Cleros educandos, instituti!" endos nostras intendere vires, sive id fieri contingat in orientalis sive in occidentalis orbis plagis (I).

(1) Hnbenlur iam instantes petitiones, ul primi seminarii Apostolici Alumni, statini ac edocti ac parati fuerint, mittantur Cairum ubi Seminarium erigetur pro educandis nigris in profectum Missionum Africae centralis.

» Haec autem peragendo nunquam fiat, ut oculi auresque nostrae ab hac infallibili veritatis et unitatis cathedra avertantur, quam Deus adeo inexpugnabilem fecit, ut, quo vehementius mundani fluctus impeterent, eo velocius disiicerentur.

» Quam maximas praeterea Sanctitati Vestrae agimus gratias, quae multis nobilibusque donis in usum Capellae, nos haud expectato maximoque honore prosequi est dignata: atque humillime Apostolicam Benedictionem imploramus in haec nova Instituta in eosque omnes sive Ecclesiae viros sive laicos, qui zelo, oblationibus, precibus in eadem Instituta concurrunt, nec non in Episcopos nostros, dioeceses, nostrasque familias. »

Subsequuntur nominum subscriptiones.

Postquam consueta SSmi Patris benignitate essent excepti, Apostolica Benedictione in omnes, quos cuperent, obtenta, gaudio pleni iuvenes discesserunt.

Deinde Sanctissimus Pater, quamquam sub hostili dominatione constitutus, et fidelium oblationibus vivens, quum huius novi Instituti utilitatem iudicasset, Divinae Providentiae de more fidens, mense Martio 1872 domum suis sumptibus erigi iussit in usum incipientis Apostolici Seminarii: huius quidem domus, dum haec scribimus, fundamenta sunt iacta.

Denique hoc mense Iunio inter alia, plurimos atque opportunissimos libros pro incipienda Seminarii Apostolici Bibliotheca donare est dignatus, atque iterum pro gratiarum actione reddenda iuvenes ad pedes deosculandos benigne admisit die 19 Iunii novaque Apostolica benedictione eos communivit coram pluribus, adstante quoque Pro-Vicario Apostolico novae Missionis Africae centralis, dicens: *eiusmodi pusillus grex crescere cupit, ideoque Benedictione Apostolica indiget,* quam eis ex corde peculiariter impertívit (1).

Heic coronidis gratia omittere nolumus quendam articulum, quem legimus in aurea Romana ephemeride, cui titulus *Il Divin Salvatore,* qui quidem articulus prima fronte videri posset paradoxon, quem tamen longe a veritate abesse non putamus.

Notum satis est, usurpatoris Gubernii Ministrum, cui nomen Quintinus Sella, Romae in praesentia fundamenta iacere amplissimae domus in ea adamussim via per quam usurpatores Romam sunt ingressi: de hac itaque domo dictus Romanae ephemeridis articulus (mense Maio 1872 anno VIII n. 63) loquitur, atque ita latine sonat.

(1) In praesentia octo alii essent iuvenes, qui instanter peiunt ut in Seminarium Apostolicum admittantur; sed redditus, qui satis sint, pro iis recipiendis adhuc non suppetunt.

SEMINARIUM INTERNATIONALE CATHOLICUM AEDIFICATUM A MINISTRO SELLA.

u Historiae narrant, Recimerum Gothorum ducem aut Svevum, ut alii tradunt, Anthemio Occidentis imperatore e throno depulso, atque Roma obsidione capta per consueta, ut aiunt, *moralia media,* quae sunt barbarorum omnium temporum propria , in Urbe aeterna suos Gothos constabilisse. Quum autem hi essent Ariani haeretici, eis erigere statuit templum , quod ob divitias et potentiam dignum esset eis *veteribus,* qui *novi* Romam convenerant. Hinc est, quod e fundamentis denuo aedificatum circa annum 472 atque splendide ornatum Constantinianum Templum S. Agathae *a Suburra* dictum, usui tradidit Ariauae haeresis, quod ideo appellatum fuit templum S. Agathae Gothorum; nomen quod etiam retinuit postquam S. Gregorius Magnus anno 593 illud cultui catholico restituit, quando Roma nullum aliud Gothicae invasionis vestigium praeter infaustam memoriam servaret.

» Haec vetera animo nostro revolvftbamus deambulantes per viam, cui nomen est *Porta Pia* (quod nomen in tristem titulum nunc est conversum, *via viginti septembris),* quando vidimus immensas terrae exoavationes, quae per magnam hominum vim et carrorum die noctuque fiunt, quin pareatur (quod iam intelligitur) festis diebus ad erigendum immensae motis aedificium , quod Ministro inserviat, qui praesit publico aerario neonati Italici Regni.

•*n* Quum itaque eas peramplas lineas admiratione consideraremus, atque praesentientes fore, ut eiusmodi moles nunquam posset praestituto fini inservire, propterea quod vacillans Ministri Sellae aerarium longe ante deficiet, priusquam portentosum aedificium compleatur, nobis ipsis dicebamus: possibile ne est, Quintinum Sellam, tamquam novum Recimerum, et ipsum Catholicae Ecclesiae aedificium structuram ?

n Hac mente comprehensi ac magni aestimantes aedificii amplitudinem , proponere cogitavimus, ut suo tempore illud destinaretur ad magnum Seminarium internationale catholicum, in quo educarentur Alumni ex omni Orbis parte, qui se dicarent socialis Christi Domini Regni instaurationi , quod in praesentia a Sectariis fautoribusque italicae rebellionis acerrime impetitur. Erit profecto valida reparatio Christi Servatoris, adeo spreti, honori!

» Quintinus Sella aedificium erigit pecuniis ab italica Rebellione extortis; Orbis universus catholicus fundos opportunos praeparet huius novae mundialis Propagationis spontaneis caritatis christianae oblationibus. Et quemadmodum templum S. Agathae Gothorum memoriae tradidit Recimerum; ita quoque novum Seminarium posterorum memoriae relinquet nomen Quintini Sellae!...»

Hactenus laudatae ephemeridis articulus.

Dixi eundem articulum prima fronte paradoxon videri posse : non autem ita videbitur, si res sub Universali Divinae Providentiae consilio, quod aetate nostra per multa opera manifestatur, consideretur.

Profani atheique homines ingentia opera quotidie suscipiunt atque perficiunt, quae integras nationes atque universam humanam familiam respiciunt : si autem minima quaeque subsunt Divinae Providentiae consilio, multo magis ea subesse dicenda sunt quae ad universam humanam societatem referuntur. Eiusmodi materialia opera per se eo tendunt, ut, sublatis temporis locorumque distantiis, humana familia, quoad fieri possit', uniatur. At vero, dum ob haec opera societas unitur, per perniciosa principia eadem societas dissolvitur : sed etiam eiusmodi moralis et societatis ct familiarum dissolutio subest Divinae Providentiae consilio.

Corroboravit iam Deus centrum illud unitatis et fidei quod est Romanus Pontifex, et dum socialia vincula solvuntur, unitas catholicae Ecclesiae constringitur: nihil autem superest, quam ut perniciosis principiis nutu Divino submotis, omnia socialia vincula soluta in Regnum Christi Domini augendum consurgant, ad quod et conferunt quammaxime ingentia materialia opera, quae per se ad colligandam humanam familiam tendunt. Omnis autem huius ingentis unitatis centrum alio in loco esse non potest, quam Romae cum qua omnes Ecclesiae ex dispositione Divina conveniant oportet.

Ad rem faciunt, quae SSñius Pater in Allocutione Consistoriali edixit die 30 Septembris 1861. *a Certi sumus, divinis suis promissis non defuturum Eum, qui faciens mirabilia ostendet aliquando tantam tempestatem non ad Ecclesiae navem demergendam, sed ad eam altius attollendam fuisse excitatam.* » Item alia quae in Allocutione Consistoriali edixit die 20 Iunii 1859: *«Singulari Divinae Providentiae consilio factum esse, ut.. . Romana Ecclesia temporalem dominationem nemini prorsus obnoxiam haberet, quo Romanus Pontifex, summus totius Ecclesiae Pastor, mali unquam Principi subiectus, supremam universi Dominici gregis pascendi regendique potestatem ab ipso Christo Domino acceptam per universum, qua late patet, orbem, plenissima libertate exercere, ac simul facilius divinam religionem magis in dies propagare, variis fidelium indigentiis occurrere et opportuna flagitantibus auxûia ferre posset r>* etc.

Si itaque, ut firmissime tenemus, hic est praesentium vicissitudinum exitus, et Urbis Romae destinatio, quis est qui non videat, impios homines, ex Divinae Providentiae corisilio, materiales res ita parare, ut Roma iis omnibus opportunissimis mediis ditetur, quae fidei doctrinaeque catholicae propagandae^int expeditissime profutura?

SUMMA ACTORUM

QUAE IN HOC SEXTO VOLUMINE CONTINENTUR.

ACTA SOLEMNIORA ROM. PONTIFICIS PUBLICI IURIS FACTA

Documenta in ea epistola encyclica allegata et iterum confirmata.

EX SECRETARIA BREVIUM.

Praeter alias Apostolicas litteras in forma Brevium modo indicatas, hae quae sequuntur continentur.

DOCUMENTA DIPLOMATICA

PUBLICI IURIS FACTA.

EX ACTIS OECUMENICI VATIC. CONC.

EX S. CONGREG. S. R. U. 1NQUIS1T.

EX S. CONGREGATIONE INDICIS.

EX S. CONGREG. CONCILII TRID. INTERPRETUM

EX **S.** CONGR. EPISCOP. ET REGUL.

EX S. CONGREG. SS. RITUUM.

EX S. CONGR. DE PROP. FIDE.

EX SECRETARIA STATUS.

EX S. CONGREG. INDULGENT.

APPENDICES.

INDEX GENERALIS

CONCLUSIONUM, QUAE IN PLERISQUE ACTIS IN HOC VOLUMINE CONTENTIS, ADNOTATAE SUNT, QUARUM MATERIA IN SINGULIS ACTIS AMPLE EXPOSITA VEL DECLARATA REPERITUR.

Eae autem conclusiones sub sequentibus verbis comprehenduntur.

Appellatio.

Iuxta ss. canonum procedendi rationem, tempus ad appellandum utile cessat post lapsum decem dierum a lata sententia eoque tempore elapso appellatio dicitur perempta, pag. 526.

Beneficiarii» quoad administrationem.

Beneficiario , Capellano vel Legatario, Ç i dolose aut negligenter bona administret, ^el reddere administrationis rationem Ordiario detrectet, potest auferri administratio pag. 413.

Administratione tamen sublata, eidem pertinent tum redditus pro personalibus oneribus satisfaciendis, tum reliqui qui superfuerit, satisfactis oneribus realibus atque administrationis expensis: per subtractionem enim administrationis non aufertur titulus sive legati sive Beneficii, ibid.

Capellaniae laicale* quoad bona.

Bona capellaniarum laicalium ecclesiastica dici non possunt, eo videlicet sensu, quo ecclesiastica dicuntur bona Beneficiorum, Episcopatuum, ecclesiarum, monasteriorum et quae eisdem accedai»*- et incorporetur, pag. 477.

Capellaniae
quoad collationem et onera.

Causae matrimoniales.

Exemptionis privilegia.

Indulgentiae.

Iubilationis indultum.

Legata quoad Franciscales.

Legata quoad mutationem.

Legata quoad sepulturam.

Lex civilis.

Libri parochiales.

Litterae dimissoriae et testimoniales.

Martyrologium Romanum.

Matrimonia quoad impedimenta.

Matrimonia mixta.

Matrimoui um quoad Decretum Tridentinum.

Eiusmodi causae canonicae hoc generali principio continentur, Missam iterari posse ac debere, si alia ratione consuli non possit populo ius et officium habenti audiendi Missam diebus festis, pag. 567.

indicium de harum causarum existentia non »d Parochos vel Presbyteros pertinet, sed ad Episcopum seu Ordinarium, a quo venia ite^ndi Missam obtinenda est ne abusos oriatur, pag. 567.

Haec quae ex communi iure derivant communia quoque sunt Ordinariis Missionum independenter a facultate, quam habent, per S. Congregationem fidei propagandae praepositam, ibid,

Quare cum Ordinarii Missionum habeant facultatem a S. Sede delegatam iterandi vel iterari faciendi Missam suis Missionariis, per eiusmodi facultatem intelligi non potest coercitum id quod ipsis iure communi iam sit concessum: sed per eam, id quod iure communi sit omnibus Ordinariis concessum, ad alios quoque casus protenditur, ibid.

Tnde gravissimae clausulae facultati adiectae non alia de causa intelligendae sunt appositae , quam *vt* evitaretur facultatis abusus, ibid.

Abusus autem deest, quoties ille , qui facultatem habet, arbitrio boni viri, rebus pensatis, iudicet Missam iterari necessarium esse seu valde utile, pag. 568.

Eiusmodi necessitas moralis ex variis titulis oriri potest, idest ex iustitia (saltem in locis in quibus paroeciae canonice sunt erectae) ne populus Missa diebus festis defraudetur; ex caritate, ne populus cogatur summis incommodis ad audiendam Missam, ne praecipuo solatio privetur ad christianam pietatem fovendam, ne scandalum oriatur et similia, pag. 568.

Ea necessitas, quae ex iustitia oriatur, adeo vincere videtur prohibitionem iterandi Missam, ut non tantum bis dici Missa possit ac debeat eodem die, sed etiam ter vel quater si alia ratione consuli non possit populi necessitati, ibid.

Prohibita nihilominus est Missae iteratio si Presbyter ieiunus esse cessaverit, pag. 568.

Ordinatio sacra.

Quamvis adsint Beneficia ecclesiastica quae >b peculiarem suam indolem non existimantur idonea ad rite constituendum titulum s. Ordinationis ; non exinde tamen semper concludi potest ea idonea non esse, ut Clericus, qui aliquod ex huiusmodi Beneficiis pacifice possideat, non evadat subditus ratione s. Ordinationis Episcopo in cuius dioecesi tale Beneficium possideat, p. 510.

Non iisdem enim legibus utraque res regitur; quum Beneficium, quo aliquis fit subditus alieno Episcopo, sequatur leges in Constitutione Innocentii XII constitutas, et Beneficium ad titulum s. Ordinationis alias canonicas normas sequatur, ibidem.

Clericus, qui Beneficium sufficiens in aliena dioecesi obtineat atque pacifice possideat, eo ipso evadit subditus causa s. Ordinationis, huius quoque Episcopi, ita ut possit ab huius dioecesis Episcopo ordinari sine litteris dimissoriis Episcopi proprii domicilii, ibid.

Non potest tamen ab hoc Episcopo ordinari sine litteris testimonialibus Episcopi tam originis quam domicilii, 510.

Ordo sacer quoad nullitatem.

Causae, quae moventur de nullitate sacrorum Ordinum susceptorum ob vim et metum, considerari possunt et solent sub duplici respectu: a) sub respectu validitatis Ordinis in se considerati: *b)* sub respectu onerum, quae ex ecclesiastica lege sunt cuique Ordini adnexa, pag. 94.

Multo difficilius probari potest in foro externo nullitas Ordinis in se considerati, quum ostendi debeat voluntas positive contradicens in actu sacrae Ordinationis, ibidem.

Facilius potest demonstrari nullitas onerum, quae ex ecclesiastica lege Ordini sint adnexa, ibidem.

Eiusmodi tamen demonstratio eiusdem generis est, ac illa, quae exigitur in causis matrimonialibus vel professionis religiosae vi metuque emissae, ibidem.

Probata coactione, quae in constantem virum vel in constantem iuvenem cadere possit, quaeque directe fuerit illata ad Ordinem suscipiendum, onera sacro Ordini adnexa ipso iure censentur nulla absque dispensationis ope, ibid.

Parochus quoad sodalitates.

Decretum S. Congregationis SS. Rituum, editum anno 1703 ad obtruncandas et eli-

PROBATIO FACTORUM.

PROPOSITIONES IURIS PUBLICI
ECCLESIASTICI REPROBATAE
ATQUE DAMNATAE.

PROPOSITIONES TENENDAE
DE ECCLESIA DEQUE CIVILI R. PONTIFICIS
PRINCIPATU.

potiorem principalitatem, necesse est omnem ecclesiam convenire, pag. 166.

Civilis Principatus Romanae ecclesiae licet suapte natura temporalem rem sapiat, spiritualem tamen induit indolem vi sacrae quam habet destinationi» et arctissima illius vinculi quo cum maximis rei christianae rationibus coniungitur, pag. 166.

Ter usurpationem ditionis Pontificiae grave quoque admittitur sacrilegium, pag. 168.

Ditiones S. Sedis non ad alicuius regalis familiae successionem sed ad omnes catholicos pertinent, pag. 163 et 164, et earumdem tutela pariter ad omnes pertinet catholicos, pag. 165, et Ecclesiae filii suam impendere debent auctoritatem, pag. 167, ceterique Principes, pag. 175.

Cuiusque Europae Principum vel maxime interest, Romanum Pontificem plenissima frui libertate, qua Catholicorum conscientiae in eorumdem Principum ditionibus commorantium tranquillitati rite consultum sit, p. 161.

Nulli civili Gubernio denegari potest ius cooptandi in suas copias exteros homines: maxime vero Pontificio Gubernio ad Ecclesiae defensionem, quum Pontifex sit fidelium omnium Pater, pag. 171.

Propositiones historicae d© eiusdem Principatu.

Civilis Principatus Romanae Ecclesiae Romamque Pontificis caelesti quadam rerum dispensatione et vetusta per tot iam continentia saecula possessione ac iustissimo quovis alio optimoque iure comparatus est, et communi omnium populorum et Principum vel acatholicorum consensione uti sacrum inviolatumque Beati Petri patrimonium semper est habitus ac defensus, pag. 159.

Historia luculentissime testatur, civile regimen per Romanos Pontifices gestum nihil impedire, quominus ea omnia perfici queant, quae ad temporalem quoque populorum felicitatem conducunt, pag. 166.

Consilia, molitiones et fraudes eorum, qui temporalem Romanae Ecclesiae dominationem convellere exoptant, eo tendunt ut, Romana Ecclesia suo spoliata patrimonio, Apostolicae Sedis, Romanique Pontificis dignitatem maiestatemque déprimant, pessun" dent, et liberius sanctissimae Religioni maxima quaeque damna ac teterrimum bellum inferant ipsamque. si fieri umquam posset, funditus evertant, pag. 160.

Conatus multiplicis generis ad convellendum civilem Principatum, Deo Ecclesiam «uam adiuvante, in irritum serius ocius semper ceciderunt, pag. 166.

Propositiones de officio B. Pontificis ad civilem Principatum sartum tectumque servandum.

Officium Apostolici muneris est, solemnique etiam iuramento urgente, prospicere summa vigilantia incolumitati Religionis, ac iura et possessiones Romanae Ecclesiae omnino integras inviolatasque tueri, et Sanctae Sedis libertatem, quae cum universae Ecclesiae utilitate est plane coniuncta, asserere et vindicare, ac proinde ipsius principatum defendere, quo ad liberam rei sacrae in toto terrarum orbe procurationem exercendam Divina Providentia Romanos Pontifices donavit illumque integrum et inviolatum Pontificibus successoribus transmittere, pag. 160.

Romanus Pontifex non potest aliis cedere Pontificias ditiones, quin aliena cedat, quin iuramentum violet, et in praesenti rerum conditione, quin infirmet aliorum Principum iura et quin perniciosissima quaedam principia admittat, pag. 163.

SSmus D. N. declaravit: Eius mentem, propositum, voluntatem esse omnia S. Sedis dominia eiusdemque iura integra, intacta, inviolata retinere atque ad Eius Successores transmittere, pag. 143.

Item quamcumque eorum usurpationem tam modo quam antea factam, iniustam, violentam, nullam irritamque esse declaravit, omniaque perduellium et invasorum acta, sive quae hactenus gesta sunt, sive quae forsitan in posterum gerentur ad praedictam usurpationem quoquomodo confirmandam ab eo nunc pro tunc damnantur, cassantur, et abrogantur, pag. 143, 160.

Item declaravit, usurpatores et invasores quarumcumque S. Sedis Provinciarum, et quoscumque cooperatores in maiorem excommunicationem incidisse aliasque canonicas poenas, pag. 143; 160, et expressius, pag. 169.

Item declaravit ac protestatus est coram Deo et univeiso Orbe catholico, se in eius-

modi captivitate versari, ut supremam pastoralem auctoritatem, tuto, expedite ac libere minime exercere possit, pag. 143.

Item declaravit, se paratum esse aspera quaeque et acerba perpeti, ac vel ipsam animam ponere, antequam Dei, Ecclesiae ac iustitiae causam ullo modo deserat, p. 164, 157.

Iterum palam aperteque edixit ac declaravit: « Nos memores officii Nostri et solemnis iurisiurandi quo tenemur, nulli umquam cenciliationi assentiri vel assensum praestituros , quae ullo modo iura nostra atque adeo Dei et Sanctae Sedis destruat vel imminuat: itidemque profitemur: Nos paratos quidem divinae gratiae auxilio, gravi Nostra aetate, usque ad faecem pro Christi Ecclesia calicem bibere , quem Ipse prior bibere pro eadem dignatus est, numquam commissurus, ut iniquis postulationibus, quae Nobis offeruntur, adhaereamus atque obsecundemus.» pag. 143 et 145.

Propositiones catholicae spei.

« Certi sumus, divinis suis promissis non defuturam Eum, qui, faciens mirabilia, ostendet aliquando, tantam tempestatem non ad Ecclesiae navem demergendam, sed ad eam altius attellendam fuisse excitatam, p. 185.

« Ipse *(Deus)* est, qui charitatis vinculo inter Be, et cum hoc catholicae veritatis et unitatis eentro coniungit sacrorum christiani orbis Antistites. Ipse super omnes catholicas gentes effundit spiritum precum, et acatholicis aequitatis sensum inspirat, ut rectum de hodiernis eventibus ferant iudicium. Haec autem tam mira in universo catholico orbe precum consensio, tamque unanimes erga Nos amoris significationes, tot sane variisque modis expressae Cquod in anteactis aetatibus haud facile queat inveniri) manifestissime ostendunt, quemadmodum hominibus recte animatis opus omnino sit tendere ad hanc Beatissimi Principis Apostolorum cathedram, lucem terrarum orbis, » pag. 180.

Rebellio.

Falsa aeque ac perniciosa sunt principia quibus populo suadetur rebellio contra legitimos principes, pag. 147, 167, quaeque totius humanae societatis fundamento evertunt, pag. 168.

Principium de non interventu funestura ac perniciosum, pag. 174.

Regularis quoad bonorum renunciationem.

Generatim renunciatio bonorum sive in genere sive 'in specie ante professionem solemnem facta non praesumitur, sed probari luculenter debet, pag. 404.

Renunciatione autem bonorum non facta, bona Religiosi professi ipso iure monasterio cedunt, si monasterium ius possidendi habeat, ibid.

Idem verum est, sive agatur de bonis actu ad Professum pertinentibus, sive de bonis adventitiis vel in spe positis, ibid.

Regularis quoad saecularizationem.

Professus e religione exiens per saecularizationis Indultum atque proinde a potestate supernorum Regularium solutus, iure fere postliminii, suam iuridicam personalitatem recuperat ad vindicanda coram civili lege ea iura sanguinis et successionis, quae aliis non fuerint antea quaesita, pag. 404.

Usum tamen et proprietatem bonorum habere non potest ob votum quod ei obstat paupertatis; quum illud firmum maneat etiam post saecularizationis Indultum, ibid.

Quare ad usum habendum bonorum, quae honestam sustentationem excedant, nec non ad facultatem de bonis disponendi, praesertim per testamentum , necessaria Regulari saecularizato sunt alia Pontificia Indulta; quae esse videntur quaedam partiales dispensationes super voto paupertatis, quaeque strictae sunt interpretationis, ibid.

Scapularia quoad facultatem benedicendi et adscribendi.

In facultatibus concessis ab Apostolica Sede benedicendi piis Scapularibus, comprehensa intelligitur facultas quoque ea imponendi et sodalitiis adscribendi, pag. 334.

Facultas enim Scapularibus benedicendi, tum ex mente eam postulantis, tum ex mente concedentis, ea intentione quaeritur et conceditur, ut plenus actus in piam sodalitatem oooptaAdi Confratres expleri possit, ibid.

Sepultura quoad electionem.

Sponsalia.

Traditio historica quoad cultum.

ditionis tam valida iure meritoque existimari debet, tit destructa non censeatur, nisi argumenta afferantur quorum vis declinan non possit, ibid.

Immo legibus logices praelucentibus, neque peremptoria contraria argumenta destruere possent omnem impugnatae traditionis extensionem et amplitudinem; sed tantum destrae reut-, quantum falsum aut corrigendum esse ostenderent, ibid.

In huiusmodi enim criticis disquisitionibus eaedem sapientes leges valere dicendae sunt, quas, in iuridicis disquisitionibus de bonorum iuriumque possessione, Romanae leges tradiderunt, ex quibus principium deri' vavit: melior est conditio possidentis, p.81,82

IMPRIMATUR
Fr. MARIANUS SPADA ORD. PRAED. S. P. A. MAGISIFTG.

CONSTITUTIO

QUA

CENSURAE LATAE SENTENTIAE LIMITANTUR

DOCUMENTIS OMNIBUS MUNITA

CENSURISQUB TRIDENTINIS AUCTA

NONNULLIS ILLUSTRATA COMMENTARIIS

EX LATINIS EPHEMERIDIBUS, QUIBUS TITULUS

ACTA SANCTAE SEDIS

EXCERPTA.

EDITIO SECUNDA NOVIS DITATA COMMENTARIIS

STUDIO ET CURA

PETRI AVANZINI ROMANI PRESBYTERI

PHILOSOPHIAE, THEOLOGIAE ET UTRIUSQUE IURIS DOCTORIS.

ROMAE

TYPIS S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE

SOCIO EQ. PETRO MARIETTI ADMIN.

MDCCCLXXL

PRAEFATIO

Sanctissimus Dominus Noster per Constitutionem, quam iterum, ea ratione qua possum, sum expositurus, reipublicae christianae consuluit, ut planior et certa tum Sacrorum Antistitibus tum Confessariis redderetur via, ne vagari cogerentur per innumeros et difficiles censurarum, quae generatim inflictae sint, anfractus.

Quod quisque non solum diserte significatum declaratumque legit in ea Constitutione, sed aperte quoque colligit ex ipsa abscissione et abrogatione facta multarum censurarum. Namque harum rerum peritis perspectum est, quot auctores quantumque de censuris scripserint, quot per lapsum saeculorum latas collegerint vel allegaverint, manente nihilo secius legentium animo saepenumero in dubietate pcrplexo, utrum nec ne, sive per non usum, sive per cessationem linis ob quem inflictae essent, sive ob ?erum super venientium mutationem cessaverint.

Licet autem, ut dixi, via planior et certa per eiusmodi limitationes Confessariis praesertim, quoad substantiam, sit reddita, non tamen est putandum, simplicem hanc Constitutionem Peritorum commentariis interpretationibusque locum non dare. Hoc enim est proprium omnium legum, etiam sapientissimarum, ut quando de earum applicatione agitur, viam facile aperiant dubitationibus atque disquisitionibus pro casuum adiunctorumque varietate. Exemplo sint vetustissimae Romanae Leges, tum quae duodecim tabularum appellantur, tum ceterae quae sunt consecutae: hae enim licet pro veterum Romanorum more sapienter concinnarentur, nihilominus adeo Prudentum interpretationibus auctae fuerunt, ut iustinianus Imperator,

suo tempore manum apponens ad Pandectas concinnandas per Tribonianum, scriptum reliquerit: *Maximum opus aggredientes, ipsa vetustatis studiosissima opera iam paene confusa et dissoluta eidem viro excelso* **(Triboniano)** *permisimus tam colligere, quam certo moderamini tradere. Sed eum omnia percontabamur a praefato viro excelso suggestum est, duo paene millia librorum esse conscripta et plus quam tricies centena millia versuum a veteribus effusa, quae necesse esset omnia et legere et perscrutari, et ex his quod optimum fuisset eligere. Quod caelesti fulgore et summae Trinitatis favore confectum est secundum nostra mandata.*

Plena huius Constitutionis explanatio magis pertinet ad rerum moralium peritos, qui iuxta recepta prudentiae moralis principia ad minima usque descendentes interpretentur: immo, rebus inspectis, de quibus Constitutio agit, quae novae non sunt, earum interpretatio maxima ex parte iam facta censeri debet, per ea quae de iisdem rebus iam tradiderunt Doctores probatique Auctores: nihilominus quum sit nova lex quoad formam, quaeque simul limitationes induxit, et nonnulla quoque de novo auxit, interpretationes et explanationes necessario admittit, quas frustra penes Auctores quaereres.

Nec praetereundum est, rem facilem haud esse, legem novam (quamquam novae non sint res de quibus Constitutio agit) explanare ct interpretari; idque duplici praesertim de causa: 1* est, quod nova lex, ideo quia nova nullam determinationem per usum est assequula: 2* quia facile potest contingere, ut interpretatio a privatis data, sit praeter vel contra mentem legislatoris, ex eo quod legislator non omnes praevidens casus in condenda lege, quibus intelligi a subditis potest, non omnibus casibus per latam legem prospexit, sicut prospexisse si praevidisset. Unde saepe contingit, ut post aliquam datam Constitutionem subsequantur novae authenticae declarationes, quae et usum determinant, et mentem legislatoris uberius explanant.

Eiusmodi authenticae interpretationes sunt duplicis generis: aliae sunt simplices interpretationes datae iuxta consueta interpretandi principia, quae non differunt a privati auctoris interpretationibus nisi ratione auctoritatis. Sive enim ex. gr. S. Alphonsus ita legem interpretetur, sive S. Poenitentiaria, res in se est eadem, propterea quod eadem sunt principia quorum ope lex explanatur: est tamen diversa auctoritas; ob quam diversitatem interpretatio privati auctoris tantum valet quantum demonstrat; de interpretatione autem auctoritate facta non est quaerenda ratio. Quum autem eadem soleant esse interpretationis principia, iuxta eadem principia intelligi quoque debet authentica interpretatio.

Aliae praeterea sunt interpretationes seu explanationes authenticae, quae non tam legem interpretantur, quam mentem legislatoris, in lege non satis significatam, declarant: et ideo sunt interpretationes praeter legem, et habent rationem novae legis; quae quidem interpretationes, quamvis non sint facile optandae, sunt tamen apprime servandae: pertinent enim ad eandem legem, quae, quum iam debitis formis promulgata sit, neque ipsa nova indiget promulgatione ob eiusmodi extensivas interpretationes, neque eaedem interpretationes promulgari solent tamquam nova lex : sufficit enim cognoscere eas ex eadem auctoritate quae legem condidit prodiisse, ut vim obligandi habeant.

Dixi: interpretatio privati auctoris tantum valet quantum demonstrat: id intelligendum est iuxta leges scientiae, non iuxta leges moralis prudentiae. Namque, iuxta moralis prudentiae leges, sententia privati auctoris, quin demonstretur, aut scientifice expendatur, potest identidem habere talem auctoritatem, ob rerum peritiam eiusdem auctoris quae sit cum probitate coniuncta, ut quisque, sententiae eiusdem auctoris acquiescens, prudenter agere dicendus sit. Qui autem prudenter agit bene recteque agit.

Haec agendi rectitudo ex eo oritur, quod ille, qui assentit auctori privato, rei de qua agit perito, habet rationabile motivum ei credendi, quod est eius perspecta peritia cum probitate coniuncta, et non habet rationabile motivum dubitandi, vel saltem non habet grave motivum aliter tenenda. Qui in hisce adiunctis privato auctoii assentit, eiusque opinionibus ducitur, prudenter, ideoque recte agit.

Quod si ita non esset, plurimi semper in scrupulis versaremur in omnibus propemodum fluctuantes. Eiusmodi prudentiae leges sunt, quae non tantum res conscientiae dirigunt, sed propemodum totum socialem vitam: non enim possumus habere omnium rerum, quibus indigemus, plenam cognitionem vel certitudinem: cognitionis autem vel scientiae vel certitudinis carentiam prudentia suppleat necesse est.

Cessaret autem esse prudentia, statim ac opinio, quam sequebamur, demonstrata esset vel falsa vel improbabilis, quo in casu esset deserenda; multoque magis deserenda esset, si sententiis e supremis S; Sedis tribunalibus opponeretur.

Haec ob eam causam adnotavi, quia non desunt, qui semper vellent in suis dubitationibus authenticum ab auctoritate responsum ; quasi vero prudentiae moralis leges cessassent, vel hae non essent satis ad recte agendum.

Sacra ipsa Poenitentiaria, quae est practicum S. Sedis tribunal,

quando proposita eidem dubia non censet sua auctoritate resolvere, petentes mittit ad prudentiae moralis leges, per responsum: *consulat probatos auctores.* Non enim semper expedit dubia quae proponantur auctoritate resolvere.

Neque sine causa Ecclesia in dioecesium constitutione voluit atque statuit in singulis dioecesibus Canonicum Poenitentiarium et Theologum, qui, tum ex scientia proprio studio acquisita, tum ex notitia auctorum, qui usu recepti in Ecclesia sint, quique ideo dicuntur *probati auctores,* tum ex consultatione virorum, qui in singulis dioecesibus scientia et prudentia praestent, duce Episcopo, valeant suas dare opiniones, quibus ceteri acquiescere prudenter possint.

In Constitutione exponenda hanc methodum sequar, ut quae brevi ratione dici possint sub singulis Articulis adnotem ; quae vero maiorem exigant disquisitionem in Appendices ad calcem Constitutionis reiiciam. Distinguami constanter authentica documenta, a meis opinionibus, per commata initio linearum apponenda.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

a Apostolicae Sedis moderationi convenit, quae salubriter veterum canonum auctoritate constituta sunt, sic retinere, ut, si temporum rerumque mutatio quidpiam esse temperandum prudenti dispensatione suadeat, Eadem Apostolica Sedes congruum supremae suae potestatis remedium ac providentiam impendat. Quamobrem cum animo Nostro iampridem revolveremus, ecclesiasticas censuras, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae ad incolumitatem ac disciplinam ipsius Ecclesiae tutandam, effrenemque improborum licentiam coercendam et emendandam sancte per singulas aetates indictae ac promulgatae sunt, magnum ad numerum sensim excrevisse ; quasdam etiam, temporibus moribusque mutatis, a fine atque causis, ob quas impositae fuerant, vel a pristina utilitate atque opportunitate excidisse ; eamque ob rem non infrequentes oriri sive in iis, quibus animarum cura commissa est, sive in ipsis fidelibus dubietates, anxietates, angoresque conscientiae; Nos eiusmodi incommodis occurrere volentes, plenam earundem recensionem fieri Nobisque proponi iussimus, ut, diligenti adhibita consideratione, statueremus, quasnam ex illis servare ac retinere oporteret, quas vero moderari aut abrogare congrueret. Ea igitur recensione peracta, ac Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus in negotiis Fidei Generalibus Inquisitoribus per universam Christianam Rempublicam deputatis in consilium adscitis, reque diu ac mature perpensa, motu proprio, certa scientia, matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura Constitutione decernimus, ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae hactenus impositae sunt, nonnisi illae, quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque

modo, 1 u o ínserimus, robur exinde habeant ; simul declarantes, easdem non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac Nostra Constitutione conveniunt, verum etiam hac ipsa Constitutione Nostra, non secus ac si primum editae ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere (1).

jjxeonMMUiitcatioiies **latae sententiae speciali** modo **Romano Pontifici reservatae.**

v Itaque excommunicationi latae sententiae speciali modo Roinani/ -Pontifici reservatae subiacere declaramus:

I.

n Omnes a christiana fide apostatas (2), et omnes ac singulos haereticos, quocumque nomine censeantur, et cuiuscumque sectae

(D Videsis Appendicem I in principio.

(2) Quaeritur utrum hac censura cum e U is omnibus effectibus iUaqueati exsistant jjli catholici, qui repulsa data catholicae fidei, riß dicunt *Liberos Oogitatores,* nullam religionem profitentes.

Resp. Puto sub hac censura comprehendi.

Animadvertendum est, omnes qui a catholica fide pertinaciter recedunt, suo iudicio ge damnare, et ipso facto ab Ecclesiae unitate segregato* esse, iuxta praeclaram illam theologicam dicendi rationem, quae legitur in Bulla dogmatica de Immaculato Virginis Conceptu his verbis : *Quapropter si qui secus ac a Nobis definitum est, quod Deus avertat* PRAESUMPSERINT CORDE SENT TRE , *ii noverint ac porro sciant,* SE PROPRIO IUDICIO CONDEMNATUS NAUFRAGIUM CIRCA FIDEM PASgOS ESSE ET AB UNITATE ECCLESIAE DEFECISSE. Haec verba repetenda sunt iis omnibus, qui aliquem articulum fidei ab Ecclesia vel ab eius Capite propositum pertinaciter denegaverat, multoque magis qui plures fidei articulos vel etiam totam .Revelationem aperte repudiaverint. *Videsis Appendicem IT.*

Sed dubitatio aliqua moveri potest, ntruu *Liberi Oogitatores* comprehendantur „ub verbis huius censurae, ita ut subiiciantur moribus huius censurae eifectibus, puta, quod absolutio eis davi non possit sine speciali Romani Pontificis auctoritate ; quod omnes eorum receptatores, fautores et defensores pari censura mulctentur, quod eorum libri haeresim propugnantes eo ipso sint sub eadem censura prohibiti, quod mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae eosdem, qui notorii fuerint, sint eo ipso excommunicati', quod subiiciantur ceteris poenis canonicis, quae per hanc Constitutionem non sunt abrogatae, quaeque antiquitus multae erant, easque recensent Canonistae sub titulo *de haereticis;* quamquam aliquae in desuetudinem certo abierunt.

In hoc itaque quaestio consistit, si quaestio appellari potest; dici namque posset, *Liberos Oogitatores* stricto sensu non appellari haereticos, quum non christiano nomine, quod repudiarunt, suos errores sustineant: et sub aliquo sensu fortasse non appellari apostatas, si nomine apostatarum intelligi velint, qui ad superstitionem sive Iudaeorum sive Mahometanorum sive Ethnicorum transierint. Ipsi enim sunt absolute increduli, qui omnem fidem religionemque pertinaciter répudiant.

Sed his obiectis facilis est responsio; comprehendxintur enim aperte sub verbis *Apostatas u christiana fide:* nihil enim ipsis deest cur non comprehendi dici possint, quum Christiani sint, saltem per susceptum bapti-

exsistant, eisque credentes (1), eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet illorum defensores.

II.

n **Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros eorundem apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris per Apostolicas litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendentes** (2).

smura, et a christiana fide penitus abscesserint, in quo proprie consistit Apostasia a christiana fide, quin necessarius sit terminus superstitionis ad quem accedant. *Videsis Appendicem I §. Haec Bulla.*

(1) Quaeritur in quo consistat discrimen inter haereticos et inter eorum credentes.

Ad intelligendum hoc discrimen recolenda est huius censurae historia. Innocentius III in Synodo Lateranensi IV excommunicavit omnes haereticorum sectas eius temporis,quae variis multisque nominibus appellabantur per haec verba: *condemnantes haereticos universos, quibuscumque nominibus censeantur, facies quidem diversas habentes, sed caudas ad invicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in idipsum.* Atque praeter excommunicationem, multas canonicas poenas adiecit *cap. 13 de haereticis:* deinde, secundo veluti loco, subiunxit: *credentes praeterea, receptatores, defensores et fautores haereticorum excommunicationi decernimus subiacere.* Hi, constituebant secundam veluti classem, quum ad haereticorum sectas formaliter non pertinerent, puta, quia cooptati non erant in sectas haereticorum. Postea ad dubium exortum Gregorius IX in *cap. 15 de haereticis* respondit: *credentes autem eorum erroribus haereticos similiter iudicamus.* Id fuit repetitum a subsequentibus Romanis Pontificibus. NihUominus quamvis et hi ut haeretici iudicarentur, non omnes tamen canonicas poenas subibant, ut illi, qui ad haereticas sectas formaliter pertinerent.

Credentes itaque sunt illi qui adhaereant damnatis haereticorum erroribus, quamquam ad sectas haereticorum formaliter non pertineant: possunt esse aut haeretici proprie dicti, aut non omnino haeretici, si actio externa credendi non sit coniuncta cum animi pertinacia in erroribus; quo in casu essent potius haereticorum sequaces quam haeretici, quo sensu hic accipiuntur. *Videsis Appena. I.*

(2) Libri in prima parte huius Articuli sub censura psohibiti tres praeseferre debent conditiones, quarum prima, ut sint apostatarum vel haereticorum; altera vero haeresim contineant; tertia eandem haeresim propugnent: quaeritur, utrum libri eorum qui credant apostatis et haereticis de quibus sermo est in primo Articulo, vel fautorum et defensorum, si haeresim propugnent, sint sub hac censura comprehensi.

Respondeo: non videntur comprehendi: ratio est quia prohibentur libri eorum haeresim propugnantium, qui pertinent ad primam classem, videlicet eorum, qui duces sunt apostatarum et haereticorum, vel qui ad eorum sectas formaliter pertineant.

Quaeritur, an libri apostatarum et haereticorum, in quibus haeresis simpliciter traditur, quin propugnetur, sub hao censura comprehendantur.

Resp. Non comprenduntur sub hac censura, quum requiratur haeresis propugnatio.

Quaeritur, an ephemerides seu diaria eorundem haeresim propugnantia sub ea censura sint prohibita.

Respondeo: non videntur sub ea censura prohibita; quia diaria, quousque folia manent per se îompleta, non veniunt sub nomine librorum.

Quoad secundam partem Articuli, quaeritur, utrum per verba *Apostolicas Litteras,* intelligantur Decreta Indicis librorum prohibitorum.

III.

» Schismatico?, et eos, qui a Romani Pontificis pro tempore exsistentis obedientia pertinaciter se subtrahunt vel recedunt (1).

IV.

» Omnes et singulos, cuiuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore exsistentium ad universale futurum Concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit (2).

V.

» Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae Legatos, vel Nuncios, aut eos a suis Dioecesibus, Territoriis, Terris, seu Dominiis eiicientes, nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem (3).

Eesp. Non intelliguntur Decreta Indicis: Apostolicae enim litterae sunt quae nomine Romani Pontificis immediate prodeunt sive in forma Brevis sive in forma Bullae, vel alia quavis forma. Animadvertendum quoque est, libros, qui per litteras Apostolicas prohibentur, prohiberi solere propter haeresim. *Videsis quoque Appendicem III.*

(X) Praeter notos schismaticos, comprehenduntur sub hac censura etiam illi, qui *pertinaciter se subtrahunt vel recedunt:* quare 1" non comprehenduntur illi qui simpliciter non obediant, quum esse debeant pertinaciter rebelles ab obedientia: 2" non est tamen necessarium, ut sint rebelles ab auctoritate S. S«dis universim sumpta; sed sufficit, ut sint rebelles ab obedientia «ius personae quae actu B. Petri Sedem legitime occupat.

Quaeritur: Comprehenduntur ne sub hae censura illi catholici liberales, ut aiunt, qui, repulsa data legibus et mandatis Romani Pontificis, sese publice gerunt tamquam solutos ab eius obedientia, licet nulli alii ecclesiasticae auctoritati adhaereant vel nullam auctoritatem constituere conentur?

Puto comprehendi: quia et hi sunt vero sensu rebelles ab obedientia exsistentis Romani Pontificis. Conditio autem ut alicui auctoritati schismaticae adhaereant vel eam constituere conentur, ut schismatici faciunt, non requiritur, quum satis sit ab obedientia pertinax recessio.

(2) Habes exemplum in specie considsratum et extensione personarum auctum de pertinaci recessioni ab obedientia R. Pontificis. *Videsis Appendicem I.*

(3) Quoniam exempla, quae ostendunt quomodo Constitutio aliqua fuerit exsecutioni mandata, ad eius intellectionem maxime conferunt, ideo refero in Appendice IV Constitutionem Clementis X, quae incipit, *Cum sicut,* diei 5 Decembris 1672, de Patriarcha Antiocheno, qui Romae fuerat vulneratus. Haec Constitutio est applicatio huius Articuli ad factum: hic enim Articulus ipsis fere verbis exscriptus est ex Bulla Coenae ad quam appellavit Clemens X in dicta Constitutione *Cum sicut.*

VI.

» Impedientes directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum saeculare, eiusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem praestantes (1).

(1) Quaeritur, au particula *et* sit copulativa, ita ut incisum *et ad hoc recurrentes* etc. sit alia necessaria conditio , quae concurrere debeat ut *Impedientes* hac censura innodati exsistant: vel potius particula *et* habeat vim disiunctivam, et significet *aut.*

Eesp. Particula *et* habet vim disiunctivam, ita ut significet alteram classem eorum, qui pariter sub eadem censura sunt comprehensi.

Hoc ex eo evincitur, quod hic Articulus, quamquam aliquatenus immutatus et valde laconice scriptus, ita in Bulla Coenae erat expressus: <• *Nec non* (excommunicamus) *qui Archiepiscopos, Episcopos aliosque superiores et inferiores Praelatos et omnes alios quoscumque Iudices ecclesiasticos ordinarios quomodolibet hac de causa directe vel indirecte carcerando vel molestando eorum aa entes, procuratores, f amiliares, nec non consanguineos et affines, aut alias, impediunt quominus sua iurisdictione ecclesiastica contra quoscumque utantur, secundum quod cañonea et sacrae constitutiones ecclesiasticae et Decreta Conciliorum generalium et praesertim Tridentini statuunt;* AC ETIAM EOS, *qui post ipsorum Ordinariorum vel etiam ab eis delegatorum quorumcumque sententias et Decreta, aut alias fori ecclesiastici iudicium eludentes, ad Cancellarias et alias Curias saeculares recurrunt, et ab illis prohibitiones et mandata etiam poenalia Ordinariis et delegatis praedictis decerni et contra illos exsequi procurant; eos quoque qui haec decernunt et exsequuntur, seu dant auxilium, consilium , patrocinium et favorem in eisdem. »*

Ex quibus clare apparet, Articulum, de quo agimus, exprimere substantiam Articuli Bullae Coenae quamquam paucis verbis : ad substantiam Articuli Bullae Coenae pertinet distinctio quae fit, inter eos, qui impediunt iurisdictionis ecclesiasticae exercitium, et eos qui eludunt effectum eiusdem iurisdictionis per recursum ad laicum tribunal.

Praeterea idem evincitur ex ipso contextu Articuli Constitutionis *Apostolicae,* quum illi qui impediunt exercitium iurisdictionis, alii esse soleant et maioris potestatis, quam illi, qui recurrunt ad forum saeculare ad impediendum iurisdictionis effectum.

Item quaeritur, utrum sub verbo *edentes* intelligatur tertia classis eorum, qui sub hac censura comprehenduntur, quique alii sint a *procurantibus mandata.*

Eesp. Affirmative. InteUigitur enim Iudex vel quisquis alius saecularis fori, qui mandata edant, quae impediant iurisdictionis ecclesiasticae exercitium: id ostenditur quoque ex expositis verbis Bullae Coenae, *qui haec decernunt,* quae verba respondent verbo *edentes.*

Quaestio praeterea erat inter interpretes Bullae Coenae, utram ad incurrendam eiusmodi censuram satis esset recurrere ad Curias saeculares, etiamsi a Iudice laico nihil obtineretur, vel opus esset, ut mandatum seu prohibitio contra Iudices ecclesiasticos obtineretur, et etiam exsecutioni mandaretur. Prima sententia recepta fuerat a Sacris Congregationibus , quarum praxis haec est, ut quoties in causis iudicandis noscant, aliquem contra auctoritatem Ordinarii recurrisse ad laica tribunalia, indicere soleant eiusmodi recurrenti: *consulat conscientiae suae ob recursum ad laicum tribunal.* Ceterum hodie haec quaestio moveri amplius non potest, quum in Articulo Constitutionis non alia verba reperiantur, quam, *recurrentes ad forum saeculare eiusque mandata procu» runt es.*

VII.

» **Cogentes sive directe, sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones (1) : item edentes leges vel Decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae (2).**

(1) **Quaeritur, utrum iudices laici, qui ex officio imposito per leges sive Regni sive Imperii, quae sunt contra ecclesiasticas sanctiones (ut in praesenti societatis civilis ordine usuvenit), ad suum tribunal personas ecclesiasticas trahant, ut dicto suo officio fungatur, in eiusmodi censuram incurrant.**

Huic quaesito vix respondere audeo. Dicam tamen, in Articulo Bullae Coenae eiusmodi formulam fuisse ita expressam: excommunicamus eos « *qui* EX EORUM PRAETENSO OFFICIO, *vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcumque,personas ecclesiasticas, Capitula, Conventus, Collegia ecclesiarum quarumcumque coram se ad suum tribunal, audientiam, cancellariam , consilium vel parlamentum, praeter iuris canonici dispositionem trahunt vel trahi faciunt vel procurant, directe vel indirecte quovis qioaesito colore.»* Comparatione facta inter utriusque Articulum, apparet, Articulum Bullae Coenae fuisse valde coercitum, habita certe ratione conditionis praesentis societatis. Revera, qui iudicis officio funguntur, identidem sine gravi iactura abstinere non possunt a declinandis eiusmodi legibus Regni contra immunitatem ecclesiasticam latis ; ideoque multo magis rei sunt, qui, haec noscentes, aliqua ratione cogant Iudicem laicum ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas , quam Iudices, qui ex praetenso officio eos trahere cogantur. Ceterum heic agitur de poena excommunicationis, quae potest deesse, quamvis actio sit et maneat illicita. Iudices autem laici, qui sciant, se non posse iudicare Clericos (hi enim exempti sunt a potestate laica ob ecclesiasticam immunitatem, quae a iure divino dérivât, eamque Tridentina Synodus *Dei ordinatione ei cinonicis sanctionibus constitutam* dixit)^ suae conscientiae consulerent, si facultates ab Apostolica Sede ad iudicandas personas ecclesiasticas obtinerent.

Per verba, *praeter canonicas dispositiones,* alluditnr ad Concordata Regni vel Imperii cum Apostolica Sede, quae in vigore permaneant: et sub iisdem verbis alluditur quoque ad casum, quo aliqua persona ecclesiastica rite degradata fuerit, et laico iudici punienda tradita: item ad ceteros casus: quando ex. gr. persona ecclesiastica trahat in iudicium laicas personas: namque persona ecclesiastica sistere se potest in laico iudicio in causa non ecclesiastica, *tamquam actor;* sed ipsa trahi non potest *tamquam reus.* De hac re copiose scribunt Canonistae.

(2) Haec secunda Articuli pars compre^hendit leges *de Regio placito, de Regio exequatur* aliaque vincula quocumque appellentur nomine ; nec non Decreta omnia, quae libertatem Ecclesiae laedant vel iura ecclesiarum. Hic Articulus sic erat expressus in Bulla Coenae « *Nec non* (excommunicamus) *qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quaevis alia Decreta, in genere vel in specie, ex quavis causa et quovis quaesito colore, ac etiam praetextu cuiusvis consuetudinis aut privilegii, vel alias quomodolibet fecerint et ordinaverint et publicae erint, vel factis et ordinatis usi fuerint,* ONDE LTBEBTAS ECCLESIASTICA TOLLITUR, *seu* IN ALIQUO LAEDITUR, *vel* DEPRIMITUR, *aut alias* QUOVIS MODO RESTRINGITUR, *seu nostris et dictae Sedis ac quorumcumque ecclesiarum iuribus quomodolibet* DIRECTE VEL INDIBECTE TACITE VEL EXPRESSE PRAEIUDICATUR.»

Articulus Bullae clare explicat verba Constitutionis; notandum tamen est, sub Articulo Constitutionis, comprehendi tantum *edentes,* et non ceteros; idest comprehenduntur auctores Legum et Decretorum.

vm.

» Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab eiusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta, eorumque promulgationem vel exsecutionem directe vel indirecte prohibentes , aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios laedentes vel perterrefa cien tes (1).

IX.

n Omnes falsarios litterarum Apostolicarum , etiam in forma Brevis ac supplicationum gratiam vel iustitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S.R.E. Vice-Cancellarios seu Gerentes vices eorum aut de mandato Eiusdem Romani Pontificis signatarum : nec non falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes huiusmodi sub nomine Romani Pontificis seu Vice-Cancellarii aut Gerentis vices praedictorum.

X.

n Absolventes complicem in peccato turpi, etiam in mortis articulo, si alius Sacerdos, licet non adprobatus ad confessiones, sine gravi exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem (2).

Œ Hic Articulus triplex personarum genus complectitur: I° *Recurrentes* ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica vel ab eiusdem Sedis Apostolicae Legatis ac Delegatis quibuscumque profecta.

2" Prohibentes directe vel indirecte eorundem actorum promulgationem vel exsecutionem.

3" *Laedentes* vel *Perterrefacientes* partes ipsas , idest personas , quae Rescriptum aliquod sive gratiae sive iustitiae a S. Sede vel eius Legatis obtinuerint, aut sententiam aliquam sibi favorabilem etc. vel Laedentes aut Perterrefacientes *alios,* puta patrocinatores earundem partium causa actorum obtentorum, aut exsecutores, ve' personas ad quas acta obtenta aliqua ratione referantur. Haec omnia non raro locum habent in locis in quibus viget *Regium placitum val Regium exsequatur,* vel *Regulae Organicae, etc,* exemplum habes in latinis ephemeridibus *vol. IV pag. 147 in nota.*

(2) Sanctissimus D. N. pecuHari generalique Decreto per S. U. Inquisitionem edito feria IV die 17 Iunii 1866 edixit : « *In facultatibus, quibus Episcopi aliique locorum Ordinarii ex concessione Apostolica pollent absolvendi ab omnibus casibus Apostolicae Sedi reservatis excipiendos semper in posterum , et exceptos habendos esse, casus reservatos in Bulla Benedicti XIV, quae incipit:* Sacramentum poenitentiae. » Hoc Decretum vero omnibus ubique terrarum Ordinariis praedicta absolvendi facultate donatis absque ulla exceptione significandum mandavit. Duo autem sunt casus reservati in hac Constitutione; idest casus Sacerdotis *atten—*

XI.

» Usurpantes aut séquestrantes iurisdictionem, bona, redditus, ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut Beneficiorum pertinentes (1).

XIX

***n* Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios Civitates, Terras, loca aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam iurisdictionem in eis;**

tantis absolutionem personae complicis in materia turpi, et casus personae cuiuscumque sexus *falso denunciantis* Sacerdotem aliquem de sollicitatione. Verum primus casus in superiori articulo commemoratur ob censuram adiectam; secundus autem reservatus manet sine censura, et fere unicus hodie dici potest casus S. Sedi reservatus sine censura.

(1) Quaeritur, utrum illi, qui bona ecclesiastica usurpata ab usurpatoribus accipiant per aliquem contractum , comprehendantur sub hac censura.

Resp. Non comprehenduntur. Ratio est, quod quamvis illi, qui, noscentes rem esse usurpatam, ab usurpatoribus accipiant, eiusdem causae rei generatim sint habendi; attamen, quum heic agatur non de natura et gradu criminis, sed de censura voluntate legislatoris inflicta, locum habet regula iuris: legislator quod voluit expressit, quod autem non expressit noluisse censendus est. Quod aliis verbis dici solet: res est strictae interpretationis.

Item quaeritur, an comprehendantur sub hac censura illi, qui usurpant vel séquestrant bona quidem ecclesiastica, quae tamen non pertineant ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum aut Beneficiorum, ut ex. gr. sunt bona piorum locorum, idest nosocomiorum, confraternitatum laicalium, et similium.

Resp. Puto non comprehendi ; idque ob eandem rationem: attamen tum illi, tum hi comprehenduntur sub censura Tridentina, de qua inferius, quae Romano Pontifici est re . servata, non tamen reservata speciali modo*

Item quaeritur, an comprehendantur iUii qui usurpant aut séquestrant bona Monasteriorum.

Resp. Affirmative: pertinent enim ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum.

Quaeritur, an pariter comprehendantur usurpantes et séquestrantes bona vel redditus capellaniarum laicalium.

Puto non comprehendi: ratio est, quia capeUaniae laicales non appellantur nec sunt vero sensu Beneficia, et resolvuntur in pias fundationes vel pia legata ; neque eriguntur auctoritate Episcopi, ideoque eorum bona nec ecclesiastica stricto sensu appellantur ; quamquam ex voluntate fundatoris et natura rei haec bona sint plerumque inalienabilia, 3t venia Apostolicae Sedis indigeant ut alienari possint.

Quaeritur, an usurpantes aut séquestrantes bona vel redditus iuris patronatus laicalis sub hac censura comprehendantur.

Puto comprehendi: eiusmodi enim bona ad ecclesiasticas personas pertinentia, sunt bona Beneficiorum stricto sensu acceptorum, quamquam haec Beneficia sint obnoxia aUcui servituti Patronorum, qui ius habent praesentandi Beneficiarium quum vacaverint, ius habent ad quasdam praerogativas honoris, et ius aliquod ad alimenta, si ad egestatem vergant. Beneficia haec eriguntur Episcopi auctoritate, et eorum Bona evadunt propria Ecclesiae, ita ut Patroni neque sese ingerere possunt in eorundem administratione.

nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes (1).

v A quibus omnibus excommunicationibus huc usque recensitis absolutionem Romano Pontifici pro tempore speciali modo reservatam esse et reservari ; et pro ea generalem concessionem absolvendi a casibus et censuris, sive excommunicationibus Romano Pontifici reservatis nullo pacto sufficere declaramus, revocatis insuper earundem respectu quibuscumque indultis concessis sub quavis forma et quibusvis personis etiam Regularibus cuiuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis et Instituti, etiam speciali mentione dignis et in quavis dignitate constitutis. Absolvere autem praesumentes sine debita facultate, etiam quovis praetextu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatae innodatas se sciant (2), **dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiae, si convaluerint** (3).

O) **Saepe accidit, ut sub censuris dicantur comprehendi illi, qui** *auxilium, consilium, favorem* **praebeant actionibus prohibitis vel etiam** *qui adhaereant.* **Haec autem ita sunt intelligenda, ut interveniat formalis cooperatio et realis adhaesio, quae non consistat solum in intentione, sed in acjtione: non ex ignorantia aut timore, sed ex delibeìata voluntate. De qua re satis est mihi af ferre responsum S. Poenitentiariae inter plura, quae in latinis ephemeridibus retuli : sic enim S. Poenitentiaria respondit die 10 Decembris 1860 de his fere rebus rogata: «** *Censuras ecclesiasticas iuxta Litteras Apostolicas die 26 Martii 1860 incurri ab iis, qui formaliter cooperantur vel adhaerent rebellioni ditionis Pontificiae. Quare ad dignoscendum in Foro conscientiae* **Cde quo Sacra Poenitentiaria est sollicita),** *utrum quis censuras incurrerit, discutienda est per Confessarium uniuscuiusque conscientia. «*

Dictus Articulus XII in Bulla Coenae ita erat expressus: « *Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui, per se seu, alios, directe vel indirecte, sub quocumque titulo vel colore invadere, destruere, occupare et detinere praesumpserint, in totum vel in partem , almam JTrbem , Regnum Siciliae, Insulas Sardiniae et Corsicae. . . . . et alias civitates, terras et loca, vel iura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia dictaeque Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiecta; nec non supremam iurisdictionem in illis nobis et eidem Romanae Ecclesiae competentem de facto usurpare, perturbare, retinere et vexare variis^ modis praesumunt ; nec 'non adhaerentes, f autores, et defensores eorum, seu, illis auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet praestantes."*

Comparato hoc Articulo Bullae cum Articulo Constitutionis, apparet, submotos fuisse *adhaerentes, f autores et defensores eorum.* **De hac re tamen adhuc vigent Litterae Apostolicae anni 1860.**

(2) Quare casus Romano Pontifici *simpliciter* **reservati, qui mox numerantur, non sunt septem et decem, sed, hoc comprehenso, sunt duodeviginti.**

Heic quaeri potest, quid iuris si quis absolveret sine facultate eiusmodi poenitentes, non ex inobedientia, sed ex persuasione pertinaci, R. Pontificem vel Episcopos non habere ius reservandi peccata?

Respond. Hic Confessarius esset haereticus ex *Can. 2 Concilii Trid. sess. 14 de poenit.* **in quo legitur : «** *Si quis dixerit, » Episcopos non habere ius reservandi sibi » casus, nisi quoad externam politiam » atque ideo casuum reservationem non «prohibere, quominus Sacerdos a reserva* « tis vere absolvat, anathema sit.»*

(3) Videsis Appendicem V.

Excommunicationes latae sententiae Romano Pontifici reservatae.

v Excommunicationi latae sententiae Romano Pontifici reservatae subiacere declaramus :

I.

» Docentes vel defendentes sive publice, sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae; item docentes vel defendentes tamquam licitam praxim inquirendi" a poenitente nomen complicis, prouti damnata est a Benedicto XIV in Const. *Suprema 7* Iulii 1745 ; *Übt primum* 2 Iulii 1746; *Ad eradicandum* 28 Septembris 1746 (1).

n.

» Violentas manus, suadente diabolo, iniicientes in Clericos, vel utriusque sexus Monachos, exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus iure vel privilegio permittitur, ut Episcopus aut alius absolvat (2).

(1) Benedictus XIV in Const. *Suprema,* praxim inquirendi a poenitente nomen vel individuam personam complicis hisce verbis ad Lusitanos scribens reprobavit: « Notum vobis esse volumus, memoratam superius praxim penitus reprobandam esse, eandem a nobis per praesentes nostras in forma Brevis litteras reprobari atque damnari tamquam scandalosam et perniciosam, ac tam famae proximorum, quam ipsi etiam Sacramento iniuriosam, tendentemque ad sacrosancti sigilli sacramentalis violationem, atque ab eiusmodi Poenitentiae Sacramenti tantopere proficuo et necessario usu fideles abalienantem.»

In Const. *Ubi primum,* idem Pontifex priorem confirmans Constitutionem inter alias sanctiones haec edixit: « Statuentes ac decernentes , ut quicumque.. . ausus in posterum fuerit docere licitam esse eiusmodi praxim prout ea in relato nostro Brevi exponitur ac reprobatur; vel scribere aut loqui praesumpserit in eiusdem damnatae praxis defensionem, vel ea, quae in dicto Bievi contra eandem praxim decreta sunt, impugnare aut in alienos sensus temere detorquere seu interpretari, incidat ipso facto in excommunicationem , a qua non possit, praeterquam in articulo mortis , ab alio quocumque , etiam dignitate fulgente vel auctoritate suffulto, nisi a Nobis, vel pro tempore exsistente Romano Pontifice, absolvi.»

In Constitut. *Ad eradicandum,* Pontifex, contra pravas opiniones eorum, qui docerent eas Constitutiones non ultra Lusitaniam extendi ad quam missae essent, ita declaravit: *u* Decernimus et declaramus, memoratam praxim in se ipsa et ubique locorum ac temporum Apostolica Auctoritate reprobatala atque damnatam esse et censeri debere...»

(2) Hoc Articulo continetur celebre iUud privilegium Clericorum, quod ex Canone Concilii Lateranensis sub Innocentio II, *Si quis suadente diabolo* , appellatur privilegium Canonis. Canon indicatus his verbis erat expressus: « *Si quis suadente diabolo huius*

in.

» Duellum perpetrantes, aut simplicitei ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem praebentes, nec non de industria spectantes,

sacrilegii reatum incurrerit, quod in Clericum vel Monachum violentas manus in— iecerit, anathematis vinculo subiaceat, et nullus Episcoporum illum praesumat absolvere (nisi mortis urgente periculo) donec Apostolico conspectui praesentetur et eius mandatum suscipiat.» NuUa unquam fuit inter censuras reservatas in iure tam celebris, et christianis populis tam cognita, quam eiusmodi canonis censura.

Haec canonis verba ampla ratione, tum Bomani Pontifices, tum explanatores ss. canonum in titulo Decretalium, *De sententia excommunicationis,* interpretati sunt: namque idem est sive masculus sive femina, pariterque sive saecularis sive regularis persona sit percutiens, ex cap. *Cum pro causa,* cap. *Porro,* cap. *Monachi, de sententia Excom.* Percussus sive sit clericus saecularis sive regularis ex cap. 2, cap. *Cum pro causa, eod. tit.* et idem si clerici se ad invicem percutiant. Incurrunt eandem poenam non solum percutientes, sed mandantes, instigantes, consulentes et sollicitantes, ex vulgata regnla, qui per alium facit, per se ipsum facere videtur. Item auxiliantes, faventes et assistentes percussorem Clerici, Glossa in cap. *Mulieres de sentent, excom.* Item Canonis poenam incurrit etiam offendens Clericum minoribus et prima tonsura initiatum, cap. 1 *de Clerico coniug. in 6,* nec non Conversos ecclesiarum regularium, cap. *Non dubium,* cap. *Parochianos,* cap. *Ex tenore,* cap. *Monialibus, de sentent, excom.* similiter Novitii religionis approbatae gaudent privilegio canonis, cap. *Religioso s. fin. ee sententia, excommunicationis in 6".* Hi sunt casus praecipui.

Hic facile quaeritur, utrum per verba superioris Articuli, hi casus, qui sub stricto eorum verborum sensu non omnes comprehenderentur, comprendi dici debeant.

Eespon. Puto omnes enumeratos casus comprehendi: namque ubi est eadem lex et eadem ratio legis, ibi eadem esse debet interpretatio. Etiam sub verbis citati canonis, *Si quis,* stricto sensu acceptis, non omnes enumerati casus comprehendebantur; et tamen Romani Pontifices eos comprehenderunt. Ratio autem quae tradi solet, cur haec poena intellecta fuerit in omnes cooperatores extensa, quaecumque fuerint personae percussae, dummodo ecclesiasticae Hierarchiae se mancipaverint, ant nomen dederint religioso Instituto, quo, Deo perpetuo sacrarentur, est, quia agitur de re Ecclesiae favorabili, idest de immunitate personarum Ecclesiae, de privilegio ordinis clericalis : sed haec quamquam sit aliqua ratio, non est tamen adaequata: namque repeti posset de omni censura, ob Ecclesiae immunitatem illata, quod verum semper non esset. Ratio adaequata canonis, *Si quis suadente,* haeo esse videtur. Semper in catholica Ecclesia uti gravissimum sacrileginm considerata est impia vis in personas Deo dicatas illata: gravis autem censura adiecta est non tantum ad arcenda eiusmodi sacrilegia; sed quia censura consentanea et cohaerens videbatur gravissimo sacrilegio a fidelibus horrore quodam semper reprobato: ideoque quantam pateret et protenderetar sacrilegii reatus ex vi illata, tantum patere et protendi intelligenda erat censura. Quare hac in re non valet principium : legislator quod exprès-' sit voluit, quod non expressit noluisse censetur: sed Articulus intelligendus est iuxta canonis, ex quo est desumptus, traditionem.

Articulus Constitutionis, de quo agimus, èst expressio dicti canonis, ipsis fere verbis facta: censura reservata est Roman«* Ponti- 'fici, servatis tamen limitationibus iure vel privilegio permissis: quibus satis indicatur, eius Articuli interpretationem eandem esse, quae in iure iam facta reperitur. Quoad limitationes videsis Appendicem VI.

illudque permittentes, vel quantum in illis est, non prohibentes, cuiuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis (1).

IV.

» Nomen dantes sectae *Massonicae,* aut *(Jarbonariae,* aut aliis eiusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam, seu clandestine machinantur; nec non iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes; earumve occultos corjphaeos ac duces non denunciantes, donec non denunciaverint (2).

(1) Hic Articulus- comprehendit Constitutionem Tridentinam *sess. 25 cap. 19 de Reform,* eamque extendit et declarat. Extendit 1" ad *simpliciter provocantes,* quamquam alter non acceptet duellum, ideoque duellum non sequatur. 2" *Ad acceptantes duellum,* sive inde duellum sequatur, vel non sequatur; quum s converso Tridentina Constitutio edixerit: *quivero pugnam commiserint.* Quod Constitutio Tridentina edixerat *spectatores,* hic datur interpretatio, *de industria spectantes.* Quod Constitutio Tridentina edixerat: *Imperator, Reges...., qui locum ad monomachiam in terris suis... concesserint,* hic ita protenditur: *illud permittentes, vel quantum in illis est, non prohibentes cuiuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.* Adiungit praeterea reservationem, quae vi Tridentinae sanctionis non videtur adfuisse.

Tridentinam Constitutionem de duellantibus habes infra.

(2) Secta Fenianorum declaratur comprehensa sub sectis in hoc articulo significatis per Decretum S. Inquisitionis quod sequitur

DECRETUM

Feria IV die 12 Ianuarii 1870.

u Cum dubitatum fuerit a nonnullis, an societas Fenianorum comprehensa censeatur inter Societates damnatas in Pontificiis Constitutionibus, Sanctissimus Dominus Noster Pius Divina Providentia Papa IX, exquisito prius suffragio Eminentissimorum Patrum Cardinalium contra haereticam pravitatem in universa christiana Republica Inquisiturum gen**alium; ne fidelium, praesertim simplicium, corda cum evidenti animae discrimine pervertantur, inhaerens Decretis alias a S. Congregatione Universalis Inquisitionis in similibus editis, praesertim Decreto feria IV die 5 Iulii 1865, decrevit ac declaravit, Societatem Americanam seu Hibernicam, Fenianorum appellatam, comprehendi inter societates vetitas ac damnatas in Constitutionibus Summorum Pontificum et praesertim in nuperrima eiusdem Sanctitatis Suae edita quarto Idus Octobris 1869. incip. « *Apostolicae Sedis n* qua sub num. 4. excommunicationi latae sententiae Romano Pontifici reservatae obnoxii declarantur « Nomen dantes sectae Massonicae aut Carbonariae aut aliis eiusdem generis sectis quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam seu clandestine machinantur; necnon iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes; earumve occultos corjphaeos ac duces non denunciantes , donec non denunciaverint.

» Atque ita Episcopis quibuscumque petentibus responderi mandavit.»

Loco ^ Sigilli

Pro D. ANGELO ARGENTI

S. Rom. et Unio. Inquis. Notario

Iacobus Vogaggini Substitutus.

In eodem exposito Articulo IV, ad verba *eorumve occultos coryphaeos ac duces non denunciantes, donec non denunciaverint,* quaeritur: an cessaverit obligatio denunciandi ceteros, qui non sint neque coryphaei neque duces, quique tamen sint occulti sectarii.

Resp. Per Constitut. *Apostolicae Sedis* nihil est *per se* innovatum quoad obligationes ceteras cuiuscumque generis: limitatae dumtaxat sunt censurae; ideoque in omnibus lo-

V.

» Immunitatem asyli ecclesiastici, ausu temerario, violare iubentes aut violantes (1).

VI.

u Violantes clausuram Monialium, cuiuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque le-

cis ubi viget ecclesiastica lex denunciandi, obligatio manet. Haec lex denunciandi tum ratione publici boni inducta est, tum ratione privati boni personae denunciatae: si eiusmodi secunda ratio cessaret, manet prima ratio ; namque utile Episcopo et auctoritati ecclesiasticae semper erit pro pascendis fidelibus suae curae commissis cognoscere occultos haereticos vel sectarios, aliosque denunciandos. Et ob has rationes, etiamsi lex ecclesiastica denunciandi cessavisset, maneret obligatio ex iure naturali derivans; quod ius naturale gravibus concurrentibus adiunctis, ut quando agitur de gravi damno evitando, graviter potest obligare.

De clausula *donec non denunciaverint* videsis Appendicem VII.

Cl) In prima editione Constitutionis ex officio facta, quidam error irrepsit in hoc Articulo: ita enim legebatur Articulus iii 5: *Immunitatem asyli ecclesiastici violare iubentes, aut ausu temerario violantes.* E converso eo modo legendus est, prout modo exposuimus. Id constat ex litteris Rmi Adsessoris Sancti Officii datis de hac re ad S. Poenitentiariam hoc anno 1871 die 10 Februarii.

Hoc Articulo comprehenduntur pari modo tum *iubentes violare,* tum *violantes :* ut autem in censuram incurrant duo copulative requiruntur, idest *violatio* immunitatis asyli et *ausus temerarius:* ideoque si alteruter terminus deficiat censura non incurritur.

Hic facile quaeritur, quid sit immunitas asyli? Intelligitur immunitas ecclesiastica ocalis quatenus refertur ad asylum reorum ad eam confugientium.

Namque inter praecipua iura immunitatis localis Ecclesiae fuit semper sacrum ius illud, quo Christiani, ob aliquod crimen confugientes ad ecclesias, non possent inde extrahi, nisi in casibus iure exceptis; formi quoque ab auctoritate ecclesiastica praescripta servata, quando extrahi deberent ob casus exceptos. Quinam sint eiusmodi casus excepti et quaenam sint loca quae immunitate ecclesiastica gaudeant videsis Appendicem VIII.

Quaeritur, utrum milites, qui nollent violare immunitatem asyli, tamen contra vel praeter voluntatem cogantur a suis ducibus eam violare, in censuram incurrant.

Resp. Non incurrunt: deest enim ausu3 temerarius, qui exigit et legum cognitionem et voluntarium spretum earundem legum.

Quaeritur, utrum qui iubeant reum extrahere ex aliquo loco quem Episcopus iudicaverit immunitate ecclesiastica gaudere, tamen illi iubeant, quod certum aliunde habeant, locum illum immunitate ecclesiastica non gaudere.

Resp. Non videntur incurrere in hanc censuram : namque deesset violatio iuris asyli, quamquam haberi posset ausus temerarius ob contemptum legitimae formae.

De temerario ausu mentio quoque fit in Constitutione Benedicti XIII, *Ex quo divina,* edita sexto idus Iunii anno 1725. In ea namque Pontifex universos Episcopos hortatus est, ut « *etiam sacerdotali pectore, quotiescumque opus fuerit, iis omnibus obsistant, qui eiusdem praesentis Constitutionis exsecutionem ac observantiam quomodocumque temerario ausu impedire praesumerent.»*

giti ¡na licentia ingrediendi) (1); pariterque eos introducentes vel admittentes, itemque Moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V in Constit. *Decori* praescriptam (2).

(1) Haec verba desumpta sunt ex Concilio Tridentino *sess.* 25 *de Reg. c. 5* ubi legitur : *u Ingredi autem intra septa mon<w sterii nemini liceat cuiuscumque generis aut conditionis sexus vel aetatis fuerit sine Episcopi vel Superioris licentia in scriptis obtenta..."* Desunt tamen in Articulo haec ultima verba, in quorum loco posita sunt haec alia *absque legitima licentia,* ne fortasse putaretur excommunicationem esse quoque connexam cum defectu *formae* licentiae obtinendae. Sufficit itaque ut licentia sit legitima, quae ab iis, a quibus dari debet, in praescripta forma dari oportet, quin tamen formae defectus censuram secumferat.

<2) S. Pius V in Constitutione, *Decori,* edita die 24 Ianuarii 1670 haec constituit : §. 1. Sane periculo et scandalo plena res est, ac regulari observantiae vehementer adversatur, sanctimoniales aliquando, parentes, fratres, sorores aut alios agnatos vel cognatos, nec non monasteria et alia flliationes nuncupata, etiam eis subiecta, visitandi, aut infirmitatis causa aliove praetextu a monasteriis exire et per saecularium personarum domos discurrere et vagari, quo veluti colore eximium quoque honestatis et pudicitiae decus in discrimen committunt.

u §. 2. Unde nos, malo huic, pro nostro pastoralis officii debito, salubriter occurrere volentes, inhaerentes etiam Decreto sacri Concilii Tridentini de Clausura Monialium disponenti, ac aliis nostris Litteris desuper huiusmodi clausura editis aducientes, volumus, sancimus et ordinamus, nulli Abbatissarum, Priorissarum, aliarumve monialium, etiam Carthusiensis, Cisterciensis S. Benedicti, et Mendicantium et quorumcumque aliorum Ordinum, etiam militiarum ac statuum, graduum, conditionum, dignitatum ac praeeminentiarum exsistentium, etiam a regia vel illustri prosapia ortarum, de cetero, etiam infirmitatis seu aliorum monasteriorum, etiam eis subiectorum, aut domorum, parentum aliorumve consanguineorum visitandorum, aliave occasione et praetextu, *nisi ex causa m-igni incendii vel infirmitatis lepras aut epidemiae, quae tamen infirmitas praeter alios Ordinum superiores, quibus cura monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum seu alium loci Ordinarium, etiam si praedicta monasteria ab Episcoporum et Ordinariorum iurisdictione exempta esse reperiantur, cognita et expresse in scriptis approbata sit, a monasteriis praefatis exire, sed nec in praedictis casibus extra illa, nisi ad necessarium tempus stare licere;* anter autem quam ut praefertur egredientes, seu licentiam exeundi quomodocumque concedentes, nec non concomitantes, ac illarum receptatrices personas, sive laicas aut saeculares vel ecclesiasticas, consanguineas vel non, excommunicationis maioris latae sententiae vinculo statim eo ipso, absque aliqua declaratione, subiacere, a quo, praeter quam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo-, absolvi nequeant. » Quae tamen nunc sunt abrogata.

Quaeritur, utrum sub nomine clausurae veniat etiam illa clausura, cui identidem alligantur illae mulieres in communitate viventes, quae vota simplicia emittunt: quae clausura imponitur sive ab Episcopis, sive vi suarum Constitutionum, sive etiam vi *voti* specialis.

Respond. Non illa intelligitur: ea enim legibus gubernatur, quas Episcopus iniungit, vel Constitutiones, vel votum; sed ea intelligitur, quae vi generalium Ecclesiae legum praescripta est monialibus vota solemnia emittentibus. Sermo namque est in hoc Articulo de illis monialibus et de clausura illa, de qua loquitur Concilium Trid. et Constitutio S. Pii V in Constit. *Decori.*

De hac re exstat etiam quaedam recens Resolutio S. Congregationis Episc, et Regul. quam indicat ci. Lucidi in opere *deVV. SS.LL. vol. II pag. 310* his verbis: « Die 1 Augu- *K* sti 1839 S. Congregationi Episc, et Reg. duo * quae sequuntur dubia resolvenda proposita " sunt: I. Utrum, si non sint solemnia vota, » moniales nihilominus teneantur ad clausu- " ram servandam, quam voto simplici vo- » vent, sub censuris a Tridentina Synodo

vn.

» Mulieres violantes Regularium virorum clausuram, et Superiores aliosve eas admitientes (1).

» edictis, ubi Episcopus clausuram restituerit. II. » Utrum etiam excommunicationis incur— » rat poenam , qui sine licentia ingrediatur » septa monasterii, ubi clausura ab Episcopo » restituta fuerit.»

S. Congregatio respondit: Ad I. *Negative quoad poenas sacris canonibus et Apostolicis Constitutionibus praescriptas: affirmative relate ad censuras ab Episcopo fortasse impositas.*

Ad II. *Affirmative si ab Episcopo decreta fuerit.*

u Notandum tamen (subiungit idem auctor), quod S. C. Episc, et Reg., quum clausurae lex sub censuris in monasteriis votorum simplicium ab Episcopis imposita fuisset, et proinde contra eam reclamatum esset, *solitum servari* responderit in *Ravennaten.* 18 Iunii 1728, 23 Sept. 1757, et 10 Mar. 1758.»

De clausura, quam dicunt papalem, deque ea quam episcopalem appellant, videsis Appendicem IX.

(1) De hoc Articulo idem quaeri potest, quod de superiore dixi; eademque videtur danda responsio. Namque sermo est de clausura virorum regularium; hoc autem nomine non appellantur Congregationes ecclesiasticae eorum, qui emittunt vota simplicia. Notandum tamen est heic sermonem esse tantum de censura, non autem, utrum id sit conveniens aut licitum ad normam sacrorum canonum. Romae autem consuetudo viget, qua mulieres non solum non admittuntur in domibus Congregationum ecclesiasticarum, sed neque in locis piis ut in Seminariis et Collegiis Clericorum aliorumve.

Hic Articulus declaratur uberius, inspecta sua origine, ex qua derivavit.

S. Pius V in Constit. *Regularium,* edita die 24 Octobris 1566 haec statuit : « Quia igitur et Carthusiensium Ordinis et aliorum regularem vitam professorum quies non parum solet, sicut accepimus, perturbari, propterea quod mulieres, modestiae matronalis oblitae, domos ac monasteria eorum, contra ipsorum instituta, praetextu Confessionalium aut aliarum literarum Apostolicarum, ingredi audeant, ipsis etiam Abbatibus, Praepositis, Prioribus et aliis Praesidentibus aliquando recusantibns renitentibus, non sine magna eorum molestia, nec sine gravi aliquorum etiam offensione ac scandalo, si quando admitti nimis facile videantur.

» Huic rei providere volentes, motu proprio et certa scientia ac de Apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas facultates ac licentias ingrediendi monasteria ao domus Carthusiensium, et *aliorum quorumcumque regularium Ordinum etiam mendicantium,* mulieribus, cuiuscumque status, et quacumque dignitate ac praeeminentia praeditis, etiam Comitissis , Marchionissis , Ducissis concessas.....revocamus.....

» Districte prohibentes mulieribus quidem praedictas facultates et licentias praetendentibus, sub excommunicationis latae sententiae poena, a qua non possint, nisi a nobis aut Romano Pontifice, qui pro tempore fuerit, absolvi, praeterquam in mortis articulo ne dictas domos et monasteria ingredi audeant.

» Ipsis vero monasteriorum et conventuum Abbatibus, Praepositis, Prioribus et aliis Praesidentibus, quocumque nomine vocentur, et eorum Monachis, Canonicis et Fratribus, sive Mendicantibus sive non Mendicantibus, sub privationis officiorum, quae in praesentia obtinent, et inhabilitatis in posterum ad illa et alia omnia, et suspensionis a divinis ipso facto, sine alia declaratione, inourrendis poenis *ne eas introducere admittereve praesumant."*

In Constitutione *Apostolicae Sedis* de qua agimus, hae poenae, certe suspensio ipso facto incurrenda inflicta Regularibus introducentibus et admittentibus, conversae sunt ii» excommunicationem ipso facto incurrendam et Romano Pontifici reservatam.

vni.

» Reos simoniae realis in Beneficiis quibuscumque, eorumque complices (1).

Dixi certe suspensio ipso facto incurrenda: namque de aliis poenis canonicis dubitari potest, an permaneant, quum per gravissimam excommunicationis poenam videatur satis consultum fini qui intenditur; ideoque ceterae poenae videntur hac nova dispositione cessare.

Sed Constitutio S7Pii V, quam retuli, a Monachis Congregationis Montis Virginis non fuit recte intellecta iuxta Pontificis mentem: quare idem Pontifex alias Apostolicas litteras dedit, die 16 Iulii 1570 quae incipit, *Decet.* mentem suam uberius declarans his verbis: *u* Dicimus et declaramus fuisse et esse mentem et intentionem nostram, quod dictae litterae non solum comprehenderent mulieres habere praeténdentes facultatem et indulta ingrediendi monasteria, sed etiam omnes et quascumque mulieres tam in genere qua» in specie.

» Significantes nihUominus, prout significamus, quod propter hoc et praedictas nostras litteras non intelleximus nec intelligimus, quod mulieribus praecluderetur vel praecludatur aditus ad monasteria et loca regularía dictae Congregationis ac eorum claustra, quando in eis Missae et alia divina officia celebrantur, ac dum processiones fiunt, et quando Christifidelium cadavera ibi sepeliuntur , ac etiam pro eis suffragia fiunt, sed libere perpetuo concedimus eisdem omnibus mulieribus facultatem, ut ad illa loca dictae Congregationis, in quibus dicta pia opera exercentur, cum aliis catholicis personis accedere libere et licite possint et valeant.

Et similiter, quod quando divinum verbum in claustris monasteriorum et regularium locorum Congregationis huiusmodi proponitur, vel per aliam quamcumque causam tantus concursus populi fuerit, quod commode ingredi non possint et egredi per portam ecclesiae, perpetuo concedimus, ut dictae mulieres, una cum aliis saecularibus personis, possint ingredi et egredi per portam claustri monasteriorum et locorum regularium Congregationis huiusmodi, dummodo recto tramite accedant ad portam qua exitur e monasterio.-'

Hae quamvis videantur speciales concessiones factae Monachis Montis Virginis; attamen ex consuetudine, his in circumstantiis, idem videmus quoque servari in nonnullis Regularium Ordinibus, qui intra monasteria habeant, puta cubiculum S. Fundatoris vel alterius Sancti, die eiusdem festo. Unde sine comparatione multo rigidior multoque amplior est lex de clausura monialium, quam lex de clausura Regularium, quae quidem est severior quoad limites claustrales veterum Monachorum, quam quoad limites monasteriorum et domorum subsequentium Ordinum.

(1) Simonia quae dicitur realis, ideo realis dicitur ut distinguatur ab ea quae appellatur mentalis, et ab altera quae appellatur conventionalis. Crimen simoniae realis tunc committitur, quando conventio vel pactum de danda re spirituali pro temporali, aut viceversa de danda re temporali pro spirituali, exsecutioni mandetur ex utraque parte, saltem haec exsecutio ex utraque parte sit incepta. Si hoc simoniae genus locum habeat in ecclesiasticis Beneficiis, sive haec sint saecularia sive regularía, sive altioris ordinis, ut Episcopatus, Dignitates; sive inferioris ordinis, ut Beneficia simplicia, sive iurispatronatus sive liberae collationis, talis simoniae tum rei tum complices sub hoc Articulo comprehenduntur.

Hoc simoniae genus in quo procacius peccator ab antiquis temporibus multas alias gravissimasque canonicas poenas secumfert, de qua re confer Ferraris in aurea *Bibliotheca canonica,* sub verbo *Simonia.*

rx.

y> **Reos simoniae confidentialis in Beneficiis quibuslibet, cuiuscumque sint dignitatis (1).**

X.

» **Reos simoniae realis ob ingressum in Religionem (2).**

XI.

» **Omnes qui quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus excommunicationis censura plectuntur Constitutione S. Pii V. *Quam plenum* 2 Ianuarii 1569 (3).**

(1) Simonia confidentialis est alterum, quod subsequutum est, simoniae genus, quod locum habet in Beneficiis ecclesiasticis ex confidentia, qua inducitur certa quaedam obligatio disponendi de Beneficiis. Committitur haec simonia, quando aliquis dat vel confert Beneficium ecclesiasticum, vel ad illud praesentat et eligit, seu electum vel praesentatum instituit et confirmat cum certa confidentia et obligatione, idest cum expresso vel tacito pacto vel conditione ut tamquam ex debito illud sibimet vel alteri, ut fratri, nepoti, amico, certo tempore iterum cedat seu resignet. De hoc simoniae genere legenda est Constitutio S. Pii V, quae incipit *Intolerabilis*, quam habes expositam in Appendice X.

(25 De hac simonia reali ob ingressum in Religionem confer praesertim probatos Auctores theologiae moralis.

(8) Illi, qui excommunicatione plectuntur ex Constit. *Quam plenum* sunt Episcopis inferiores, causa quaestus, qui simoniam redoleat. Pontifex ille in hac Constit, graves quosdam enarrans abusus in quorundam facultatum concessione, easque inde concessiones irritat, atque demum poenas sancit, hac ratione: « §. 1. Rem profecto indignam audivimus , quod quidam ecclesiarum Hispaniae praesules et etiam quondam Gomentius Tellezgiron, temporarius, quod magis détestait dum est, et simplex administrator ecclesiae Toletanae, gratia gratis accepta pietatis specie abutentes, et facultates a sacris canonibus sibi concessas excedentes, litteras suas in eorum civitatibus et dioecesibus publicare praesumpserunt, quibus inter cetera pericula, deprehenditur, quod cuicumque illas accipient^ certa soluta pecunia, licitum sit quem voluerit sibi sumere Sacerdotem, qui confessione audita, ipsum absolvere valeat, non iis tantum casibus in, quibus simplex Sacerdos absolvere potest, sed etiam in iis, quae solis Episcopis reservata reperiuntur, aliquo praeterea casu admixto, qui ad examen huius Sanctae Sedis esset omnino referendus.

» §. 2. Ad hanc, ipsi, in dispensandis caelestis gratiae donis nimium prodigi, iis sic litteras praedictas accipientibus indulgentias et poenitentiarum iniunctarum remissiones , nulla cum re temporali conferendas, profusius passim et indiscrete largiuntur, quibus et aliis licentiis praedictis non pauci fluctuantes et infirmi> veniae facilitate inducti, ad peccandum procliviores fiunt, quando tot et tantorum delictorum remissionem certo et vilissimo pretio acquirere possint; et indicem praeterea casuum ac indulgentiarum aedibus sacris appendi iusserunt, quibus emptores venari videntur, cum palam significetur solventibus suprascripta concedi.

» §, 3. Itemque Missae sacrificium et se-

xn.

» Colligentes eleemosynas maioris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent (1).

pulturam tempore interdicti, ciborum prohibitorum usum, assumptionem duorum vel plurium Compatrum ad sacrum baptisma, contra Decretum Concilii Tridentini, praeter eos, qui synodalibus, ut dicunt, constitutionibus adsciscuntur, a.*simoniae reatu absolutionem Sedi Apostolicae reservatam impendunt, reparationem ecclesiarum et pias causas praetexentes, ut honesta praescriptione videantur cupiditatis vitium obduxisse.

***» §. i.* Cum igitur, inter cetera scandala, etiam simoniae pravitas non obscure redoleat, et praedictis sacri Tridentini Concilii Decretis et aliis sanctionibus canonicis, nostrae praeterea Constitutioni de indulgentiis ad quaestum non emittendis adversetur, clavium auctoritas evilescat, et poenitentialis satisfactio enervetur; nos his malis celeri remedio occurrendum, eademque opera futuris praecavendum fore censentes, motu proprio et ex certa scientia et de Apostolicae potestatis plenitudine, supradicta omnia, quae in ipso Archiepiscopatu Toletano et quibuscumque aliis civitatibus, dioecesibus et locis, tam Hispaniarum , quam aliarum quarumcumque provinciarum et regionum hucusque, etiam praetextu Confraternitatum augendarum et quocumque alio, emanarunt, damnamus et exsecramus ac perpetuo abolemits, nullaque et irrita fuisse et esse nunciamus mandantes litteras et indices.**

» §. 6. Nec non scripturas et monumenta quaecumque publica et privata per ipsos locorum Ordinarios et alios ecclesiarum rectores, ubicumque reperientur, dílacerari, íónf ringi penitusque deleri; et ne talia de cetero a quoquam fiant, publicentur vel concedantur, districtius prohibemus.

» S. **6. Quicumque, etiam si Cardinalatus honore praefulgeant, secus egerint seu contendermi attentari, ab ingressu et perception fructuum suarum ecclesiarum tamdiu suspen. ei iaceant, donec, satisfactione praevia, illis per Sedem praedictam suspensio relaxetur;** *inferiores vero ai Episcopis sententiam excommunicationis incurrant,* **a qua nisi in mortis articulo constituti ab alio quam Romano Pontifice absolutionis beneficium nequeant obtinere.»**

(1) In hoc Articulo sermo est de eleemosynis Missarum manualibus, ut deprehenditur ex verbo *Colligentes,* nec non ex Constitutione Benedicti XIV, quae incipit *Quanta cura,* edita die 30 Iunii 1741, ex qua hic Articulus originem duxit. Hanc itaque censuram incurrunt qui colligant Missarum stipendia maioris pretii ut lucrum captent faciendo eas Missas celebrari in locis in quibus minus sit Missarum stipendium.

Constitutio indicata, *Quanta cura,* postquam enarasset quosdam graves abusus de his eleemosynis ea de causa colligendis, ita subsequebatur: « Quod sane veluti mercatoris faciendis a turpis lucri cupiditate inductum non solum ab avaritiae suspicione et vitio, verum etiam a furti crimine, unde restitutioni subiacet, haud immune, in causa est, ut bonorum quamplurimi, ad quorum notitiam mercatura huiusmodi venit, graviter offensi ab eleemosynis ad celebrandas Missas amplius offerendis sese abstineant. Exsecrabilem huiusmodi abusum alicubi sensim irrepentem detestantes Romani Pontifices praedecessores nostri. . . . .decretum voluerunt, nimirum a quolibet Sacerdote stipendium seu eleemosyna maioris pretii pro celebratione Missae a quocumque accepta, non posse alteri Sacerdòti Missam huiusmodi celebraturo stipendium seu eleemosynam minoris pretii erogari, etsi eidem Sacerdoti Missam celebranti et consentienti se maioris pretii stipendium seu eleemosynam accepisse indicasset. »

Postquam idem Pontifex exhortatus esse* Episcopos, ut eiusmodi abusum atque avaritiam exstirpassent, denique subiunxit, ut iidem Episcopi haec nota facerent.

XIII.

» Omnes qui excommunicatione mulctantur in Constitutionibus S. Pii V, *Admonet noa,* quarto Kalendas Aprilis 1567, Innocentii IX,

u Quemcumque, qui, eleemosynas seu stipendia maioris pretii pro Missis celebrandis, quemadmodum locorum consuetudines vel synodalia statuta exigunt, colligens Missas, retenta sibi parte earundem eleemosynarum seu stipendiorum acceptorum sive ibidem sive alibi, ubi pro Missis celebrandis minora stipendia seu eleemosynae tribuuntur, celebrari fecerit, laicum quidem seu saecularem praeter alias arbitrio vestro irrogandas poenas, excommunicationis poenam, clericum vero, sive quemcumque Sacerdotem, poenam suspensionis ipso facto incurrere, a quibus nullus per alium, quam per nos ipsos seu Romanum Pontificem pro tempore exsistentem, nisi in mortis articulo constitutus absolvi possit.»

Haec Benedicti XIV sanctio, quam ad illustrationem attuli, per Articulum, de quo agimus, partim est extensa, partim videtur limitata: est extensa, quum in omnes excommunicationis poena lata fuerit sive laicos sive clericos; est limitata, seu potius declarata, quum non dicatur *ibidem,* sed *in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse soleant;* quibus verbis satis indicatur non agi de uno paucisque numero stipendiis sed de quadam copiosa collectione facienda usu mercaturae, ut ea colligens verum lucrum percipiat: quod ex. gr. non esset difficile si in America colligerentur Missarum stipendia et in Italiam translata fierent celebrari iuxta synodales plurium italicarum dioecesium taxas vel consuetudines. Qui haec facerent in hanc censuram incurrunt, manente firma prohibitione retinendi sibi partem eleemosynae manualis unius etiam Missae sine legitimo titulo.

Hic multa quaeri possunt, quae tamen, ex iis quae indicavi, quum facilis solutionis esse videantur, omitto.

De abusu, qui in variis Galliae partibus irrepsisse dicitur, quaero: an sub hoc articulo comprehendantur, qui superfluas eleemosynas manuales propriae ecclesiae cumulan» tes, ad negotiatores mittant (ex quibus utile aliquod percipiunt) ut iidem negotiatores iisdem utantur ad vendendas merces iis Presbyteris, qui indigeant Missarum stipendiis, lucrum non capientes ex stipendiis, sed ex frequentiori negotiatione; ita ut commodum et utile negotiandi medium mercatoribus stipendia Missarum evadant.

Respon. Non videntur sub hoc Articulo comprehendi, quamquam illicite agant, qui ad publicos negotiatores stipendia mittant» utile aliquid sibi hac de causa ab iisdem negotiatoribus recipientes. Illicite dixi, duplici praesertim de causa, tum quod ad publicos negotiatores mittant, quum mittere deberent ad Episcopum si modus ipsis desit, quo eas celebrari a ceteris Presbyteris faciant; tum quod utile, quidquid sit, percipiant, ex quo percipere non deberent, quum negotiatores non donent nisi quia ope stipendiorum oblatorum industria sua uberius lucrum sciunt percipere: quod inhonestum in hac re facile est, sive ob facile .periculum, quod negotiatores obligationi susceptae non faciant satis, sive quod laici negotiatores, in lucrum proprium intenti, facile protrahunt Missarum celebrationem ex quarum stipendiis fructus interim percipiunt; vel etiam eandem indirecte protrahunt ex copioso Missarum numero, quem Sacerdoti merces ementi committunt, cui satisfacere identidem Sacerdos non potest, nisi decursu annorum, tum ob similes ecclesiasticarum legum transgressiones.

Ceterum huic rei prospicere debent Sacrorum Antistites, qui ita rem moderari possunt, ut Presbyteri, qui eleemosynis Missarum indigeant ex superfluis aliorum habeant, sibi negotium assumentes. Nihil tamen esset illiceifudinis, immo potest esse quoque opus •charitatis, si Presbyteri, qui Missarum stipendiis indigeant, habere valeant mercem aliquam, Missas celebrando, quarum stipendia relinquant iis qui mercem transmittunt.

Quae ab hac Sede pridie nonas Novembris 1591, Clementis VIII, *Ad Romani Pontificis curam,* 26 Iunii 1592, et Alexandri VII, *Inter ceteras,* nono Kalendas Novembris 1660, alienationem et infeudationem Civitatum et Locorum S. R. E. respicientibus (1).

(1) In Constitutione, *Admonet nos,* solemnissime edita a S. Pio V, excommunicatione mulctantur omnes illi, qui per se vel alios agere studeant sive insinuare vel suadere Eomano Pontifici alienationem vel infeudationem civitatum seu locorum ad S. Sedem pertinentium ex quovis praetextu, etiam necessitatis vel evidentis utilitatis. Ita autem se habet Constitutio:- « §. 3. Statuimusque et decernimus, quod omnes et singulae, tam Communitates et Universitates, quam cives et incolae -civitatum et locorum praedictorum *(quae Sanctae Sedi in temporalibus sunt subiecta),* aliaeque quaecumque personae tum ecclesiasticae, tum saeculares, cuiusvis dignitatis et ordinis, etiam episcopalis vel maioris, exsistentes, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, tam publice in consiliis civitatum et locorum praefatorum, quam privatim alibi in quibusvis locis, etiamsi civitatum et terrarum earundemque Gubernatores aut Sedi Apostolicae Legati vel Pro-Legati exsistant, tractantes, consulentes, aut alias verba facientes de infeudationibus aut alienationibus dé civitatibus et locis praefatis immediate ad nos et Sedem praefatam spectantibus et pertinentibus, etiam devolutis , etiam in feudum communiter et pluries dari solitis, etiam ex causa permutationis vel sub annuo censu aut canone, aut alias quomodolibet, etiam contemplatione meritorum erga Sedem praefatam, aut sub praetextu necessitatis vel evidentis utilitatis faciendis, seu de postulandis a nobis et Sede praefata quibusvis personis, cuiusvis dignitatis, status, gradus, etiam nobis et successoribus nostris secundum carnem coniunctis, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, aut quavis alia temporali vel ecclesiastica dignitate fungentibus, in Duces, Vicarios, Gubernatores seu quemvis alium titulum, ad vitam vel in perpetuum vel longum tempus aut etiam ad Sedis Apostolicae beneplacitum, civitatum et locorum praefatorum, ac propterea de eligendis oratoribus ad nos et successores nostros super praemissis vel illorum occasione mittendis, proponentes, tam ipsi quam oratores munus huiusmodi recipientes, aut alii quicumque alienationes huiusmodi Romano Pontifici pro tempore exsistenti, per se vel alium seu alios, insinuantes vel suadentes eo ipso sententiam excommunicationis incurrant, a qua, nisi ab ipso Pontifice, praeterquam in mortis articulo, absolvi nequeant. »

Innocentius IX in Constitutione , *Quae ab hac Sancta Sede,* in primo Consistorio secreto post suam electionem ad Pontificatum, inseruit integram Constitutionem, *Admonet,* S. Pii V, atque commemorans, Gregorium XIII, Constit. *Inter,* Sixtum V, Constit. *Quanta,* et Gregorium XIV iurasse eam Pianam Constitutionem servaturos eandemque adprobasse, confirmasse et innovasse; ita ipse Innocentius eam iterum approbavit, confirmavit, innovavit, et prohibitionem infeudandi et alienandi dictas Civitates, terras et loca uberius quoque explicavit.

Clemens VIII in Constitutione, *Ad itomani Pontificis curam,* iterum confirmavit utramque Constitutionem : immo derogavit cuidam moderamini quod induxerat Gregorius XIV, atque explicavit quomodo sub iuramentum de non alienandis civitatibus et locis cadere possint casus necessitatis et evidentis utilitatis, his verbis: « Cum huiusmodi casus absolutae necessitatis, aut verae et evidentis utilitatis facilius mente atque animo concipi et effingi, quam usu venire possint, multo magis expedire omnem prorsus alienationum et investiturarum.prorogationum et aliarum concessionum , quomodocumque et sub quibuscumque causis et praetextibus attentandi viam omnino praecludere, quam ob rarissimos casus, qui vix umquam contingere possunt, apertam relinquere.»

XIV.

» Religiosos praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis Sacramentum extremae unctionis aut Eucharistiae per viaticum ministrare absque Parochi licentia **(1).**

XV.

D Extrahentes absque legitima venia reliquias ex Sacris Coemeteriis sive Catacumbis Urbis Romae eiusque territorii, eique auxilium vel favorem praebentes **(2).**

(1) Clemens V in Concilio Viennensi, prout legitur in *Clementina* I* *de privilegiis,* haec inter cetera statuit: « Religiosi, qui Clericis aut Laicis sacramentum Unctionis extremae vel Eucharistiae ministrare, matrimoniave solemnizare, non habita super his parochialis Presbyteri licentia speciali,.... praesumpserint, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto, per Sedem Apostolicam dumtaxat absolvendi, quos etiam locorum Ordinarii (postquam de hoc eis constiterit) excommunicatos faciant publice denunciar!, donec de absolutione ipsorum eis fuerit facta fides...»

In eadem Clementina Constitutione limitatio in paragrapho ultimo fuit adiecta, his verbis: « Sane Religiosis illis, quibus est ab Apostolica Sede concessum, ut familiaribus suis domesticis aut pauperibus in hospitalibus suis degentibus sacramenta possint ecclesiastica ministrare, nullum ex praemissis volumus quoad hoc praeiudicium generali. »

Haec limitatio, uti patet, per Articulum de quo agimus non est abrogata: immo quod in Clementina dicitur, *Religiosis illis, quibus est ab Apostolica Sede concessum ut familiaribus suis domesticis. ; . sacramenta possint administrare,* transiit in commune ius ut colligitur ex Concilio Tridentino *sess. 24 c. U de Ref.* his verbis: « *exceptis tamen iis, qui praedictis locis* (a iurisdictione episcopali exemptis) *aut militiis actu inserviunt et intra eorum septa ac domos resident, suoque eorum obedientia vivunt.* » Confer de hac re causam *Seminarii* in ephemeridibus latinis expositam in *Vol. ITI pag. 47.*

Hic quaeri potest, utrum dictus Articulus, quo ex parte innovata est Constitutio Clementina, comprehendat quoque Instituta votorum simplicium.

Respond. Non videtur comprehendere. Namque in odiosis eiusmodi Instituta neque Regularia neque Religiosa appellantur. Quod autem illicite agerent si praesumerent administrare extremam Unctionem vel sacram Eucharistiam per viaticum extra necessitatis oasum sine licentia Episcopi vel Parochi non est quaestio. Namque haec duo iura sunt exclusive paroecialia, et nemo alius sine Episcopi vel Parochi licentia potest in illis sese ingerere; excipe tamen legitimam horum iurium praescriptionem, de qua habes exemplum in latinis ephemeridibus *in Vol. IV pag. 577.*

(2) In hoc Articulo agitur de reliquiis e romanis priorum Ecclesiae saeculorum oryptis sine legitima venia .extrahendis; quum vero in eisdem cryptis seti catacumbis passim reperiantur ossa et cineres in loculis apertis de quibus iam constat non esse ossa et cineres martyrum, sed fidelium qui ibi reconditi sunt, quaeritur, utrum, qui cryptas visitans, memoriae vel devotionis causa sibi assumeret aliquid ex his ossis vel cineribus in hanc censuram incurreret.

Respond. Non videtur incurrere, ideo quia de his iam constat non fuisse corpora martyrum: secus esset dicendum si de reliquiis ageretur, de quibus non adhuc constaret an sint martyrum vel tantum fidelium.

In quo autem consistat legitima venia, de qua sermo est in exposito Articolo de*

XVI.

» Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem.

XVII.

» Clerici scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis et ipsos in officiis recipientes (1).

protenditur ex Constitutione Clementis X, *Ex commissae,* edita die 13 Ianuarii 1672, quaeque inserta est in nova editione Bullarii romani, quod Taurini accuratissime typis excuditur. Ita autem se habet Constitutio quoad dispositionem quae ad praesentem Articulum refertur.

» Ex commissae nobis caelitus curae pastoralis officio providere volentes, ut sanctorum martyrum corpora et reliquiae pie ac decenter et sine turpi quaestu, ex huius almae Urbis nostrae et locorum circumvicinorum coemeteriis extrahantur, recondantur, asserventur, ac fideliter prudenterque distribuantur, de nonnullorum etc. qui rein iussu nostro mature discusserunt, et quorum sententia nobis a dilecto filio nostro Gaspare S. R. E. Presbytero Card. Carpineo nuncupato, in Urbe praefata Vicario in spiritualibus Generali ac Prodatario nostro, relata fuit, consilio, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, praecipimus et mandamus, *ut nemo ad extrahendas a coemeteriis praefatis reliquias accedat, nisi eius rei facultatem habeat scripto, quod memorati Gasparis Card. moderni seu pro tempore exsistentis in eadem Urbe Vicarii in Spiritualibus Generalibus sigillo munito et illius manu subscriptum sit; nec ossa vel corpus ullum sub poena excommunicationis latae sententiae effodiat et ex aliquo coemeteriorum huiusmodi extrakat aliter quam coram Sacerdote per dictum Gasparem Card. modernum seu pro tempore exsistentem Vicarium ad id designato, qui diligenter inquirat et recognoscat locum, inscriptiones, eaque martyrii signa, quae certiora esse censuit Cong/sgatio venerabilium Fratrum nostrorum eiusdem S. B. E. Cardinalium indulgentiis et sacris reliquiis praeposita*

« Qua omni recognitione facta, statim singula corpora et cuiuscumque martyris reliquias seorsum in capsulis recondat, quas sigillo clausas recta deferri curet ad Urbem in palatio nostro asservandas etc.»

Si quaeras quaenam sint martyrii signa recole Decretum quod habes in latinis ephemeridibus *Vol. II pag. 170 in nota.*

(1) Ante Concilium Constantiense omnes excommunicati excommunicatione maiore erant vitandi: post hoc Concilium ob Constitutionem Martini V, quae incipit, *Ad evitanda scandala,* vitandi tantum erant notorii percussores Clericorum et qui excommunicati essent nominatim, expresso videlicet nomine ut consuetudo hactenus tulit: multa autem in iure non sine ambagibus reperiuntur constituta de illis, qui cum excommunicatis communicarent, qui modo excommunicationem minorem ipso facto incurrerent, modo maiorem secundum id in quo communicarent, et modo reservatam modo non reservatam: eiusmodi autem censurae cohibitae sunt post Martini V Constitutionem ad eos tantum, qui communicarent cum excommunicatis sive *nominatim,* sive cum *notoriis* Clericorum percussoribus. Notorii namque percussores Clericorum non indigebant ut denunciarentur ut excommunicati, ut haberentur uti tales, Quod confirmat, quae superius scripsi de iis. qui violentas manus in clericos inferrent.

Hodie autem post Constitutionem, *Apostolicae Sedis,* de qua agimus, cessat censura qaaevis quam antea contrahebant illi, qui

Excommunicationes latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae.

» Excommunicationi latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae subiacere declaramus :

I.

» Clericos in Sacris constitutos vel Regulares aut Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes; nec non omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes (1).

communicarent cum notorio Clericorum percussore; quum de hac censura nonnisi in hòc et superiori articulo sermo habeatur. Quare hodie sub poena excommunicationis vitandi tantum manent *nominatim* excommunicati a Papa: atque excommunicationem maiorem, eandemque Romano Pontifici reservatam, incurrunt omnes, qui communicant cum his in crimine criminoso ; et clerici *scienter et sponte* communicantes in divinis et eos in officiis recipientes: haec sanctio, ad Clericos quod spectat, ipsis verbis desumpta est ex capite *significavit, de sententia excom.* in quo sic respondit Clemens III: *u Verum olericos, qui scienter et sponte participaverunt excommunicatis a nobis, et ipsos in officiis receperunt eadem excommunicationis sententia cum ipsis non dubitamus involvit quos etiam pro beneficio absolutionis habendo ad nos volumus cum litterarum tuarum insinuatione remitti.»* Prima autem sanctio, quae ad omnes refertur, desumpta est ex cap. *Nuper, eod. tit.* in quo Innocentius III sic inter cetera rescripsit : « *In secunda vero quaestione credimus distinguendum, an is, qui nominatim excommunicato communicat, scienter in crimine communicet criminoso, ei consilium impendendo, auxilium vel favorem; aut alias in oratione vel osculo, aut orando secum aut etiam comedèndo. In primo quidem articulo, quum talis communicet crimini et darticipet criminoso, ac per hoc ratione damnati criminis videatur in eum delinquere qui damnavit, ab eo vel eius superiore merito delicti time erit absolutio requirenda, quum facientem et consentientem par poena constringat! in secundo vero casu a suo Episcopo, vel a proprio Sacerdote etc.* Sed hic secundus casus, de eo qui communicat extra crimen, post Constitutionem , *Apostolicae Sedis,* censuram minorem antea dictam, non amplius secumfert: manet autem tantum maior excommunicatio, et reservata, in omnes, qui in crimine criminoso participent, quum facientem et consentientes par poena constringat ; nec non in Clericos, qui communicent scienter et sponte in administratione et receptione sacramentorum aliisque divinis.

O) Hic quaeri potest, utrum enunciatae personae , si sponsalia sola contraherent, in hanc censuram incurrerent.

Resp. Non incurrerent ; ratio eBt, quod iuridica verba *praesumentes contrahere matrimonium,* non significant, *constituentes contrahere matrimonium.* Ad incurrendam hanc censuram requiritur et matrimonii celebratio et scientia de eius nullitate, ob legem vel votum solemne castitatis, quae scientia cum celebratione coniuncta exprimitur per verba *praesumentes contrahere.*

Item quaeritur: si eiusmodi inhabiles personae matrimonium dumtaxat civile contraherent, ubi publicatum est Tridentinum Decretum *Tametsi c. 1 sess. 24 de -Ref. matr*, incurrerentne in eiusmodi censuram?

Resp. Incurrerent. Ratio est, quia omnes

IL

» Procurantes abortum, effectu sequuto (1).

enunciatae personae in hanc censuram incurrunt , *quae praesumunt matrimonium contrahere,* **idest praesumunt contractum illum inire, qui matrimonii habeat figuram: numquam enim possunt verum matrimonium contrahere. Quamvis autem matrimonium civile non sit matrimonium validum (ob impedimentum dirimens, quod clandestinitatis appellamus, ex defectu formae ab Ecclesia sub poena nullitatis praescriptae), est tamen contractus, qui iuxta naturae leges esset verum matrimonium: ideoque licet per accidens , ob carentiam praescriptae formae, sit nullum, in se tamen figuram matrimonii habet, nullamque aliam habet figuram: ita ut matrimonium civile neque vim habeat sponsalium, quia sponsalia aliam habent indolem et naturam: ideoque personae illae, quae ad verum contrahendum matrimonium iam sunt inhabiles, matrimonium civile contrahere praesumentes, contractum illum inirent, qui habet matrimonii figuram, quod esset nullum ex duplici saltem capite.**

Haec ad normam veterum canonum iam sanxerat Clemens V in Concilio Viennensi per Constitutionem, quae legitur in *Clement, unica de Consanguinitate et affmit.* **his verbis: «** *Eos, qui divino timore postposito, in suarum periculum animarum scienter* **(his verbis significatur praesumptio)...** *cum monialibus contrahere matrimonialiter non verentur: nec non Religiosos et Moniales ac Clericos in sacris ordinibus constitutos matrimonia contrahentes, refrenare metu poenae ab huiusmodi eorum temeritatis audacia cupientes, ipsos excommunicationis sententiae ipso facto decernimus subiacere: praecipientes ecclesiarum Praelatis, ut illos, quos eis constiterit taliter contraxisse, excommunicatos publice tamdiu nuntient, seu a suis subditis faciant nuntiari, donec tuum humiliter recognoscentes errorem separentur ab invicem, et absolutionis obtinere beneficium mereantur. Per praedicta quoque iuribus, quae sic contrahentibus alias poenas imponunt, in nullo volumus derogari.»*

Quid autem iuris si haec praesumptio non oriretur ex humana fragilitate, sed ex pertinaci persuasione, quod matrimonium sit validum, quia Ecclesia non posset reddere irrita eiusmodi matrimonia?

Respond. Qui haec teneret, esset haereticus et puniendus quoque poenis in haereticos inflictis, ob Tridentinum canonem 9 *sess. 24 de Ref. Matrim,* **qui ita se habet :** *u Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, pel Regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse non obstante lege ecclesiastica vel voto; et oppositum nihil aliud esse quam damnare matrimonium, posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiuntt^se castitatis , etiam si eam voverint, habere donum anathema sit, quum Deus id recte petentibus non àtmeget, nec patiatur nos supra id, quod possumus, tentari.»*

Cl) In hoc Articulo nulla fit distinctio inter foetum animatum vel inanimatum atque ideo neque nos distinguere debemus. Indistincte pariter sub censura comprehenduntur ***procurantes*** **abortum, ideoque sive ipsa femina in se abortum procuret sive quisquis alius, nulla facta personarum distinctione omnes in hanc censuram incidunt.**

Tamquam autem conditio, ut abortum procurantes in censuram incidant, est effectus qui sequatur, ita ut effectu non sequuto ab excommunicatione sint immunes.

Quinam autem sub nomine *procurantes* **abortum veniant colligi potest ex Constitutione Sixti V, quae incipit** *Effrenatam,* **edita die 29 Octobris 1588, per haec verba:** *omnes.. ¡ qui per se aut per interpositus persona abortus seu foetus immaturi tam animati quam inanimati, formati vel informis electionem procuraverint pereussionibus, venenis, medicamentis, potionibus, oneribus, laboribusque mulieri praegnante*

III.

» Litteris apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes (1).

impositis, ac aliis etiam incognitis vel maxime exquisitis rationibus, ita ut reipsa abortus inde sequutus fuerit."

Hic quaeri potest, quid esset sentiendum si abortus sequutus quidem fuerit, sed ex alia accidentali causa, non vero ex causis studiose adhibitis, incurrerentne *procurantes* in hanc censuram?

Respond. Non videntur in hanc censuram incurrere, si tamen satis constaret vel media studiose adhibita fuisse inefficacia, vel constaret, effectum adscribendum esse causae accidentali. Articulum secundum aperte quoque declarant relata verba Sixtina* Constitutionis, *ita ut abortus reipsa secutus fuerit;* quae verba coniunguntur cum mediis studiose adhibitis, tamque effectus cum sua causa efficiente.

Sixtus V in indicata Constitutione, ea iustitiae severitate, qua in crimina erat incensus, omnibus quibus poterat poenis procurantes abortum foetus animati vel inanimati mulctavit, atque etiam procurantes sterilitatem : sed postea eam Constitutionem Gregorius XIV magna ex parte mitigavit per Constitutionem, *Sedes Apostolica,* editam anno 1591, atque ceterae poenae canonicae inflictae per Sixtinam Constitutionem videntur iam redactae ad ius commune; idest, quod si abortus fuerit animatus, qui fuerint causae abortus poenis mulctantur quibus in iure mulctantur homicidae voluntarii. Adverte tamen eiusmodi poenas et ceteras eiusdem generis per ss. canones inflictas, ut privatio Beneficiorum ipso facto vel privilegiorum clericalium aliorumque similium, generatim exsecutioni mandari non Bolere, nisi per sententiam Iudicis *declaratoriam:* id ex aequitate canonica est inductum.

Cl) Hic Articulus vix expositione indiget: placet tamen nonnulla documenta ad eruditionem referre, quae, licet in Decretalibus contineantur, paucis tamen sunt c«gnita. Innocentius III in *cap, 4 de Crimine Falsi* ad evitandum quoque periculum, id temporis certo non infrequens, ne Litterae Apostolicae f alsarentur haec constituit : « Statuimus et sub excommunicationis poena et suspensionis Ordinis et Beneficii districtius inhibemus, ne quis apud Sedem Apostolicam litteras nostras nisi a nobis vel de manibus illorum recipiat, qui de mandato nostro ad illud sunt officium deputati. Si vero persona tantae auctoritatis exstiterit, ut ipsam deceat per nuntium litteras nostras recipere, nuntium ad Cancellariam nostram vel ad nos ipsos mittat idoneum, per quem litteras Apostolicas iuxta formam praescriptam recipiat. Si quis autem in hac parte mandati nostri transgressor exstiterit, si laicus fuerit excommunicationi subiaceat, si Clericus officii et Beneficii suspensione damnetur.

» Aducientes statuimus , ut generalem excommunicationis sententiam promulgetis, quam per singulas paroecias faciatis frequentius innovari, quod si quis falsas litteras so habere cognoscit, intra viginti dies litteras illas aut destruat aut resignet, si poenam excommunicationis voluerit evadere, quam Cnisi forsan in mortis articulo) sine speciali mandato nostro, a quoquam nolumus relaxari, nec etiam si praesumpta fuerit contra hoc absolutio, quicquam habeat firmitatis. »

Atque in *cap. 7 eod. tit.,* postquam gravissimas censuras et canonicas poenas in falsarios intulerit, sic sanxit de his qui falsis litteris Apostolicis utantur: * *Qui vero sub nomine nostro litteris falsis utuntur; si Clerici fuerint, officiis et Beneficiis ecclesiasticis spolientur; si laici tamdiu maneant excommunicationi subiecti, donec satisfaciant competenter, ita tamen ut in istis et in illis malitia gravius quam negligentia puniatur.»*

Idem Pontifex varia indicia dedit, ex quibus argui posset litterarum Apostolicarum falsitas: sic ex. gr. in *cap. 6 eod. M.* ad Episcopum Antimacensem argute pro suo mora

Excommunicationes latae sententiae nemini reservatae.

» Excommunicationi latae sententiae uemini reservatae subiacere declaramus:

» Mandantes seu cogentes tradi Ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos (1).

rescripsit: « Nos vero litteras, quae tibi sub nostro nomine praesentatae fuerunt, diligentius intuentes, in eis, tam in continentia quam in dictamine deprebendimus falsitatem: atque in hoc fuimus admirati, quia tu tales litteras a nobis credideras emanasse, quum scire debeas, Apostolicam Sedem consuetudinem in suis litteris hanc tenere, ut Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos, *fratres,* ceteros autem Reges, Principes vel alias cuiuscumque ordinis, *filios* in nostras litteras appellemus. Et quum uni tantum personae nostrae litterae diriguntur, numquam ei loquimur in plurali, ut *vos,* sive *vester* et his similia in ipsis litteris apponamus. In falsis autem litteris tibi praesentatis in salutatione *dilectus in Christo filius* vocabaris, quum in litteris, quas aliquando tibi transmisimus, te videre potueris a nobis *fratrem venerabilem appellatum.* Propter quod sic litteras Apostolicas studeas intueri, tam in bulla, filo et charta, quam in stylo, quod veras pro falsis vel falsas pro veris litteris modo aliquo non admitías.»

Et in *cap. 9 eod. tit.* sic rescripsit: « Verum litteras ipBas, quae redargutae fuerant falsitatis, diligentius intuentes, nullum in eis falsitatis signum vel suspicionis invenimus, *nisi paucarum litterarum rasuras,* quae nequaquam sapientis animum in dubitationem vertere debuerunt...» Ex quo capite interpretes ss. canonum arguunt, propter paucarum litterarum rasuram in loco non suspecto, rescriptum non probatur falsum.

Cl) Eiusmodi censura restringitur ad *Mandantes et cogentes tradi...* quando agitur de sepeliendis *haereticis notoriis* C idem répète de Apostatis notoriis a christiana fide qui eodem censu habentur) aut de *excommunicatis nominatim,* vel *de interdictis nominatim.*

Antea eiusmodi censura ad multos extendebatur iuxta *cap.* 2 *de Haereticis in 6",* in quo Alexander IV haec constituit: « *Quicumque haereticos, credentes, receptatores, defensores, vel fautores eorum scienter praesumpserint ecclesiasticae tradere sepulturae , usque ad satisfactionem idoneam excommunicationis sententiae se noverint subiacere, Nec absolutionis beneficium mereantur nisi propriis manibus publice extumulent et proiiciant eiusmodi corpora damnatorum; et locus ille perpetua careat sepultura.*

Inde vero Clemens V in concilio Viennensi , prout legitur in *Clement, cap. 1 de Sepulturis,* haec constituit: « *Eos, qui propriae temeritatis audacia defunctorum corpora, non sine contemptu clavium ecclesiae in coemeteriis interdicti tempore in casibus non concessis a iure, vel excommunicatos publice aut nominatim interdictos vel usurarios manifiestos scienter sepelire praesumant, decernimus ipso facto excommunicationis sententiae subiacere, a qua nullatenus absolvantur nisi prius ad arbitrium dioecesani Episcopi eis, quibus per praemissa fuerit iniuria irrogata, satisfactionem exhibuerint competentem, nullo eis circa praemissa exemptionis vel quovis alio privilegio, subquacumqtieforma verborum concesso, aliqualiter suffragante.»*

Interpretes ss. canonum sub hac censura comprehendebant tum aperientes terram, in

II.

» Laedentes aut perterrefaeientes Inquisitores, denuntiantes testes, aliosve ministros S. Officii; eiusve Sacri Tribunalis scripturas diripientes, aut comburentes; vel praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes.

III.

» Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis, ***Ambitiome,*** De Reb. Ecc. non alienandis (1).

IV.

» Negligentes sive culpabiliter omitientes denunciare infra mensem Confessarios sive Sacerdotes a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Praedecess. Nostris Grego-

sepulturain mittentes, ipsam mandantes aut concedentes vel procurantes, tum etiam cooperantes, associantes seu crucem portantes et luminaria deferentes; quia omnes isti participabant in crimine criminoso subiecto excommunicationi. Vid. infra p. 50 in nota.

(1) Constitutio, quae incipit *Ambitiosae,* quae legitur in Sexto Decretalium *lib. B Extrav. comm. cap. unie, de Rebus ecclesiae non alienandis* "edita fuit a Paulo II anno 1467. Haec Constitutio passim in foro allegatur quando agitur de contractibus rerum Ecclesiae, atque in ea sic disponitur de bonis immobilibus et pretiosis mobilibus Deo dicatis quae pertinent ad Ecclesias, Monasteria, et pia loca quaecumque : *« omnium rerum et bonorum ecclesiasticorum alienationem, omneque pactum per quod ipsorum dominium transfertur, concessionem, hypothecam, locationem et conductionem ultra triennium nec non infeudationem vel contractum emphyteuticum* , praeter quam in casibus iure expressis, ac de rebus et bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis et *tunc ecclesiarum evidenti utilitate,* ac de fructibus et bonis, quae servando servari non possunt pro instantis temporis exigentia, bac perpetua valitura Constitutione fieri prohibemus. Praedecessorum nostrorum Constitutionibus, prohibitionibus et Decretis aliis super hoc editis, quae tenore praesentium innovamus, in suo nihilominus robore perra ansuris.

» Si quis autem contra huius nostrae prohibitionis seriem de bonis et rebus eisdem *quicquam alienare praesumpserit, alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conductio et infeudatio huiusmodi nullius omnino sit roboris vel momenti. Et tam qui aliénât, quam is qui alienatas res et bona praedicta receperit sententiam excommunicationis incurrat.* Alienanti vero bona ecclesiarum, Monasteriorum, locorumque piorum quorumlibet, *inconsulto Romano Pontifice,* aut contra praesentis Constitutionis tenorem, si Pontificali vel Abbatiali praefulgeat dignitate, ingressus ecclesiae sit penitus interdictus » etc. sequuntur aliae oanonicae poenae. Confer quae scripsi in adnotatione ad *cap. U sess. 22* Concilii Tridentini quod habes infra pag. 35. De casibus autem qui a Constitutione *Ambitiosae* excipiuntur, videsis Appendicem XI.

rio XV, Const. *Universi* 20 Augusti 1622, et Benedicto XIV, Constit. *Sacramentum poenitentiae,* 1 Iunii 1741 (1).

» Praeter hos hactenus recensitos, eos quoque quos Sacrosanctum Concilium Tridentinum, sive reservata Summo Pontifici aut Ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione excommunica-

(1) Casus expressi iu Constitutione Gregorii XV, *Universi,* ita se habent: « §. 4.... Statuimus , decernimus et declaramus quod omnes et singuli Sacerdotes, tam saeculares, quam quorumvis etiam quomodolibet exemptorum ac Sedi Apostolicae immediate subiectorum Ordinum, Institutorum, Societatum et Congregationum regulares, cuiuscumque dignitatis et praeeminentiae, aut quovis privilegio muniti existant, qui personas, quaecumque illae sint, *ad inhonesta. *ive inter se, sive cum aliis quomodocumque perpetranda in actu sacramentalis Confessionis, sive antea vel post immediate, seu occasione vel praetextu Confessionis huiusmodi etiam ipsa Confessione non sequuta, sive extra occasionem Confessionis in Confessionario aut in loco quocumque ubi Confessiones sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo simulantes ibidem Confessiones audire, sollicitare vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones sive tractatus habuerint.*

« §. 1. Mandantes omnibus Confessariis ut suos poenitentes, quos noverint fuisse ab aliis ut supra sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes....»

Casus expressi in Constitutione Benedicti XIV, *Sacramentum Poenitentiae,* sunt qui sequuntur : » *Qui aliquem poenitentem, quaecumque persona illa sit, vel in actu sacramentalis Confessionis, vel ante vel immediate post Confessionem, vel occasione, aut praetexta Confessionis, vel etiam extra occasionem Confessionis, in Confessionale sive in alio loco ad Confessiones audiendas destinato aut electo, simulatione audiendi ibidem Confessionem, ad inhonesta et turpia sollicitare* vel *provocare sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tunc aut post legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habuerint.»*

Heic quaeri potest I° a quo die, mensis ad denunciandum utilis, quin excommunicatio incurratur, computandus est?

2° Si dabatur mensis ad denunciandum utilis atque ob negligentiam vel culpam persona sollicitata in excommunicationem inciderit, poterit ne a Confessario absolvi ab excommunicatione contracta ?

Respond. Ad primum: mensis utilis ad denunciandum incipit a certa notitia huius obligationis et simul a certa notitia temporis utilis praescripti ad denunciandum : duplex est enim praescripta obligatio tum ad denunciandum , tum ad denunciandum infra mensem ; ideoque persona sollicitata, quae cognosceret tantum denunciandi obligationem sub poena excommunicationis faciendam, non vero sciret se infra mensem ad id teneri elapso mense in excommunicationem illico non incideret: dixi *illico* non incideret, namque in excommunicationem posset incidere si cognita dicta obligatione sub dicta excommunicationis poena satisfacere adhuc negligerei, quum gravis et urgens obligatio iam neglecta videatur, si ultra mensem culpabiliter protrahatur. Pariter neque ad denunciationes teneretur, si certo non sciret se ad denunciandum teneri. Confessarius, qui noverit poenitentem fuisse ab alio sollicitatam iuxta dictos casus, sive ipsa soUicitationi consenserit, sive non consenserit, tenetur eandem de sua obligatione monere ; atque ab eo die incipit mensis nd denunciandum utilis.

Ad secundum respondendum videtur, posse a Confessario absolvi, si poenitens promittat, se quam primum denunciaturam; non enim in hoc Articulo habetur illa clausula, *donec non denunciaverint,* quae habetur in Articulo IV *de excomm. B. Pontifici reservat.* Quomodo autem sese gerere debeat Confessarius ad coadiuvandum, instruendum poenitentem ad denunciandum videsis Appendicem XII.

vit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus; excepta anathematis poena in Decreto Sess. IV. ***De editione et usu Sacrorum Librorum*** constituta, cui illos tantum subiacere volumus, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt (1).

Heic paulisper sistimus, ut inseravnus excommunicationis poenas, quas inflixit Tridentinum Concilium, quae ad disciplinam referuntur cum adiectis ab eo reservationibus, atque inde prosequemur exponere Constitutionem de qua agimus.

De usurpatoribus quorumcumque bonorum ecclesiasticorum aut iurium, quorum excommunicatio est Eomano Pontifici a Concilio Tridentino reservata.

Sess. 22, c. 11 de Refor. ***u Si quem clericorum vel laicorum quacumque is dignitate, etiam imperiali aut regali, praefulgeat, in tan-***

(1) Hic quaeri potest, quinam libri veniant sub nomine librorum de rebus sacris tractantium ?

Resp. Nomine librorum de rebus sacris tractantium illi intelligendi sunt, quos Tridentina synodus *in sess. IV de editione et usu sacrorum librorum* intellexit; intellexit autem libros sacrae scripturae et eorundem librorum adnotationes et expositiones.

Tridentina Synodus Decretum illud emisit postquam Decretum dogmaticum edidit de canonicis scripturis, quo, sapientia summa, iuxta Ecclesiae traditionem determinavit canonem librorum divinitus inspiratorum : atque praeterea postquam determinavit ex omnibus latinis editionibus sacrae scripturae quae id temporis circumferebantur, vulgatam editionem pro authentica habendam esso; ne autem haec Decreta perverfcerentur districte prohibuit, ne ederentur libri de rebus sacris tractantes sine nomine auctoris. Decretum quod in Constitutione, *Apostolicae Sedis,* temperatum est ita se habebat.

« Sed et impressoribus modum in hac parte, ut par est, imponere volens *(sancta synodus),* qui iam sine modo *(ae-tate nostra dicendum, cum effrenata licentia),* hoc est, putantes sibi licere quicquid libet, sine licentia superiorum ecclesiasticorum, ipsos sacrae scripturae libros, et super illis adnotationes et expositiones quorumlibet indifferenter, saepe tacito, saepe etiam ementito praelo *(quod ostendit, id temporis non adeo fuisse ejfrenem impressorum procacitatem, ut aetate nostra),* et quod gravius est, sine nomine auctoris imprimunt, alibi etiam impressos libros huiusmodi temere venales habent, decernit et statuit, ut posthac sacra scriptura, potissimum vero haec ipsa vetus vulgata editio quam emendatissime imprimatur, nullique liceat imprimere- vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine Auctoris, neque illos in futurum vendere aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati probatique fuerint ab Ordinario, sub poena anathematis et pecuniae in canone Concilii novissimi Lateranensis apposita. Et si Regulares fuerint, ultra examinationem et probationem, huiusmodi licentiam quoque a suis superioribus impetrare teneantur recognitis per eos libris iuxta formam suarum ordinationum. Qui autem scripto eos communicant et evulgant, nisi antea examinati probatique fuerint, eisdem poenis subiaceant quibus impressores. Et qui eos habuerint vel legerint, nisi prodiderint auctores, pro auctoribus habeantur. » Quod Tridentinum Decretum quoad censuram nunc cohibitum

tum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicuius ecclesiae seu cuiusvis saecularis vel regularis Beneficii, montium pietatis, aliorumque piorum locorum iurisdictiones, bona, census ac iura etiam feudalia et emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones, quae in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, per se vel alios vi vel timore incusso, seu- etiam per suppositas personas Clericorum aut Laicorum, seu quacumque arte aut quocumque quaesito colore in proprios usus convertere, illosque usurpare praesumpserit, seu impedire, ne etb iis ad quos iure pertinent, percipiantur, is anathemati tamdiu subiaceat, quamdiu iurisdictiones, bona, res, iura, fructus et redditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione suppositae personae, pervenerint, ecclesiae eiusque administratori sive Beneficiato integre re stituerit, ac deinde a Romano Pontifice absolutionem obtinuerit. Quod si eiusdem ecclesiae patronus fuerit, etiam iure patronatus ultra praedictas poenas eo ipso privatus exsistat. Clericus vero, qui nefandae fraudis et usurpationis huiusmodi fabricator seu consentiens fuerit eisdem poenis subiaceat, nec non quibuscumque Beneficiis privatus sit, et ad quaecumque alia Beneficia inhabilis efficiatur, et a suorum Ordinum exsecutione etiam post integram satisfactionem et absolutionem sui Ordinarii arbitrio suspendatur* (1).

est ad eos tantum, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii adprobatione imprimunt vel imprimi faciunt.

Cl) Confer hoc caput Tridentini Concilii cum Articulo XI, quem superius vidimus, *pag. Ii* atque deprehendes, *usurpantes et séquestrantes iurisdictionem, iona redditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum aut Beneficiorum,* ex hoc capite Tridentino fuisse submotos, ut sub prima excommunicationis classe comprehenderentur, quae reservata est *speciali modo* Romano Pontifici. Haec submotio ex Tridentino capite, seu subtractio praecipuorum usurpantium et sequestrantium bona et iurisdictionem undequaque ecclesiasticam, ut graviori censura mulctarentur, efficit, ut verba dicti Articuli XI, tantum valeant pro nova censura , quantum exprimant, quemadmodum ibidem adnotavi. Sed quum in suo quoque vigore permaneat Tridentinum caput, quod eos quoque comprehendit, consequitur, ut si ex aliqua causa illi usurpantes vel séquestrantes evadere possent dictam censuram Articuli XI, tunc non facile effugerent censuram Tridentinam, quae est paullo mitior, quum reservata quidem sit Romano Pontifici, sed non *speciali m,odo.*

Item confer hoc caput Tridentini Concini cum Articulo XII, quem habes eadem pagina 14, atque deprehendes pariter, *invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios civitates , terras , loca aut iura ad ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes,perturbantes, retinentes supremam iurisdictionem in eis; nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes,* fuisse subtractos e Tridentina censura, ut pariter graviori censura mulctarentur, quum in re maioris momenti usurpationem patrarent, eandemque censuram fuisse protensam ad omnes cooperatores.

Confer pariter Tridentinum Decretum cum Articulo III, quem habes *pag. 33,* atque deprehendes Articulum illum, qui excommunicatione nemini reservata plectit *alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico ad formam JSxtravag antis u Ambitiosae »* non esse comprehensum *per se* sub Decreto Tridentino ¡

Excommunicatur Magistratus, si ad instantiam Episcopi non praebept auxilium adversus contradictores clausurae monialium: itemque violantes earum clausuram.

&ess. 25, c. 5 *de Regul.* *u Bonifacii VIII Constitutionem, quae incipit,* Periculoso, *renovans Sancta Synodus, universis Episcopis stih*

namque deprehendes in eo Artículo III agi de legitima administratione honorum ecclesiasticorum; quae administratio, Episcopis, ceterisque ecclesiasticis vel legitimis personis iure commissa, non adeo protenditur, ut possint eadem bona aliqua ratione alienare, sine Beneplacito Apostolico, exceptis nonnullis tantum casibus. Quod si alienatio fieret sine Apostolico Beneplacito, quum non sit usurpatio proprie dicta, non comprehenditur sub dicto Tridentini capite.

Dixi Articulum III *per se* non esse comprehensum sub Tridentino Decreto ; namque *per accidens* posset comprehendi; idest quando legitimi administratores bonorum ecclesiae, bona alienarent, ut eadem usurparent, puta ob tenuissimum pretium, quo alienarent, ut aliunde ipsi lucrum perciperent: hoc enim in casu titulo illegitimae alienationis tegeretur quoque usurpatio: eaque proinde alienatio comprehenderetur sub Tridentina censura huius capitis inflicta omnibus usurpatoribus ob quamvis usurpationem bonorum quorumcumque ecclesiasticorum *quacumque arte aut quocumque quaesito colore* factam.

Haec Tridentina dispositio adeo ampla est, ut omnia ecclesiastica bona, etiam *locorum piorum, quae in ministrorum et pauperum necessitates converti debent,* comprehendat, omnesque personas, qui aliquo modo ecclesiastica bona usurpant, vel usurpata ab aliis sibi retineant, quodcumque fuerit medium per quod ea bona usurpata sibi devenerint, *etiam per suppositas personas clericorum vel laicorum,* idest, etiam quando eadem bona aliquis sibi retineat, quia derivaverint per medium clericorum vel laicorum, qui sint legitimi eorundem bonorum administratores, puta ex donatione ab eis facta.

Et non tantum comprehendit eos, qui bona redditus etc. aliqua ratione usurpavorint, vel impediverint, ne eadem bona et ïedditus ab eis, ad quos iure pertinent, percipiantur; sed etiam qui usurpaverint iurisdictiones ecclesiasticas ecclesiarum vel Beneficiorum etiam piorum locorum, puta usurpaverint potestatem eadem pia loca gubernandi ordinandi contra leges in fundationibus praescriptas independenter a legitima ecclesiastica auctoritate. Idem est sive sint patroni sive non sint. Clerici praeterea, quamquam essent legitimi administratores, etiamsi bona et iurisdictiones sibi non usurparent, sed essent usurpationis fabricatores vel etiam si tantum suo consensu usurpationem coadiuvarent, iisdem poenis subiacent.

Hic quaeri facile potest, utrum qui emant ecclesiastica bona usurpata ab usurpatoribus in hanc Tridentinam censuram incidant: ratio dubitandi est, quod in Tridentino capite hic casas non videtur consideratus ; qui enim. per contractum onerosum bona usurpata acquirat non videtur stricto sensu usurpatori e converso Tridentina dispositio videtur tantum loqui de eis, qui quovis praetextu et quaesito colore bona sibi usurpant, non vero per solutionem pi'étii bonorum venditorum. Eo magis quod quum de censura agitur verba dispositionis protendere non debeamus.

Resp. Comprehenduntur sub sententia Tridentinae dispositionis, quamquam fortasse non comprehendantur sub verbis dispositionis eiusdem. Sententia autem legis est, ut quaevis bonorum ecclesiasticorum usurpatio eadem censura plectatur : qui autem emit bona usurpata ab usurpatoribus, actione sua in usurpationem concurrit, atque bona quae acquirit non cessant esse usurpata bona per pretium usurpatori solutum: quum ipse eorum dominus vel legitimus saltem administrator non sit.

Quod vero censuram non debeamus protendere ultra verba dispositionis, est iuridicum sophisma in praesenti casu; namque *« certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem,* quae est alia Regula iuris *Heg,*

obtestaìone divini iudicii et interminatione maledictionis aeternae praecipit, ut in omnibus monasteriis sibi subiectis ordinaria, in aliis vero Sedis Apostolicae auctoritate, clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, et ubi inviolata est, conservari maxime procurent, inobedientes atque contradictores per censuras ecclesiasticas aliasque poenas, quacumque appellatione postposita, compescentes, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Quod auxilium ut praebeatur, omnes Christianos Principes hortatur Sancta Synodus, et sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda, omnibus magistratibus saecularibus iniungit (1).»

Sess. 25 ex cap. 5 de Reg. *u Ingredi autem intra septa monasterii nemini liceat, cuiuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerit,- sine Episcopi vel Superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda* (2). *9*

Excommunicantur raptores m aliorum eorundemque consorti.

Sess. 24 ex cap. 6 de Refor. matr. *Decernit Sancta Synodus, inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere "natHmonium. Quod si rapta a raptore separata et in loco tuto et libero constituta illum in virum habere censuerit, eam raptor in uxorem habeat, et nihilominus raptor ipse ac omnes illi consilium, auxilium et favorem praebentes, sint ipso iure excommunicati...* (3).»

Excommunieantur qui libertatem matrimonii contrahendi violant.

Sess. 24 ex cap. 9 de Ref. matr. « *Ita plerumque temporalium dominorum ac magistratuum mentis oculos terreni affectus atque cu-*

iur. 88 in 6°. Cetorum quando invocantur iuris Eegulae prae oculis habendum est, non ius ex Regulis oriri, sed e converso Regulas ex iure oriri; ideoque eum praeseferre sensum ex iure ex quo desumptae sunt, et secundum ius intelligendas. His positis apparet, quamparum inserviant iuris Regulae in legum interpretatione, et quam facile sophismata iuridica committi possint, si his Regulis indiscriminatim utamur, indole et sententia legum neglectis.

Quod si eiusmodi emptores ex aliqua iusta causa effugere possent hanc Tridentinam censuram, facile inciderent in censuram Constitutionis *Ambitiosae.*

(1) Haec tamen censura in praesenti societatis statu per non usum, iam videtur in desuetudinem abiisse.

C2) Haec censura iam comprehensa est sub Articulo VI Constitutionis *de Exeom. B. Ponti/, spee. mod. reserv.*, ideoque convertitur in eam expressam in eodem Articulo.

(3) Eiusmodi censura in suo vigore manet, quamquam tempore Tridentini Concilii casus huiusmodi erant multo frequentiores, quam aetate nostra. Namque homines effrenati id temporis ad haec patranda crimina erant magis intenti, quum minus intenti essent ad ideas passionesque poliüoas.

piditates excaecant, ut viros et mulieres, sub eorum iurisdictione degentes, maxime divites vel spem magnae hereditatis habentes, minis et poenis adigant cum iis matrimonium invitos contrahere, quos ipsi domini vel magistratus illis praescripserat. Quare, quum maxime nefarium sit Matrimonii libertatem violare et ab eis iniurias nasci, a quibus iura expectantur, praecipit Sancta Synodus omnibus, cuiuscumque gradus, dignitatis et conditionis existant, sub anathematis poena, quam ipso facto incurrant, ne quovis modo directe vel indirecte subditos suos vel quoscumque alios cogant, quominus libere matrimonia contrahant (1).»

Excommunicantur, qui cogant mulierem ad ingrediendum monasterium, vel impediant.

Sess. 21, cap. 18 de Regni, *u Anathemate Sancta Synodus subiicit omnes et singulas personas, cuiuscumque qualitatis vel conditionis fuerint, tam Clericos quam Laicos, saeculares vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, si quomodolibet coegerint aliquam virginem vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem, praeterquam in casibus in iure expressis* (2), *ad ingrediendum monasterium vel ad suscipiendtcm habitum cuiuscumque religionis, vel ad emittendam professionem, quique ßonsilium, auxilium vel favorem dederint, quique scientes eam non sponte ingredi monasterium aut*

(1) Pariter haec censura in dominos vel magistratus inflicta, qui subditos cogèrent, quominus libere matrimonium contraherent in suo vigore permanet, quamquam minores admodum aetate nostra sint eiusmodi casus, qui frequentissimi erant Tridentini Concilii tempore.

(2) Casus in iure expressi ad hos reducuntur: in *cap. 18 de Gonvers. coniugatorum* Innocentius III ita legitur ad propositum eidem casum rescripsisse : « Significavit nobis A mulier, quod, quum ipsa E viro suo coram Decano Sancti Quiriaci, vice Archiepiscopi Senonensis in hac parte fungente, licentiam concesserit religionem intrandi; continentiae tamen voto eidem iniuncto, et recepta fide ab ipsa, quod perpetuo contineret, idem Decanus, post factam professionem a viro praedicto in monasterio in quo habitum assumpserat monachalem, asseruit, ipsam debere religionem intrare, quamquam id primo non expressisset eidem, et hoc expressos illi licentiam non dedisset. Quocirca mandamus quatenus si est ita, et est talis de qua suspicio haberi non possit, ipsam, votum continentiae observantem, intrare monasterium compelli non permittatis invitam. *> Ex quo capite Glossa sic arguit : « Ex eo enim quod dicit *de qua suspicio haberi non possit non debet compelli,* intelligo quod si sit suspecta, debet compelli religionem intrare ex quo promisit continentiam.»

Item Gregorius IX *in cap. 19 eod. tit.* alterum consideravit casum, atque ita rescripsit: *u* Mulieres vero, quae relicto maritali toro lapsu carnis ceciderunt , si mariti earum a te diligenter commoniti eas ad frugem melioris vitae conversas noluerint recipere propter Deum, in claustris cum religiosis mulieribus studeas collocare, ut perpetuam poenitentiam ibi agant.»

habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel praesentiam veli consensum vel auctoritatem interposuerit. Simili quoque anathemati subiicit eos, qui sanctarum virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi vel voti emittendi quoquo modo sine iusta causa impedierint. »

Excommunieantur duellantes et reliqui, qui duellum quasi honestum spectaculum permittunt vel adiuvant, vel assistunt.

Sess. 25 ex cap. 19 de Ref. *u Imperator, Beges, Duces, Principes , Marchiones, Comites et quocumque alio nomine domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris suis inter christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati. Qui vero pugnam commiserint, et qui eorum patrini vocantur, excommunicationis. . . . poenam incurrant.... Illi etiam, qui consilium in causa duelli tam in iure, quam in facto dederint, aut alia quacumque ratione ad id' quemquam suaserint, nec non spectatores, excommunicationis ac perpetuae maledictionis vinculo teneantur* (1).»

Hae sunt excommunicationes quas in rebus disciplinae inflixisse Tridentinum Concilium reperimus. Sequitur modo SSmi Domini Nostri Constitutio, quam referre assumpsimus.

Suspensiones latae sententiae Summo Pontifici reservatae.

I.

« Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum Beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis Capitula et Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum aliique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Praelatos de praedictis Ecclesiis, seu Monasteriis apud eandem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Litteras Apostolicas de sua promotione (2).

Cl) Haec censura iam comprehensa est sub Articulo III quem habes *pag. 17,* ideoque in eam convertitur.

C2) Haec censura originem duxit ex Extra vaganti *Tniunctae nobis, de Electione* c. *1 inter communes,* sic enim inter cetera in ea sanxerat Bonifacius VIII. « Praesente itaque perpetuo valitura Constitutione sancimus, ut Episcopi et alii Praelati superiores nec non Abbates, Priores et ceteri monaste-

n.

» Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso iure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo Benefici vel patrimonii cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta (1).

riorum regimina exercentes, quocumque nomine censeantur, qui apud dictam Sedem *(Apostolicam)* promoventur, aut confirmationis, consecrationis vel benedictionis munus recipiunt, ad commissas eis ecclesias et monasteria absque dictae Sedis litteris huiusmodi, eorum promotionem, confirmationem, consecrationem, seu benedictionem continentibus, accedere, vel bonorum ecclesiasticorum administrationem accipere non praesumant; nullique eos absque dictarum litterarum ostensione recipiant, aut pareant vel intendant. Quod si forsan contra praesumptum fuerit, quod per Episcopos, Praelatos; Abbates, Priores et alios monasteriorum regimina exercentes praedictos medio tempore actum fuerit, irritum habeatur; nec quicquam interim iidem Episcopi vel Praelati, Abbates, Priores, vel regimina exercentes, de Ecclesiarum vel monasteriorum proventibus percipiant earundem. *Capitula vero et conventus ecclesiarum et monasteriorum ipsorum et alii quicumque, ipsos absque huiusmodi dictae Sedis litteris recipientes vel obedientes eisdem, tamdiu sint a Beneficiorum suorum perceptione suspensi, donec super hoc eiusdem Sedis gratiam meruerint obtinere,* **Similiter quoque Episcopi, Praelati, Abbates. Priores et alii monasteriorum regimina exercentes praedicti, solito fidelitatis et obedientiae iuramento non praestito. Illi etiam Pontifices, quos apud praedictam Sedem pallium continget recipere, absque litteris traditionis ipsius pallii nequaquam ab eadem discedant; discedentes vero (quousque huiusmodi iuramentum praestiterint, et litteras obtinuerint) nihil de ipsarum ecclesiarum et monasteriorum proventibus percipiant, et quicquid interim per eos (ut de aliis praedicitur) actum fuerit, viribus non subsistat.»**

(1) Gregorius IX in *cap. Si quis* **45,** *de Simonia,* **haec statuit: «** *Si quis ordinaverit seu ad ordinem praesentaverit aliquem, promissionem vel iuramentum ab illo recipiens, quod super provisione sua non inquiet eundem, ordinatur a collatione, Praesentatur vero ab exsecutione ordinum per triennium, et ordinatus ab ordine sic suscepto, donec dispensationem super hoc per Sedem Apostolicam obtinere meruerint noverint se suspensos.»*

Eiusmodi iuris dispositio, uti patet, ex parte tantum est innovata : incurrunt enim hanc suspensionem solum ordinantes.

Haec dispositio reperitur in Decretalibus sub titulo *de Simonia,* **quia propositus casus simoniam redolet. Neque huic iuris dispositioni derogaverat Tridentina synodus, quae immo hac in re veteres canones innovavit.**

Namque Tridentina synodus de titulo s. ordinationis plura disponens in *cap. 2 sess. 21 de Ref or.* **his verbis caput hoc clausit:** *antiquorum canonum poenas super his innovando:* **ideoque dispositio Gregorii IX de qua loquor, renovata censenda erat quamquam etiam ob speciem simoniae esset inflicta.**

Abs re hic non erit, indicare quandam dubitationem ortam post Tridentinam Synodum super illis verbis : *antiquorum canonum poenas super his innovando.* **Nonnullae erant poenae antiqui iuris, relatae in Decreto Gratiani** *can. Neminem, et can. Sanctorum dist. 70,* **quibus canonibus infligebatur perpetua privatio exsecutionis ordinis in eos, qui sine titulo ordinabantur, idque in iniuriam ordinantis sine titulo: sed aliae poenae erant minus antiquae, quae derogaverant illis antiquissimis, et sunt illae quae leguntur in DecretaUbus,** *capitibus 2, 4, 16, et 23 de Praebendis,* **et** *cap. 37 eod. tit. in 6°.* **quae quidem poenae non pleotunt ordinatos, sed ordinantes et sine censura: namque his capitibus hoc principium dumtaxat continetur: ordinans sine titulo cleri-**

m.

» **Suspensionem per annum ab Ordinum administratione ipso iure incurrunt ordinantes alienum subditum etiam sub praetextu Beneficii statim conferendi, aut iam collati, sed minime sufficientis, absque eius Episcopi litteris dimissorialibus (1), vel etiam subditum**

cos in sacris ordinibus tenetur eisdem subministrare congrua alimenta donec per ipsum ordinantem vel per alium consultum non fuerit titulo s. ordinationis.

S. Congregatio authentica Concilii Tridentini interpres in dubii solutione, iuxta ea quae tradit Fagnanus in *cap. Cum sedendum, de Praebendis n. 63 et seq.*, hanc tenuit viam, ut non intelligeretur renovata poena antiquissima, propterea quod eidem poenae iam esset derogatum per subsequentes canones, quando tamen ageretur de ordinato sine titulo non interveniente fraude : quod si fraus intervenire^ puta ob confictum falsumque titulum, quo ordinatus decipiat Episcopum, tunc sustinet Fagnanus locum habere vetustissimam poenam in sic ordinatum. De qua re videsis Appendicem XITI.

Successit Constitutio Sixti V, *Sanctum et salutare,* edita die 5 Ianuarii 1589, qua Pontifex ille praeter alias poenas suspendit tam ordinantem, quam ordinatum nulla distinctione facta, nisi iustus error vel probabilis facti ignorantia Episcopum excusaret. Quam Constitutionem tamen ad terminos communis iuris et Constitutionis Pii II, *Cum ex sacrorum* editae die 17 Novembris 1461, reduxit postea Clemens VIII in Constit. *Romanum Pontificem,*edita die 28Februar. 1596. Ita res manserat ut prius.

Denique Urbanus VIII in Constit. *Secretis,* edita die 11 Decembris 1624 inter cetera perpetuo eos suspendit *qui cum falsis vel fictis aut fiduciariis patrimonii titulis scienter se ad ordines promoveri fecerint.* Quod est id, quod docuerat cum aliis Fagnanus, quodque iam confirmaverat S.Congregatio Concilii die 27 Novembris 1610 ut refert Bened. XIV *Institut, eccles. 26, n. 16.*

Hic facile quaeritur, quid hodie sentien» dum post Constit. *Apostolicae Sedis, ie* iis» clericis saecularibus, qui fortasse conficto titulo ordinari se fecerint?

Resp. Nulla censura irretiti manent, tum quod suspensio ab urbano VIII cessavit, tum quod Tridentina expressio, *antiquorum canonum poenas super his innovando,* de qua, ut exposui, iampridem dubitatum est, videtur quoque cessasse, quum Constitutio, *Apostolicae Sedis,* renovans Tridentinas censuras, non videatur rénovasse censuras Tridentinas indirecte inflictas de qua re videsis Appendicem XIV.

(1) Iuxta ss. canones de sacra ordinatione ille est diciturque non subditus causa ordinationis alicui Episcopo, qui non sit ei subditus ratione originis aut ratione domicilii aut ratione familiaritatis aut ratione Beneficii; namque quisquis, si aliquo ex his quatuor titulis gaudeat, iam dicitur Episcopo subditus causa recipiendae ordinationis. Ex his quatuor titulis duo sunt quae possunt facile pendere a voluntate Episcopi ordinanti» cuiusmodi est titulus familiaritatis; praesertim vero titulus Beneficii: si itaque qui ordinandus est Beneficium obtineat extra suam dioecesim, quod redditus sufficientes praebeat iuxta eius dioecesis leges in qua Beneficium exstat, quibus ceteri ordinari possint , non est dubium, eum qui tale Beneficium possideat, ab Episcopo eius dioecesis posse ordinari sine litteris dimissorialibus sui Episcopi, qui solet esse Episcopus domicilii.

Sed quaeritur : si Beneficium non sit sufficiens, ob tenues redditus ad constituendum ordinationis titulum iuxta leges vel consuetudinem dioecesis in qua Beneficium exstat, poteritne suppleri per patrimonium ordinandi ?

Resp. Non potest suppleri per patrimonium ; et si Episcopus ordinaret eiusmodi Beneficiarium cum supplemento patrimonii, sine litteris dimissorialibus eius Episcopi, ordinaret alienum subditum et in suspensionem incideret ipso iure in hoc Articulo de-

proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii eius loci litteris testimonialibus (1).

exaratam: ordinaret enim *alienum subditum sub praetextu Beneficii iam collati, sed minime sufficientis.*

Namque liae in re quoad dispositiones canonicas sacrae ordinationis in vigore manet celebris Constitutio Clementis XII, *Speculatores,* edita die 4 Novembris 1694, quae explicavit uberius atque determinavit Tridentinas dispositiones de s. ordinatione. Ita autem Pontifex ille constituit: « Licet vero Clericus ratione cuiusvis Beneficii in aliena dioecesi obtenti subiici dicatur iurisdictioni illius Episcopi in cuius dioecesi Beneficium situm est, eam tamen de cetero hac in re inconcusse servari volumus regulam, ut nemo eiusmodi subiectionem ad effectum suscipiendi ordines acquirere censeatur, nisi Beneficium praedictum eius sit redditus, ut ad congruam vitae sustentationem, sive iuxta taxam synodalem, sive, ea deficiente, iuxta morem regionis, pro promovendis ad sacros ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, illudque ab ordinando pacifice possideatur, *sttblata quacumque facultate supplendi quod deficeret fructibus eiusdem Beneficii cum adiectione patrimonii etiam pinguis, quod ipse ordinandus in eadem seu alia quavis dioecesi obtineret.»*

Item quaeri potest, utrum Episcopus in eandem suspensionem incurrat, si collato aiieno subdito Beneficio sufficienti, eundem ordinet, quin habeat litteras testimoniales alterius Episcopi vel aliorum Ordinariorum quibus ordinandus quoque subsit ex aliis titulis.

Eesp. In suspensionem incurreret, si violata maneret regula, quae in secunda parte Articuli exprimitur per verba: *vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit.* Si enim haec regula violata non maneret, puta, quia Episcopus conferat Beneficium alieno clerico (conferri enim Beneficia non possunt nisi illis, qui iam saltem prima tonsura sint initiati), qui a prima iuventute in suo seminario degerit, non videtur in censuram incurrere. Atomen eiusmodi Episcopus, quamquam in censuram non incurrit, violaret ecclesiasticam legem in Constit. *Speculatores* expressam his ver>* bis: « *Clericum, qui legitime iam a proprio Episcopo ad eandem clericalem tonsuram seu etiam ad minores ordines promotus fuerit, non posse ab alio Episcopo ratione ac titulo cuiuscumque Beneficii in illius dioecesi obtenti ad ulteriores ordines promoveri, nisi ante eorundem susceptionem testimoniales literas proprii Episcopi tam originis quam domicilii, super suis natalibus, aetate, moribus et vita- sibi concedi obtinuerit, easque Epìscopo ordinanti in actis illius Curiae conservandas exhibuerit.»*

^ Item quaeri potest, quomodo conciliatur cum hac parte huius Articuli III, dispositio Tridentina *sess. 23 c. 8 de Bef.* quae ita se habet: *u Unusquisque autem a proprio Episcopo, ordinetur. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cuiusvis generalis aut specialis rescripti vel privilegii praetextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi eius probitas ac mores, Ordinarii sui testimonio commendetur. Si secus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum et ordinatus a susceptorum ordinum exsecutione, quamdiu proprio ordinario videbitur expedire, sit fuspensus.»*

Eesp. Nulla datur oppositio inter hano Tridentinam dispositionem et Articulum III Constitutionis de quo agimus. Namque dispositio Tridentina videtur respicere peculiarem casum de eo, qui petat promoveri ab alio, qui non sit Episcopus proprius neque ratione originis vel domicilii neque Beneficii vel familiaritatis; item respicit casum eius, qui forte obtinuerit aliquod Apostolicum rescriptum, vi cuius posset ordinari ab alio Episcopo; itemque casum respicit, de Episcopo, qui vi alicuius privilegii ordinare posset quemlibet ad se accedentem, iuxta id quod legitur in *sess. 14 c. 2 de Bef,* Hisce enim in casibus tum Episcopus, qui ordinaret subditum alienum sine dictis litteris testimonialibus, tum ipse Ordinatus in eam Tridentinam censuram incideret.

(1) Quaeri potest, qua ratione aestimandam sit "tempus commorationis alibi factae

IV.

» Suspensionem per annum a collatione Ordinum ipso iure incurrit, qui, excepto casu legitimi privilegii, Ordinem sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii Clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo (1).

ut Ordinarius sub hac poena teneatur exquirere litteras *testimoniales* dandas ab aliis locorum Ordinariis?

Resp. Norma ad aestimandum commorationis tempus alibi factae, est ea quae in ipso Articulo indicatur per verba: *ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit.* In qua. re tamen est animadvertendum, sermonem non esse de philosophica possibilitate (canonicum enim impedimentum potest contraili per brevissimum morae spatium); sed de possibilitate iuridica, quae iuxta locorum et personarum circumstantias frequentius exsecutioni mandatur. Lex enim respicit ad id quod frequentius accidit, et non ad ea quae raro contingunt, *I. Non ad ea, ff. de Legibus.* Si tamen hac in re quaeratur aliqua regula, tutissime posset aptari illa, quae viget de litteris testimonialibus de *statu libero* pro matrimonio contrahendo ab illis exhibendis, qui commorati fuerint tantum temporis in variis locis, ut documentum liberi status existimetur necessarium.

Animadverti quoque potest, non omnia canonica impedimenta s. ordinationis esse eiusdem indolis: alia enim sunt quae contrahi possunt in loco originis vel domicilii, alia quae contrahi possunt in quovis commorationis loco , ut patet ex sequenti elencho, quem ex Monacelli *(Formularium legale practicum de Goliat, ordinum form. 1)* exscribo.

PROMOVERI NO» POSSUNT

Non baptizati, *cap. Veniens de Fresbyt. non baptiz.*

Illegitimi, *can. Presbyter 56 dist.*

Minores natu, *can. Qui in aliquo 51 dist.*

Non confirmati, *Conc. Trid. sess. 23 c 4 de Befor.*

Neophyti, *dicto c. Qui in aliquo, can. Quoniam 48 dist.*

Uxorati, *Extravag. Ioannis XXII, Antiquae.*

Bigami, *can. Si quis 33 dist. et tot. tit. de big. non ordinandis.*

Criminosi, *can. Laici dist.* 33; *Concil. Trid. sess. 14 c. 7 de Befor.*

Infames, *can. Infames 6 q. 1.*

Publicis rationibus impliciti, *can. Legem, 53 dist.*

Servi, *c. De servorum, de sero. non ord.*

Eunuchi, *can. Si quis, 55 dist.*

Corpore vitiati, *can. Illetteratos, 36 dist.*

Insigniter deformes, *can. fin. 51 dist.*

Amentes et furiosi, *dicto c. Qui in aliquo.*

Energumeni, *can. Communiter 33 dist.*

Peregrini et ignoti, *dicto c. Qui in aliquo.*

Ebrietati et gulae dediti, *cap. 23 de vita et honest, cleric.*

Usurarii manifesti, *c. Episcopus 47 dist.*

Eudes et ignari, *Concil. Trid. sess. 23 per tot.*

Irregulares, *c. Saepe de temp. ord. in 6".*

Suspensi.

Interdicti.

Excommunicati.

Morbo comitiali laborantes.

Lanii, Cauponae, Mimi, Histriones.

Qui saeva exercuit, vel denunciavit secuta poena vel mutilatione, *can. Communiter, can. Clerici, dist. 33, cap. unie, de vita et honest. Cleric. in 6", Clem. 1 eod. tit., can. His quibus* 23 *quaest. 8, cap. Sententia sanguinis, Ne clericor. vel Monachjr., cap. Ex litteris, de Excess, praelat.*

Videsis de hac re Appendicem XV, in qua refertur quoque ex integro Constitutio *Speculatores,* quae, excepta poena suspensionis, iuxta Articulum de quo agimuB temperata, in reliquis in suo vigore permanet.

(1) Concilium Tridentinum in *sess. 21 c. 2 de Bef.* agens de titulo s. ordinationis pro saeculari Clero, nihil de Regularibus disp o-

V.

» Suspensionem perpetuam ab exercitio Ordinum ipso iure incurrunt Religiosi eiecti, extra Religionem degentes (1).

suit: eiusmodi enim rem reliquit iuxta primaevam consuetudinem, secundum quam Regularibus titulus erat ipsa religiosa professio, qua perpetuo Regulari Ordini mancipantur, et ex quo ali debent. Post Tridentinum Concilium S. Pius V, ad removendus* abusus eorum, qui se iactabant Religiosos et Regulares quamvis non emisissent professionem in aliqua adprobata Religione, statuit, ut etiam Regulares non professi non promoverentur ad sacros ordines nisi ad titulum Beneficii vel Patrimonii vel Pensionis et non aliter, sub poena suspensionis. Ita autem sanxit in Constitutione *Romanus Pontifex!* edita die 14 Octobris 1568.

« §. 2. Cum autem nuUa in huiusmodi Decreto *(Ooncilii Trid. sess. 21 c. 2 de Ref.)* religiosorum Clericorum mentio facta fuerit, ac propterea nonnulli, uti moleste accepimus, certorum Ordinum religiosi seu Canonici vel Clerici intra claustra monasteriorum seu domorum more Regularium, in communi viventes, qui numquam, seu nonnisi ad certum tempus -professionem emittunt et ex claustro exire vel dimitti, ad saeculum redire libere et licite possunt, Religionis praetextu, titulo sufficientis Beneficii, nec iuxta Decreti tenorem ad sacros ordines se promoveri praetendat, et a nonnullis Episcopis passim promoveantur, atque inde plerumque illud inconveniens eveniat, ut sic promoti et e claustro exeuntes et per saeculum vagantes vel mendicare vel sordidum quaestum exercere, non sine ipsorum dedecore ac ordinis vilipendio et quamplurimorum Christifidelium scandalo cogantur.

» §. 3. Nos igitur, qui singulorum ©ei ministrorum honorem et decus, quantum in nobis est, sinceris exoptamus affectibus, motu proprio et ex certa nostra scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine , hac perpetuo valitura sanctione *Decretum praedictum de Clericis saecularibus loquens, ad omnes et singulos etiam cuiuscumque Ordinis Clericos religiosos sive saeculares. more religiosorum viventes in communi, non professos, harum serie extendimus et ampliamus, ac Religiosis et aliis praedictis non professis, ut ad sacros ordines promoveri;* nec non omnibus et singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentibus, ut ordines ipsos huiusmodi religiosis personis impendere nisi observata forma dicti Decreti, nos virtute sanctae obedientiae et sub indignationis nostrae poena, interdicimus et prohibemus, *ac contrafacientes per annum a praestatione talium ordinum ipso iure suspendimus.*

» §. 4. Statuentes et decernentes promotiones quarumlibet religiosarum personarum praedictarum ad ordines huiusmodi contra ipsius Decreti Concilii Tridentini formam, etiam cuiusvis licentiae. . . concessae praetextu, factas, exsecutione praedictorum ordinum omnino carere nullasque prorsus et irritas exsistere, sic promotas personas in altaris ministerio ministrare non posse, etc.»

Haec secunda sanctio, qua Pontifex renovavit veieres canones *Neminem 1* et *Sanctorum 2 dist. 7* de quibus mentionem feci in superiori Articulo II, per Constitutionem *Apostolicae Sedis* cessat.

Videsis quoque Appendicem XV, in qua refero causam *Tarvisinam, Dubia super S. Ordinatione,* agitatam in S. Congr. Epis«». et Reg. et definitam die 6 Maii 1864, quae lucem affert circa vigentem disciplinam de s. ordinatione quoad ecclesiastica Instituta in quibus solemnis professio non emittitur: eam causam refert Emus Card. Bizzarri in *Collectanea in usum Secretariae S. Congr' Episc, et Reg. pag. 760.*

Cl) Haec Articuli verba deprompta sunt ex Decretis S.Congregationis Concilii editis sub Urbano VIII die 21 Septembris 1624; ea inserta exstant Bullario romano. In paragg pho 10 horum Decretorum haec leguntur: « *Item* ÇS. Congregatio statuiQ *ut eiecti,*

VI.

y> Suspensionem ab Ordine suscepto ipso iure incurrunt, qui eundem Ordinem recipere praesumpserunt ab excommunicato vel

extra religionem degentes, sint perpetuo suspensi ab exercitio ordinum, sublata Ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandl aut moderandi.»

Praeterea in §. 6 eorundem Decretorum S. Congregatio statuerat ordinem iudicialem servandum ad expellendos Regulares; qui expelli non possunt nisi sint incorregibiles. Atque in §. 11 renovavit Constitutionem Gregorii IX in *cap. fin. de Regularibus,* in qua refertur constitutio Concilii Lateranensis sub Innocentio III. Haec Constitutio Gregorii IX ita se habet: « Ne Religiosi vagandi occasionem habentes, salutis propriae detrimentum incurrant, et sanguis eorum de Praelatorum manibus requiratur, statuimus, ut praesidentes Capitulis celebrandis secundum statutum Concilii generalis, *seu Patres Abbates seu Priores fugitivos suos et electos de Ordine suo, requirant sollicite annuatim. Quod si in monasteriis suis recipi possunt secundum Ordinem regularem, Aoozies seu Priores eorum monitione praevia, per censuram ecclesiasticam compellantur ad receptionem ipsorum,salva ordinis disciplina. Quod si hoc regularis Ordo non patitur, auctoritate nostra provideant, ut apud ea monasteria in locis competentibus, si absque gravi scandalo fieri poterit, alioquin in aliis religiosis domibus eiusdem Ordinis ad agendam ibi poenitentiam, talibus vitae necessaria ministrentur. Si vero eiusmodi fugitivos vel electos inobedientes invenerint, eos excommunicent ei tamdiu faciant ab ecclesiarum Praelatis excommunicatos publice denuncian, doñee ad mandatum ipsorum humiliter revertantur.»*

Haec Decretalis his verbis fuit innovata in dicto §. 11 Decretorum S. Congregationis. *« Ac postremo censuit* **(S. Congregatio)** *esse innovandam et suae Beatitudinis auctoritate innovat Constitutionem fel. rec. Gregorii IX relatam in c. fin. de Reg., ac praeterea declarat eam Constitutionem in iis auoouc vindicare sibi locum servandamque esse, qui iuste definitive, ac iuris ordine servato expulsi fuerint; dummodo tamen in expulsis huiusmodi subsit spes evidens emendationis ex litteris saltem testimonialibus Ordinarii, cuites conscientiam in litteris concedendis S. Congregatio serio oneravìt.»*

Hic quaeri potest, utrum illi, qui iniuste eiiciantur e Religione in hanc perpetuam suspensionem incurrant.

Resp. videntur incurrere. Ratio est quod in hoc Articulo non fit distinctio inter iustam vel iniustam electionem, sed tantum ¿imitatio adiicitur, per verba *extra religionem degentes:* proindeque -qui eiecti sunt et extra Religionem degunt, sive iuste sive iniuste fuerint eiecti, quousque extra religionem degunt, sive extra suam quam professi sunt, sive extra aliam in quam possint canonice transire, suspensi manent ab exercitio ordinum.

Qui autem putent, se iniuste extra religionem eiici, habent iuris remedia per recursum ad S. Sedem, a qua tamen neque audiuntur si extra religionem degant iuxta *c. 19 Concil. Trident, sess. 2.5 de Regul.* nisi forte prius obtineant facultatem reclamandi extra religionem degentes.

Si quaeras, quaenam sit canonica ratio, cui hic Articulus V innitatur, haec esse videtur. Qui a sua Religione eiicitur, eo ipso caret titulo suae ordinationis, immo et ecclesia, cui sit adscriptus, et simul obligatione gravissima obstringitur faciendi satis votis solemnibus per Religiosam professionem Deo nuncupatis; ideoque non aliud superest remedium, nisi ut ad suam redeat religionem si forte in aliam non transeat, vel nisi forte valeat obtinere a S. Sede saecularizationis indultum, quo, substantia votorum incolumi manente, possit reperire benevolum Episcopum, qui eum recipere velit.

Quaeri item potest, utrum sub eadem Articuli V censura comprehendantur etiam Regulares fugitivi et apostatae a religione :

suspenso, vel interdicto nominatim denuneiatis, aut ab haeretico vel schismatico notorio: eum vero, qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere Ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus (1).

videtur enim eadem ratio canonica militare, quae militat contra eiectos.

Eesp. Non videntur comprehendi sub eodem Articulo fugitivi et apostatae : ratio est, quod in iure satis distinguuntur apostatae seu fugitivi ab eiectis: ideoque sub nomine eiectorum non intelliguntur apostatae seu fugitivi. Quod si eadem ratio canonica militet tam contra eiectos quam contra fugitivos quoadusque extra religionem degant, ideoque eadem poena possent iuste mulctari ; nihilominus alia ratione consultum est apostatis et fugitivis. Quod constat ex ipsis citatis Decretis S. Congregationis Concilii sub Urbano VIII editis: in his enim eiecti mulctantur dicta poena expressa in §. 10: de apostatis vero et fugitivis sic est dispositum in §. 4. « *Rursus statuit* **(S. Congregatio)** *ut fugitivi et apostatae, sive habitum regularem deferant, sive non, possint ac debeant ab Episcopo loci, ubi moram trahunt, in earceres coniici, superioribus regularibus consignan secundum regularía instituta puniendi; utque ipsi quoque superiores teneantur eos perquirere, ad religionem reducere, atque efficere, ut apprehendantur; salva tamen in omnibus facultate Ordinariis locorum attributa Decreto Concilii cap. 3 sess. 6.* **•> Praeterea apostatae a religione vel fugitivi nullo privilegio sui ordinis iuvantur,** *Concil. Triden. sess. 2 5 c. 9 de Regul.* **atque subiiciuntur aliis poenis iuxta peculiares singulorum Ordinum constitutiones statutis, in quibus communis fere dicitur esse excommunicatio ipso facto inflicta.**

(1) In hoc Articulo plura determinantur, quae in veteribus canonibus sancita quiäem fuerant, sed non undequaque determinata et circumscripta erant. Firmum quidem semper fuit, sacram ordinationem ab eiusmodi Episcopis collatam in se validam esse si iuxta substantialem catholicae Ecclesiae ritum fuerit peracta: sed quoniam ipsi omni iurisdictione ecclesiastica carent, eorum ordinationes irritae sunt appellatae iuxta veterem dicendi modum, quo significabatur, ordinatos ab eig »ull& ordinis exercitio frui nullaque ecclesiastica dignitate potiri. Sic ex. gr. in ***cap. 1 de Schismaticis*** **legitur Alexander III in Concilio Lateranensi constituisse, «** ***Ordinationes*** *ab Octaviano et Guidone haeresiarchis factas et ab ordinatis ab eis irritas esse censemus, aducientes, ut qui dignitates ecclesiasticas seu Beneficia per dictos schismaticos acceperint, careant impetratis.* **» Item in** ***cap. 2 eod. tit.*** **Innocentius III ita respondit:** *u Priorem, quem a schismatico asseris ordinatum, ab officio poteris repellere incunctanter nisi legitime probaverit secum fuisse misericorditer dispensatum et ab ea persona, quae potestatem habuerit dispensandi.»* **Duriora quoque sunt, quae a Sanctis Patribus tradita leguntur in Decreto Gratiani de ordinationibus factis ab excommunicatis et haereticis,** ***c. 1, 2, 3 causa 9 quaest. 1.***

In *cap. 2, de Ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui* **haec respondit Gregorius IX «** *Cum Clericis qui ab excommunicato Episcopo ignoranter ordines receperunt per suos poterit Episcopos dispensari.* **» Item in** ***cap. 1 eod. tit.*** **agitur de ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui et episcopali dignitati, qui proinde quum careat et iurisdictione et quavis extrinseca dignitate, ita respondit Alexander III:** *te Sane si ab eodem sacros ordines scienter quis receperit, quia indignum se fecit, exsecutionem officii non habebit, ubi autem non scienter, poterit (nisi crassa et supina fuerit ignorantia) discretus Pontifex dispensare.»*

His canonici iuris capitibus innititur Articulus VI de quo agimus. Haec tamen iuris capita nonnullis difficultatibus erant obnoxia; namque quaestio oriebatur, utrum Episcopi excommunicati deberent esse denunciati ut ordinati ab eis in eas poenas incurrerent; utrum ordinati a suspenso Episcopo vel interdicto puniendi pari modo essent: utrum bona fide ordinati ab excommunicatis suspensi essent; id affirmarunt Suaresii

vn.

* Clerici saeculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii **(1)**, vel absque praevio examine coram eo-

de cens. disp. 31 sect. 2, **Bonae,** *de censur. disp. S p. 5;* **quod haec suspensio non si* poenalis, et ideo ad illam non praerequireretur culpa: e converso Diana** *part. 1 tract. IO res. 39* **visus et cum Turriano tenere contrarium eo quod iura citata possent accipi de ignorantia culpabili.**

Haec iam soluta reperiuntur in eodem Articulo. Suspensi itaque manent, qui ***praesumpserunt,*** **idest,** ***scienter*** **receperunt Ordinem ab eis, a quibus recipi non debet, et haec suspensio est Eomano Pontifici reservata. Sed quaeri potest, utrum reservata quoque sit R. Pontifici suspensio eorum, qui bona fide ordinem ab eis receperunt, ob verba Articuli:** *qui iona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.*

Eesp. Non videtur reservata; ita ut verba indefinita ***donec dispensentur,*** **contineant clausulam** ***prout de iure.*** **In iure autem haec dispensatio non est reservata uti constat ex allegatis iuris capitibus, de qua re videsis Appendicem VII.**

Item quaeri potest, utrum in hoc Articulo differant eiusmodi rationes dicendi: ***suspensio ab ordine,*** **et** ***suspensio ab exercitio ordinis.***

Eesp. Differre puto, iuxta ea quae scripsit Thesaurus in doctissimo opere de ***Poenis eccles, par. 2 verb. Ordo cap. 24,*** **his verbis: « Limita quod si promotus ignoraven rit totaliter vitium ordinantis, tunc** ***non*** **j»** ***est proprie suspensus*** **neque irregularis, » sed improprie, quatenus ante dispensatio- » nem peccat ministrando in susceptis. » De iuridica ratione dicendi** ***non habere exsecutionem ordinis vel exercitium ordinis,*** **videsis Appendicem XIII.**

(1) Hio quaeri potest, quinam veniant nomine exterorum Clericorum?

Eesp, Veniunt illi omnes clerici, qui no» pertinent ad Romanam dioecesim neque pertinent ad sex dioeceses suburbicarias : de clericis enim suburbicariarum dioecesium peculiari ratione disponitur in altera parte Articuli.

Item quaero, an clerici exteri, qui completis Eomae quatuor commorationis mensibus , obtentisque dimissoriis litteris a suo Ordinario ex Urbe discedant animo non redeundi Romam, possint ab alio Episcopo ordinari sine licentia Emi Urbis Vicarii vel sine examine Romae subeundo, quin locum habeant huius Articuli censurae.

Eesp. Videntur eiusmodi censurae locum non habere ob verba Articuli: ***in Urbe commorantes ordinati ab alio:*** **quae verba significant commorationem perdurantem, et in eius perduratione ordinationem ab alio factam. Haec verba conveniunt cum Edicto Emi Urbis Vicarii ex iussu Clementis VIII edito die 24 Novembris 1603, qui primus hanc legem edixit, per verba «** ***Universis et*** *singulis Clericis nunc et in futurum pro tempore in urbe commorantibus, et ad minores vel sacros etiam Presbyteratus ordines promoveri volentibus. . . . .edicimus et praecipimus, ne de cetero extra eandem urbem.. . promovere se faciant,..* **» Eadem verba reperiuntur in alio Edicto ex mandato Alexandri VII die 15 Maii 1664.**

Sed aliqua difficultas oritur ex altero Edicto Emi Urbis Vicarii edito ex mandato Benedicti XIV die 20 Martii 1743, in quo edicto , renovatis prioribus , leguntur haec verba: « *Universis et singulis Clericis, qui in hac alma Urbe ultra quatuor menses quacumque ex causa nunc et in futurum pro tempore commorati fuerint districte praecipimus et mandamus ne de cetero extra eandem Urbem etc.»* **Atque in hoc Edicto adiecta quoque est poena interdicti in ordinantem ab usu pontificalium ad annum.**

At vero inspecto integro huius Edicti te-

dem peracto, vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in praedicto examine reiecti fuerint: nec non Clerici pertinentes ad aliquem e sex Episeopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam dioecesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium; vel non praemissis ante Ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana Sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab Ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso iure incurrunt: Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum.

Interdicta latae sententiae reservata.

I.

» Interdictum Romano Pontifici speciali modo reservatum ipso iure incurrunt Universitates, Collegia et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis eiusdem Romani Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum Concilium appellantia **(1).**

n.

» Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato Iudice, vel a iure interdictis; aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admitientes, interdictum ab ingressu Ecclesiae ipso iure incurrunt, donec ad arbitrium eius cuius sensentiam contempserunt, competenter satisfecerint **(2).**

nore, verba illa *commorati fuerint,* non aliam vim babere videntur, quam *commorantes ultra quatuor menses in Urbe, atque commoratione perdurante:* non enim in hoc Edicto agitur de primaeva lege quoad hoc caput declaranda, sed tantum de eadem lege exsecutioni mandanda quae negligebatur, addita nova sanctione. Attamen subintrare facile videtur dispositio Articuli III, suspensione plectens Episcopum proprium, qui ordinet suum subditum vel aliis ordinare committat, sine litteris testimonialibus Ordinarii eius loci, in quo Ordinandus tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit: commoratio enim in Urbe quatuor mensium et amplius, aestimatur quidem sufficiens ad canonicum impedimentum contrahendum: ideoque litterae testimoniales exquirendae essent ab Emo Urbis Vicario. *Videsis Append. XV et XVI.*

(X) Hoc interdictum quod respicit Communitates; (singulares enim personae subiiciuntur excommunicationi Romano Pontifici speciali modo reservatae, de qua loquitur Articulus IV superius exposito *pag. 10),* depromptum est ex Bulla coenae. *Videsis Appendicem I.*

C2) Hic Articulus ipsis fere verbis desumptus est ex *cap. 8 de Privilegiis in 6°,* in quo Bonifacius VIII haec constituit: « Epi-

» **Denique quoscumque alios Sacrosanctum Concilium Tridentinum suspensos aut interdictos ipso iure esse decrevit, Nos pari**

scoporum et aliorum Praelatorum querelis frequentibus et querulosis clamoribus excitati, praesenti Decreto duximus statuendum, ne aliqui saeculares aut regulares, quantumcumque exemptionis seu libertatis Sedis Apostolicae privilegiis communiti cuiuscumque ordinis, religionis, status vel conditionis exsistant, ***scienter celebrent vel faciant celebrari divina in civitatibus, castris, villis (nisi quatenus eius iure conceditur) seu locis aliis interdictis ab Ordinariis sive delegatis iudicibus, ve}, a iure: aut excommunicatos publice vel interdictos ad divina officia seu ecclesiastica sacramenta vel ecclesiasticam sepulturam admittant. Qui vero contra praesumpserint (praeter alias poenas a iure statutas) ingressum ecclesiae sibi noverint interdictum; donec de transgressione huiusmodi ad arbitrium eius, cuius sententiam contempserunt, satisfecerint competenter.»***

Quamquam verba Articuli deprompta Sunt ex hac Decretali Bonifacii VIII, non est tamen existimandum, eiusmodi Articulum intelligendum undequaque esse, ut intellecta fuit Decretalis Bonifacii : namque Decretalis comprehendebat tantum exemptos ab auctoritate episcopali sive essent regulares sive saeculares , ne videlicet ratione exemptionis interdictum episcopale careret effectu in detrimentum ecclesiasticae disciplinae. Eademque Decretalis sartas tectasque reliquit ceteras poenas, per verba: ***praeter alias poenas in iure statutas,*** **quae desunt in nostro Articulo. Ideoque iUi, qui iam incurrant excommunicationis poenam E. Pontifici reservatam de qua sancit Articulus XVII, quem supra vidimus pag. 28, non videntur incurrere utramque poenam tum illam excommunicationis , tum hanc interdicti ab ingressu ecclesiae ; quum poenae non sint multiplicandae pro eadem causa, nisi constet esse multiplicandas. Item** ***loca a iure interdicta*** **post Constit. Martini V** ***Ad evitanda,*** **non censentur talia, nisi accedat declaratio; proindeque qui violaret loca a iure quidem interdicta, sed non declarata talia ab auctoritate ecclesiastica, non evaderet interdictus ab ingressu ecclesiae.**

Si quaeras, quaenam sint loca iure interdicta videsis Appendicem IV.

In hoc Articulo itaque per verba ***nomirnatim excommunicatos,*** **intelliguntur excommunicati ab Episcopis vel aliis Ordinariis, qui iurisdictione et potestate polleant excommunicandi vel declarandi in foro externo excommunicatos : idemque Articulus II est pro hac parte parallelus cum dicto Articulo XVII, in quo excommunicationi Romano Pontifici reservatae subiiciuntur** ***Clerici scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis et ipsos in officiis recipientes:*** **quae verba, si conferantur cum verbis huius Articuli II,** ***scienter. . . . admitientes nominatim excommunicatos ad divina officia seu, ecclesiastica sacramenta,*** **apparet aliquod discrimen adesse per verba:** *Clerici sponte communicantes,* **quae desunt in Articulo II. Unde quaero, utrum hoc verborum discrimen aliquem effectum diversum inducant.**

Eesp. Puto non inducere: ratio est, quod non agitur in themate de diversa Constitutione vario tempore variisque de causis lata, sed de una eademque Constitutione , quae, quantum fieri possit, armonice est intelligenda: ideoque quum ambo Articuli in eadem Constitutione reperiantur et propter eandem causam, idest ne cum excommunicatis denunciatis Clerici communicent in divinis , eodem sensu Articuli sunt accipiendi : eo magis quod discrimen reale iam adest in discrimine poenae. Quare Clerici **omnes sive sint saeculares sive Eegulaix** mi **aponte communicent in divinis cum excommunicato nominatim a Eomano Pontifice excommunicationem ipsi reservatam incurrent; qui vero sponte communicent in divinis cum excommunicato ab aliis Ordinariis erunt interdicti ab ingressu ecclesiae. Articuli autem cum sint paralleli, ad invicem sunt declarandi et, si opus sit, ad invicem supplendi»**

Nota praeterea discrimen inter Articulum I, quem habes ***pag. 32,*** **quo excommunicationi nemini reservatae subiiciuntur** ***mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios aut nomi-***

modo sospensioni vel interdicto eosdem obnoxios esse volumus et declaramus.

Heic iterum paulisper sistimus inserentes Suspensiones vel Interdicta a Concilio Tridentino lata, ut has canonicas censuras Lectores sub oculis habeant.

Suspenduntur vel interdicuntur qui variis modis violant canones de sacra ordinatione.

Sess. 23 ex cap. 8 de Ref. *u Unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cuiusvis generalis aut specialis rescripti vel privilegii praetextu, etiam statutis temporibtis permittatur, nisi eius probitas ac mores, Ordinarii sui testimonio, commendetur. Si secus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum et ordinatus a susceptorum ordir, num exsecutione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire^ sit suspensus* (1). *v*

Sess. 23 ex cap. 1.4 de Ref. *u Cum promotis per saltum, sinon ministraverint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare* (2).»

natim excommunicatos vel interdictos, et inter hunc Articulum II de quo agimus, per verba: *admittentes ad ecclesiasticam sepulturam nominatim excommunicatos:* alii enim sunt *mandantes et cogentes,* ain sunt, *scienter admittentes:* nomine *admittentium* intelliguntur illi, qui possent non admittere: qui autem sint, qui possint non admittere, sunt Parochi, Rectores ecclesiarum seu coemeteriorum, vel alii, qui in singulis casibus melius dignoscentur. Poena autem interdicti ab ingressu ecclesiae lata est in *admittentes nominatim excommunicatos;* non autem in admittentes haereticos notorios vel nominatim interdictos: his tamen manet prohibita ecclesiastica sepultura iuxta ss. canones, neque admitti possunt, quamquam, qui eos admittant, censura non amplius plectuntur.

(1) De hac Tridentina censura vide quae adnotavi superius in Articulo III pag. 43.

(2) Tridentina Synodus non declaravit expresse, utrum ille, qui per saltum ordinaretur esset irregularis vel suspensus: si ordinatus per saltum esset irregularis, hoc caput locum non haberet in praesenti recensione; namque irregularitas non est censura: sed quoniam usus determinavit, adstipulante ipso Tridentino Decreto, ordinatum per saltum esse ipso iure suspensum, ideo hoc caput recensendum inter Tridentinas censuras.

Auctores antiqui valde ancipites fuerunt in hac quaestione: alii putarunt recipientes ordines per saltum,'idest, omisso aliquo inferiori superiorem recipientem, esse irregulärem quoad omnes ordines: alii putarunt neque esse irregulärem nec suspensum, sed suspendendum, interim autem esse impeditum, ita ut non possit licite in receptis per saltum ministrare donec accipiat omissum: alii denique putarunt non esse irregulärem sed suspensum ipso iure ab exercitio ordinis sic male suscepti tantum, nec posse ulterius promoveri nisi cum eo dispensaretur. Haec tertia sententia praevaluit, et hoc iure hactenus usi sumus. Cf. Thesaurum *de poenis eccles,* verbo *Ordo c. 13.*

Inspectis ss. canonibus, antiquitus ordinatio facta per saltum considerata videtur tamquam ordinatio facta contra consuetam regulam, quae nullam secumferret poenam! ut erui potest ex can. 14 (alias 11) Concili, Sardicensis, in quo Patres illi comprobarunt

Sess. 7 c. 10 de Ref. ***a Non liceat Capitulis sede vacante, infra annum a die vacationis, ordinandi licentiam, aut litteras dimissorias seu reverendas, ut aliqui vocant, tam ex iuris communis dispositione, quam etiam cuiusvis privilegii aut consuetudinis vigore, alicui , qui Beneficii ecclesiastici recepti sive recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere. Si secus fiat, Capitulum contraveniens ecclesiastico subiaceat interdicto, et sic ordinati, si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio clericali, praesertim m***

sententiam Osii Episcopi dicentis : « ***Et hoc necessarium esse puto, ut cum omni scru— pulositate ac diligentia examinetis, ut si quis dives vel scholasticus sive de publico dignus Episcopatu videatur, hunc non ante ordinari quam Lectoris, Diaconi et Presbyteri compleverit ministerium, quo per singulos gradus si dignus fuerit visus, ad fastigium Episcopatus gradatim ascendat.»***

Episcopatus iuxta antiquitatem dicitur sacerdotii fastigium, plenitudo , apex, non quasi tenuis apex, qui compleat sacerdotium, sed tamquam plenum, sacerdotium quod in se iam cetera contineat per quae ad eius plenitudinem ascenditur. Namque iuxta conceptum qui ex veteribus documentis erui potest, Episcopatus ordo est quodammodo basis integrae pyramidas non vero pyramidis apex; ita ut totum ordinis sacramentum materiali quadam imagine repraesentari posse videtur per pyramidem sic conversam, ut vertex terram, basis autem caelum aspiciat, quae esset sacerdotii plenitudo per Episcopatum.

Quodnam autem impedimentum secumferret ordinatio facta per saltum tempore Alexandri II erui potest ex can. ***Solicitudo,*** **qui legitur in Decreto Gratiani** ***dist. 52,*** **quo sic Alexander II rescripsit: «** ***Solicitudo dilectionis tuae statuit consulere, utrum portatur istarum litterarum, Diaconatus et Presbyteratus officium idoneus sit peragere, necne; quum ad id praepostero cursu, Subdiaconatus ordine postposito, negligentia potius, quam superbia cognoscatur ascendisse. Unde nos consulendo caritati tuae mandamus, ut ab officio sacerdotali eum prohibeas, donec proximo quatuor temporum ieiunio Subdiaconatu» ministerium sibi rite imponas et sic deinceps ad maiora officia eum redire concedas.»***

Cui consonat caput unicum, ***de Clerico ordinato per saltum,*** **quod in sua primaeva integritate refero, in quo Innocentius III sic respondit:** ***u Tuae litterae continebant, quod (sicut ex relatione quorundam receperas) P. Presbyter , Diaconatus ordine praetermisso, se fecit ad Sacerdotii ordinem promoveri. Ipse tibi quoque secreto confessus est, se pro certo nescire si res taliter se haberet, sed ex quo boni viri hoc asserebant, inter quos fuerat conversatus, credebat assertioni eorum, eo quod tempore quo ordines inferiores susceperat intra annos discretionis fuerat constitutus. Tu igitur ipsum ad Apostolicam Sedem transmittens, nobis supplicasti humiliter, ut cum eo misericorditer agere dignaremur. Nos igitur eius miseriae condolente» fraternitati tuae per Apostolicam Sedem mandamus, quatenus condignam poenitentiam pro huiusmodi negligentia iniungas eidem; qua peracta (quod non intelligitur iteratum quod factum esse nescitur) ipsum in Diaconum ordinare procures et sic de misericordia eundem ministrare permittas in ordine sacerdotis».*** **Ex quibus mini apparet, sententiam veteri iuri magis conformem. eam esse, quae docet, ordinatum per saltum esse irregulärem ; sed post Trid. Decretum, ob verba** ***«si non ministraverint...*** **Episcopus possit dispensare: » declaratum satis videtur, ordinatum per saltum non esse irregulärem, sed esse ipso facto suspensum, ita ut si ministraverit irregularis evadat, proindeque indigeat Apostolica dispensatione. Quum haec suspensionis censura non solum sit a Tridentina Synodo indirecte innovata, sed potius declarata, facta quoque Episcopis facultate eam absolvendi, in suo vigore permanet, iuxta ea quae scribam inAppend.XIV.**

criminalibus gaudeant. In maioribus vero ab exsecutione Ordinum ad beneplacitum futuri Praelati sint ipso iure suspensi (1).»

Sess. 23, c. 10 de Ref or. *u Abbatibus ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat in posterum intra fines alicuius dioecesis consistentibus, etiam si nullius dioecesis vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, Tonsuram vel minores Ordines conferre; nec ipsi Abbates et alii exempti, aut collegia vel capitula quaecumque, etiam ecclesiarum cathedralium, litteras dimissorias aliquibus Clericis saecularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant. Sed horum omnium ordinatio, servatis omnibus, quae in huius Sanctae Synodi Decretis continentur, ad Episcopos, intra quorum dioecesis fines existant, pertineat ; non obstantibus quibusvis privilegiis, praescriptionibus aut consuetudinibus etiam immemorabilibus. Poenam quoque impositam iis, qui, contra huius Sanctae Synodi sub Paulo III Decretum* (2), *a Capitulo episcopali sede vacante lit-*

(T) Synodus Tridentina in hoo capite lì» mitavit Constitutionem Bonifacii VIII, quae legitur in *cap. Cum nullus, de Temporib. ord. in 6°*, ubi statutum legitur: *u Episcopo autem in remotis agente, ipsius in spiritualibus Vicarius generalis, vel sede vacante Capitulum, seu is, ad quem tunc temporis administratio spiritualium noscitur pertinere, dare possunt licentiam ordinandi.* » Haec inris communis dispositio limitata fuit ita, ut Capitulum sede vacante dimissorias dare non possit intra primum annum a die vacationis nisi *arctatis*, id est illis, qui ex Beneficio obtento, adstringuntur ordines suscipere, vel illis, qui occasione Beneficii recipiendi coguntur pariter eosdem ordines suscipere. Facultatem tamen reliquit Tridentina synodus dandi dimissorias post primum annum a die vacationis. Batto quae datur huius limitationis est, quod Capitulo seu Vicario capitulari non amplior auctoritas sit concedenda, quam illa, quae existimatur necessaria ad dioecesis administrationem sede vacante: necessarium autem non est, ut intra primum vacationis annum clerici novi ordinentur; sed post primum annum, si sedes adhuc vacaverit, incipit necessitas dandi facultatem ad recipiendos ordines.

Poena interdicti lata est in Capitulum contro veniens, quia iuxta ss. canones haec poena consuevit ferri in communitates, ut vidimus quoque in Articulo I p. 49 de collegiis, quae appellent ad futurum concilium-, et e converso in Art. IV *pag. 10,* ubi poena excommunicationis fertur in singulos, qui ad concilium appellent.

Hodie tamen, quum Capitulum, sede episcopali vacante, non possit sibi reservare auctoritatis partem in electione Vicarii capitularis , et tota auctoritas , ad dioecesis administrationem necessaria, devolvetur per Capitulum in Vicarium capitularem, hic solus erit interdictus si fecerit contra Tridentinum Decretum.

C2) Hoc Decretum est illud *sess. 7 c. 10,* quod modo retuli : ex quo patet, quaenam sit poena imposita iis, qui litteras dimissorias impetrant intra primum vacationis annum a Capitulo seu Vicario capitulari; idest, ut in minoribus non gaudeant privilegio clericali: in sacris autem ordinati sint suspensi ab exsecutione ordinum ad beneplacitum proprii Episcopi. Sed praeterea concedentes dimissorias contra formam huius capitis 10 ab Officio et Beneficio per annum sunt ipso iure suspensi. Cui addendum est, Ordinantem quoque incurrere suspensionem per annum, ut in Art. III *pag. 42,* et in relato capite 8 Tridentin. *sess. 23,* quum ordinaret alienum subditum.

In hoc capite 10 sermo est, ut apparet, de collegiis vel capitulis, sede non vacante, quae ex aliquo titulo sive privilegii sive consuetudinis sive praescrintionis hoc ius dandi

feras dimissorias impetrant, ad illos, qui easdem litteras non a Capitulo, sed ab aliis quibusvis in iurisdictione Episcopi, loco Capituli sede vacante succedentibus, obtinerent, mandat extendi. Concedentes autem dimissorias contra formam Decreti ab Officio et Beneficiò per annum sint ipso iure suspensi, v

Sess. 6, cap. **5 de Ref.** « *Nulli Episcopo liceat cuiusvis privilegii praetextu pontificalia in alterius dioecesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, et in personas eidem Ordinario subiectas tantum. Si secus f actum fuerit, Episcopus ab exercitio pontificalium, et sic ordinati ab exsecutione Ordinum sint ipso iure suspensi.»*

Sess. 14 ex cap. 2 de Ref. *u Nemo Episcoporum, qui titulares vocantur, etiam si in loco nullius dioecesis, etiam exempto, aut aliquo monasterio cuiusvis ordinis resederint, aut moram traxerint, vigore cuiusvis privilegii sibi de promovendo quoscumque ad se venientes pro tempore concessi, alterius subditum^ etiam praetextu familiaritatis continuae commensalitatis suae, absque sui proprii Praelati expresso consensu aut litteris dimissoriis, ad aliquos sacros aut minores Ordines vel primam Tonsuram promovere seu ordinare valeat. Contra faciens exercitium Pontificalium per annum, taliter vero promotus ab exsecutione Ordinum sic susceptorum, donec suo Praelato visum fuerit, ipso iure sint suspensi* **(1). »**

Suspenduntur qui sponsis in contrahendo matrimonio illegitime benedicunt.

Sess. 24, c. **1 de Ref.** « *Eadem sancta synodus hortatur, ut coniuges ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent, statuitque benedictionem a proprio Parocho fieri, nec a quoquam, nisi ab ipso Parocho vel ab Ordinario*

dimissorias sibi praetenderent: neo non de Abbatibus aliisque Praelatis quantumvis exemptis, de quibus haec scripsit Benedictus XIV in opere de *Syn. dioec. 1.2 c. 9 n. 9. u* Quoniam autem Tridentinum Abbatibus quovis modo exemptis facultatem dumtaxat reliquit primam tonsuram minoresque ordines conferendi suis subditis Regularibus, et Abbates saeculares, quantacumque gaudeant exemptione, Regularibus non praesunt, necessario inde consequitur, eos non posse ullum, quamquam suae iurisdictioni subiectum, ad primam tonsuram minoresque ordines promovere, nisi hanc potestatem a Sede Apostolica post Concilium Tridentinum impetraverint.» De hoc iuris capite recens causa exponitur in latinis ephemeridibus «oí. *Upa?. 336 et seqq.* agitata apud S. Congr. Episc, et Reg.

Cl) Ut Episcopus tantum titularis ordinare aliquem legitime possit, requiritur expressus consensus aut litterae dimissoriae Ordinarii cui snbest Ordinandus, ac praeterea requiritur expressa licentia Ordinarii loci in quo ordinare velit; si enim haec secunda licentia desit, tum Episcopus titularis ordinans, tum Ordinatus inciderent in poenam capitis 5 *sess. 6* modo relati: in aliena enim dioecesi pontáñcal»* exerceret.

licentiam ad praedictam benedictionem faciendam alii Sacerdoti concedi posse, quacumque consuetudine, etiam immemorabili, quae potius corruptela dicenda est, vel privilegio non obstante. Quod si quis Parochus vel alius Sacerdos, sive regularis sive saecularis sit, etiam si id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiae sponsos sine illorum Parochi licentia matrimonio coniungere aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario eius Parochi, qui matrimonio interesse debebat seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur (1).»

Interdicantur Episcopi, qui non denuneiant Episcopos illegitime absentes.

Sess. 6 ex cap. 1 de Refor. « *Crescente vero contumacia* (**Episcopi absentis ultra secundum semestre tempus**) *ut severiori ss. canonum censurae subiiciatur, Metropolitanus suffraganeos Episcopos absentes, Metropolitanum vero absentem suffraganeus Episcopus antiquior residens, sub poena interdicti ingressus ecclesiae eo ipso incurrenda infra tres menses per litteras seu nuncium Romano Pontifici denunciare teneatur. »*

Sess. 23 ex cap. 14 de Ref. *u Episcopi quoque, quod absit, si ab huiusmodi crimine* (**concubinatus**) *non abstinuerint, et a synodo provinciali admoniti, se non emendaverint, ipso facto sint mspensi.n*

Cl) Ante Tridentinum Concilium aderat excommunicationis poena lata in Religiosos, *qui matrimonia solemnizare, non habita super his parochialis Presbyteri licentia speciali,* praesumerent, ceu fuit statutum in *Clementina P de Privilegiis,* quam indicavi in Articulo XIV *pag. 27.* Haec censura mitigata est a Synodo Tridentina, et conversa in hanc suspensionem; quae tamen extenditur in omnes sacerdotes sive regulares sive saeculares, qui absque licentia Parochi sponsorum proprii, vel Episcopi, matrimonio coniungere vel benedicere ausi fuerint.

Hic quaeri potest, an in locis in quibus publicatum non sit Tridentinum Decretum *Tametsi,* in quo haec censura reperitur, locum habeat eadem censura.

Resp. Locum non habere videtur; namque Tridentina synodus peculiari ratione • *decernit, ut huiusmodi Decretum in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, a die primae publicationis in eadem parochia factae nume— randos.n* Per verba: *huiusmodi Decretum,* integrum Decretum intelligitur. Itaque ubi hoc Decretum publicatum non fuerit, neque censura Tridentina suspensionis locum habere dicenda est nisi forte aliunde haec poena iam viguerit: quin immo hodie neque piena excommunicationis viget lata in Religiosos per oitatam Clementinam, quum de hac mentio non fiat in Constitutione *Apostolicae Sedis.* Namque in citato Articulo XIV, in quo ex parte fuit innovata Clementina, non fit mentio de Religiosis, qui sine licentia Parochi matrimonio benedicant.

Dixi'nisi aliunde viguerit: vigere enim facile potest per consuetudinem, etsi Decretum non est publicatum.

Hactenus de Suspensionem vel Interdictis a Synodo Tridentina inflictis. Sic autem prosequitur et explicit Constitutio Sanctissimi Patris de qua agimus.

n **Quae vero censurae sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, Nostris, aut Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus, aut sacris canonibus praeter eas, quas recensuimus, latae sunt, atque hactenus in suo vigore perstiterunt sive pro R. Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcumque ordinum et institutorum regularium, nec non quorumcumque collegiorum, congregationum, coetuum locorumque piorum cuiuscumque nominis aut generis sint, eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere volumus et declaramus (1).**

» Ceterum decernimus , in novis quibuscumque concessionibus ac privilegiis , quae ab Apostolica Sede concedi cuivis contigerit, nullo modo ac ratione intelligi umquam debere, aut posse comprehendi facultatem absolvendi a casibus et censuris quibuslibet Ro-

(1) Animadvertas velim, hoc paragrapho declarari non abrogatas reliquas censuras latas a Romanis Pontificibus vel ss. canonibus in peculiaria instituta aut peculiaria loca cuiuscumque generis sint: sed aliud est dicere *eas non esse abrogatas* et in suo vigore manere; aliud est dicere, *eas esse innovatav.* innovatio enim adiicit novum vigorem si forte in desuetudinem censurae abiissent, quae per innovationem reviviscerent: sed quando dicuntur per aliquam Constitutionem non abrogatae, intelliguntur manere in eo statu quo reperiuntur, quin Constitutio eas vel deleat vel innovet. Quod satis indicatur in ipso paragrapho per verba: *atque hactenus in suo vigore perstiterunt.* Quare eiusmodi peculiares censurae si forte in aliquo instituto vel pio loco in desuetudinem abiissent, vel ex aliqua causa cessassent, nullatenus censentur innovatae per Constitutionem *Apostolicae Sedis.*

Hic aliqua umbra, posset menti occurrere dicendo, si Constitutio *Apostolicae Sedis* agit tantum de censuris universalibus, relinquens ceteras in eo vigore quo repellantur, cur in Articulo XV *pag. 27* recenset extrahentes absque legitima venia reliquias e Catacumbis Urbis Romae, eosque censura plectit? Nonne haec est censura ratione peculiaris loci inflicta, sicut ex. gr. ea quae infligeretur ratione Bibliothecae servandae ne libri extrahantur ? Item, cur in Articulo VII *pag. 48* censuras infligit in exteros Romae commorantes ne ab aliis ordinentur, quam ab Eriio Card. Vicario vel sine eius licentia? Nonne haec censura inflicta est ratione peculiaris loci ubi exteri commorantur?

Resp. Haec umbra diluitur, si animadvertas, eiusmodi censuras latas esse, non a'l privatorum petitiones pro tutandis locis, ut contingit in censuris latis pro Bibliotheca, ne libri extrahantur, vel aliis similibus; sed per universales Romani Pontificis Constitutiones, ex publica universalique Ecclesiae causa, et hoc sensu iam universales dici possunt: praeterea agitur de locis, quae, sub aliquo respectu, dici possunt universalia, tum quia Urbs est princeps catholici Orbis cui nullus fidelium est extraneus, ideoque patria est omnium Christifidelium; tum ob frequentissimum concursum invisendi ea coemeteria, sacra pignora vetustissima nostrae religionis; itemque ob eundem concursum iuvenum ex omni Orbis parte ut Romae sacras scientias addiscant. Eiusmodi rationes efficiunt, ut dictae censurae maiori iure recenseantur inter universales, quam inter particulares.

mano Pontifici reservatis, nisi de iis formalis explicita ac individua mentio facta fuerit: quae vero privilegia aut facultates, sive a Praedecessoribus Nostris, sive etiam a Nobis cuilibet Coetui, Ordini, Congregationi, Societati, et Instituto, etiam regulari cuiusvis speciei, etsi titulo peculiari praedito, atque etiam speciali mentione digno a quovis umquam tempore hue usque concessae fuerint, ea omnia, easque omnes Nostra hac Constitutione revocatas, suppressas, et abolitas esse volumus, prout reapse revocamus, supprimimus, et abolemus, minime refragantibus aut obstantibus privilegiis quibuscumque, etiam specialibus , comprehensis , vel non , in corpore iuris, aut Apostolicis Constitutionibus, et quavis confirmatione Apostolica, vel immemorabili etiam consuetudine, aut alia quacumque firmitate roboratis quibuslibet etiam formis ac tenoribus, et cum quibusvis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, quibus omnibus, quatenus opus sit, derogare intendimus et derogamus (1).

» Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam *Sess. XXIV, c. VI de reform,* **in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi hac Nostra Constitutione servatis, iis tantum exceptis, quas eidem Apostolicae Sedi speciali modo reservatas declaravimus** (2).

» Decernentes has Litteras, atque omnia et singula, quae in eis constituta ac decreta sunt, omnesque et singulas, quae in eisdem factae sunt ex anterioribus Constitutionibus Praedecessorum nostrorum, atque etiam Nostris, aut ex aliis sacris Canonibus quibuscumque , etiam Conciliorum Generalium, et ipsius Tridentini, mutationes, derogationes, ratas et firmas, ac respective rata atque firma esse et fore, suosque plenarios et integros effectus obtinere; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, et Apostolicae Sedis Nuntios, ac quosvis alios quacumque praeeminentia, ac potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter

(1J Videsis Appendicem V.

C2) Sic se habet Decretam Tridentinum *c. 6 sess. 2á de Bef or. « Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario , et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare et in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicae reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in dioecesi sua per se ipsos aut vicarium ad se specialiter deputandum in foro conscientiae gratis absolvere, imposita poenitentia salutari. Item et in haeresis crimine in eodem foro conscientiae eis tantum, non eorum vicariis , sit permissum. »* **Videsis appendicem V.**

iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac definiri debere ; et irritum atque inane esse ac fore quidquid super bis a quoquam quavis auctoritate, etiam praetextu cuiuslibet privilegii, aut consuetudinis inductae vel inducendae, quam abusum esse declaramus, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

» Non obstantibus praemissis, aliisque quibuslibet ordinationibus, constitutionibus, privilegiis, etiam speciali et individua mentione dignis, nec non consuetudinibus quibusvis, etiam immemorabilibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

» Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, ordinationis, limitationis, suppressionis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

» Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Sexagesimo Nono, Quarto Idus octobris, Pontificatus Nostri anno vicesimo quanto. »

M. CARD. MATTEI Pro-Datarius, — N. CARD. PARACCIANI CLARELLI

Visa de Curia

Dominicus Bruti

Loco *f* Plumbi

I. Cugnoni.

APPENDIX I.

ADNOTATIO HISTORICO-IURIDICA DE CENSURIS BULLAE COENAE, QUAE REFERUNTUR AD APOSTATAS A FIDE,- HAERETICOS ET SCHISMATICUS.

Ad rectam intellectionem ss. ea nonum eorundemque valorem aeque aestimandum maxime iuvat traditionem eorundem canonum inquirere; idest quaerere historicas causas a quibus canones originem habuerunt, quomodo lapsu temporis aucti vel temperati fuerint, quomodo communiter intellectu Eiusmodi inquisitio, quamquam non facilis , efficit ut, ss. canonum valorem melius intelligentes, eos facilius applicare possimus minusque evadat errandi periculum. Haec est quaedam regula in legum interpretatione, quando de canone vel plene intelligendo vel eo applicando agitur, quae in usu est apud tribunalia in quaestionibus quae exsurgant sive circa ipsum modum intelligendi canonem sive in ipso canone applicando ad facti speciem.

Nihilominus est animadvertendum , eiusmodi inquisitionem fieri solere, quando quaestio aliqua dici possit, aliqua ratione , nova ; quae non habeat similes quaestiones iam definitas: namque si quaestiones similes iam fuerint definitae, tunc necessarium non est traditionem canonis inquirere, sed ipsae definitae quaestiones habendae sunt tamquam normae ad alias iudicandas: ratio est quia usus non controversus iam sensum canonis determinavit.

Immo tanti valoris sunt quaestiones plures quae similes sint et iuxta eandem normam iudicatae, ut his in adiunctis si sensus originalis canonis forte adversetur, relinquendus sit primaevus sensus, atque pro norma tenendae sint recentiores resolutiones, quae determinarunt sensum legis.

Possem haec multis illustrare exemplis quorum aliquod in explananda bac Constitutione occurrit. Neque desunt exempla, in quibus aliqua allegetur lex, cuius originem si inquiras eiusque primaevum sensum, nihil iuvaret ad ostendendum id, quod per allegatam legem ostendi velit: tamen non inutiliter eiusmodi leges allegantur ; namque per eas indicatur aliquod traditionale principium quod invaluerit, quamquam in allegata lege non contentum. Ius enim ecclesiasticum in toto suo com plexu et amplitudine est potius traditionale quam scriptum.

Constitutio de qua agimus est nova, sed plurima continet vetera: atque in ipso constitutionis exordio canon interpretationis datur per haec

•verba: « *declarantes easdem* (censuras) *non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac nostra Constitutione conveniant, verum etiam hac ipsa Constitutione Nostra non secus ac si primum editae ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere.* »

Hic canon interpretationis accorate expressas, haec significat: Censurae, quae in hac Constitutione non sunt primum latae, sunt intelligendae iuxta veterem earundem censurarum traditionem, ita tamen, ut temperatae maneant prout temperatae per hanc Constitutionem sunt. Quod si sensus veterum canonum non videatur congruere cum sensu et contextu huius Constitutionis, praeferendus est Constitutionis sensus, non secus ac si primum canones illi ab ea editi fuerint.

At vero priores Articuli Constitutionis, de qua agimus, qui excommunicationem infligunt reservatam Romano Pontifici *speciali modo*, deprompti sunt (si excipias Articulum X) ex celeberrima Bulla, quae antea promulgari consueverat die Coenae Domini.

In comperto est, eiusmodi vetustissima consuetudine publicandi dictam Bullam Romanos Pontifices fuisse usos ad damnandas pro temporum varietate christianorum hominum sectas, quae corrodebant vel lacerabant Ecclesiam Dei novis doctrinis traditioni catholicae fidei adversis, vel etiam ad coercendam aut extenuandam hominum non christianorum audaciam, qui hominibus christiani erant infesti, tum etiam ad puniendos christianos homines, qui, non verentes de ecclesiastica immunitate leges, personas ecclesiasticas gravaminibus divexabant, vel fideles impediebant, quominus cum S. Sede et Romano Pontifice libere communicarent.

Fortasse primaevae huius generis Bullae potius de coercendis hominibus, qui Ecclesiae Dei quomodolibet erant infesti, quam de haereticis agebant, propterea quod minus id temporis de errore circa fidem coercendo opus esset, aliaque ratione huic rei esset consultum; ideoque in sua primaeva origine eiusmodi Bullae videntur apprime sollicitae de tutanda Ecclesiae immunitate et Christianorum incolumitate, ut videre est in Constitutione Urbani V, quae incipit *Apostolatus offtcixm* edita die 12 Octobris 1363.

Expedit videre, quomodo postremis saeculis Romani Pontifices secundum temporum circumstantias suas Bullas Coenae quoad haereticos et schismaticus pedetentim ampliaverunt, usque ad ultimam, quae iamdiu, quum immutata non fuerit, statum quendam perpetuae legis constituere visa est, quamquam non amplius promulgaretur.

Bulla Coenae Iulii II die 1 Martii 1511 edita, Bullario romano inserta (1) hisce verbis exorditur ac

(1) utimur nova editione Bullarii Bornai, quod Taurini accuratissime editur. Optandum esset, ut novae editiones eiusdem Bullarii continerent, quoad fieri possit, omnes Con-

haereticos anathematizat: « ***Consueverunt Romani Pontifices praedecessores nostri, ad retinendam puritatem religionis christianae et ipsius unitatem, quae in coniunctione membrorum ad unum caput, Christum videlicet eiusque Vicarium, principaliter consistit et sanctam fidelium societatem ab offensione servandam, arma iustitiae per ministerium Apostolatus in praesenti celebritate exercere.***

» §. 1. ***Nos igitur, vetustum et solemnem hunc morem sequentes, excommunicamus et anathematizamus, ex parte omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Petri et Pauli ac nostra, omnes haereticos, Catharos, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Arnaldistas , Speronistas, Passagenos, Vicleffistas seu Ussitas, Fralicellos de Opinione nuncupatus et quoscumque alios haereticos, quocumque nomine censeantur, ac omnes fautores, et recen tutores eorundem. »***

Haec formula in Bullam Coenae derivata , qua comprehenderentur omnes vigentes haereticorum sectae, postquam notiores essent nominatae habet in Decretalibus exemplum a Concilio Lateranensi III sub Alexandro III celebrato anno 1179. In eo namque fuit constitutum: « Qui? » in partibus Tholosauis et aliis lo» cis, haereticorum, quos alii Gaza» ros alii Patarenos et alii aliis no» minibus vocant, invaluit damnan» da perversitas, eos et defensores » et receptatores eorum anathemati » decernimus subiacere, et sub ana» themate prohibemus, ne quis eos » in domo vel in terra sua tenere » vel fovere aut negotiationem cum » eis exercere praesumat.»

Sed quum eiusmodi haereticorum sectae variis nominibus appellatae in dies excrescere» et cognatione quadam coniungereti ur, Innocentius III in Concilio Lateranensi IV anno 1215 celebrato ¡a sanxit: « Ex» communicamus *e K* anathematiza» mus omnem haeresim extollentem » se adversus hanc sanctam ortho» doxam et catholicam fidem, quam » superius exposuimus, condemnantes haereticos, *quibuscumque no» minibus censeantur,* **facies quidem » diversas habentes, sed caudas ad » invicem colligatas, quia de vanitate » conveniunt in idipsum. . . . .Creden» tes praeterea, receptatores, defen« sores et fautores haereticorum ex» communicationi decernimus sub» iacere...»**

Gregorius IX eadem formula est usus in *cap. 46 de haereticis* **sectas tamen notiores indicans his verbis:**

stitutiones Romanorum Pontificum, quae universam sive directe sive indirecte respiciant Ecclesiam, reiectis in aliam partem Constitutionibus, quae peculiaria instituta vel loci» respiciant.

Editio Taurinensis Bullarii Romani non solum est accuratissima, sed etiam admodum commoda ob indicationes Constitutionum similium, quas, data opportunitate, Editores facere non omittant.

« Excommunicamus et anathemati-
» za tuus universos haereticos, Catha-
» ros, Patarenos, Pauperes de Lug-
» duno, Passaginos, Iosepinos, Ar-
» naldistas, Speronistas et alios qui-
» buscumque nominibus censeantur,
» facies quidem habentes diversas» etc. ut supra: qua formula usi sunt quoque nonnulli Romani Pontifices subsequentes in suis Constitutionibus adversus haereticos, ut ex. gr. Nicolaus Iii in Constitutione *Noverit,* data die 3 Maii 1280.

Redeuntes itaque ad Bullam Coenae Iulii II, in ea mentio non fit neque de haereticorum libris, neque de apostatis a fide, neque de illis, qui haereticis credunt , neque de schismaticis vel illis, qui recedunt ab obedientia Romani Pontificis, neque de iis qui ad universale Concilium appellant.

In Bulla Coenae Pauli III, edita die 13 Aprilis 1536, idem exordium reperitur, ac est in Bulla Coenae Iulii II atque iidem damnantur haeretici eademque formula, ita tamen, ut post verba: *Fraticellos de Opinione nuncupatus,* haec immediate subsequantur : *nec non per felicis recordationis Leonem Papam X, praedecessorum nostrum, superioribus annis damnatam impiam et abominabilem Martini Lutkeri haeresim sequentes, ipsique Martino, quominus puniri possit, quomodolibet faventes et quoslibet alios haereticos quocumque nomine censeantur, ac omnes fautores et receptatores, librosque ipsius Martini aut quorumvis aliorum eiusdem sectae sine auctoritate nostra et Sedis Apostolicae, quomodolibet legentes aut in suis domibus tenentes, imprimentes aut quomodolibet defendentes ex quavis causa, publice vel occulte, quovis ingenio vel colore, et generaliter quoslibet defensores eorundem. »*

In hac Bulla damnantur quoque libri Sectae Luteranae. Est animadversione digna extensio amplissima censurae, quae singularis extensio causam innuit talis constitutionis : namque videtur Pontifex hoc medio voluisse obtruncare haeresis ingentis propagationem : quemadmodum et Alexander III, multoque magis Innocentius III per expulsionem haereticorum e terris, domibus, in quibus résidèrent, gravissime quoque punientes, qui eis aliqua ratione faverent.

Eiusmodi extensivae legum clausulae, quae summum rigorem praeseferunt , omni rigore sunt intelligendae, et exsecutioni mandanda?, quando agitur de reprimendo gravi damno quod immineat: sed postquam damni periculum cessaverit, aut lex inefficax evaserit ad damnum coercendum, mitius sunt intelligendae, et necessitas oritur, ut legislator revocet legem, aut mitiget vel declaret, si dubium maneat, utrum lex in rigore quem exprimit sit intelligenda nec ne.

Quod si evidenter appareat legem evasisse inutilem, vel integrum legis finem cessasse , neque declaratione est opus. Huius generis erant ex. gr. censurae inflictae in Bulla Coenae,

quae respiciebant piratas, cursarios, latrunculos marinos, qui imponebat pedagia et gabellas, qui auxilium et favorem exhibebant Saracenis et Turcis, et alia id genus.

Multae adsunt ecclesiasticae leges huius generis, quae poenas gravissimas infligunt, praesertim in rebus Beneficiorum, sive propter simoniam, sive propter ambitione»), sive ob turpe lucrum, sive alias causas, quae tempore, quo lex lata est, grassabatur: cessantibus fere eiusmodi causis, poenae illae ex sese in desuetudinem sive ex parte sive ex toto abibunt: lex enim finem suum obtinuit.

In Bulla Coenae Gregorii XIII, edita die 4 Aprilis 1583, post idem exordium , eademque anathematizandi formula adhibita, haec immediate sequuntur: *quoscumque Ussitas, Vicleffitas, Luteranos, Zuinglianos, Calvinistas, Ugonotlos, Anabaptistas, Trinitarios ac omnes et singulos haereticos, quocumque nomine nuncupentur et cuiuscumque sectae existant, et eorum credentes, ipsorumque receptatores et fautores et generaliter quoslibet defensores, ac eorundem libros haeresim continentes vel de religione tractantes sine Auctoritate nostra et Sedis Apostolicae scienter legentes aut tenentes, imprimentes seu quomodolibet defendentes ex quavis causa publice vel occulte, quovis ingenio vel colore, nec non schismaticus et eos qui se a nostra et Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt vel recedunt.*

In hac Bulla maiori censu enumerantur haereticorum sectae , atque adiungitur *eorum credentes,* per haec verba *eorum credentes* indicatur quaedam distinctio inter ipsos haereticos: nam et qui pertinaciter credunt haereticis sunt haeretici. Distinctio quae indicari videtur haec est: alii enim sunt in quavis haereticorum secta magistri et duces, alii qui dant nomen haeresi quique unam sectam constituunt: sed alii quoque sunt, qui eisdem credunt, quamquam formaliter ad sectam non pertineant, scilicet nomen non dederunt sectae, non gubernantur per eorum leges, iuramenta si quae exigantur, non emittunt et ceteris externis formis non ligantur. Hi quamquam sicuti haeretici considerantur, tamen ad quandam secundam classem, pari censura muleta ta m , pertinent, ad quam classem pertinent quoque receptatores haereticorum causa haeresis propagandae, fautores quominus ipsi puniri possint, ut dicitur in superiori Bulla, vel saltem opem ferant ad propagandam haeresim et eorundem defensores, seu patrocinatoti, ut poenas iure inflictas haereticis evadant.

Quod verba *eorum credentes* intelligenda sint de iis, qui ad haereticam sectam formaliter non pertineant, ex eo apparet, quod ab haereticis, quocumque nomine censeantur, qui sectam aliquam componant, distinguuntur: de huiusmodi credentibus mentio occurrit in celebri Decreto Innocentii HI in Concilio Latera-

nensi IV, quod supra innui: atque eiusmodi credentes in secundam pariter classem connumerantur cum receptatoribus defensoribus et fautoribus haereticorum.

Quum dubium exortum esset, utrum eiusmodi credentes uti haeretici iudicandi essent, quaestionem resolvit Gregorius IX loco superius citato per haec verba : « credentes » autem eorum erroribus, haereticos » *similiter* iudicamus.» Idque repetiit Nicolaus III in citata Constitutione *Noverit,* per eadem verba : « Credentes autem eorum erroribus » similiter haereticos iudicamus. Item » receptatores, defensores et fauto- » res haereticorum excommunica- » tionis sententiae decernimus sub- » iacere.»

Quamquam eiusmodi declaratio dictae distinctioni obstare videatur, nihilominus, subsequentibus formulis inspectis, quae in Bulla Coenae reperiuntur, apparet, ram distinctionem non fuisse penitus sublatam ; ita ut eorum credentes, quamquam iudicentur haeretici et anathemati subiiciantur, non tamen sub omnibus canonicis poenis comprehenduntur , quibus comprehenduntur illi, qui ad aliquam haereticorum sectam formaliter pertineant. Semper enim pertinuerunt ad secundam classem. Quare sicut adnotavi in primo Articulo Constitutionis, *p. 9,* eiusmodi credentes in se considerali possunt esse veri haeretici, sed non quatenus tales ponuntur in secunda fiasse: in ea autem classe ponuntur, quatenus haereticorum errorum externa sua actione sese ostendunt sequa ces.

In Bulla Coenae Gregorii XIII, de qua loquor, eadem excommunicationis poena extenditur ad eos, qui libros haereticorum legunt.

Verbis parumper consideratis, atque comparatis cum illis, quae habentur in Bulla Coenae Pauli III superius relata, illico apparet Gregorium XIII eam censuram partim mitigasse, partim vero extendisset «litigavit, quatenus non omnes indiscriminatim libros aliquorum haereticorum damnavit, sed eos tantum, qui *haeresim continerent vel de religione tractarent:* extendit tamen censuram ad omnes haereticorum libros, non eam cohibens ad solos Lutheranorum libros ut sanxerat Paulus III.

Gregorius XIII in sua Bulla Coenae edenda prae oculis habuit Regulas Indicis librorum prohibitorum, quas iampridem confirmaverat Pius IV. De qua re agam in Appendice III.

Idem Pontifex Gregorius XIII post dictam librorum prohibitionem in sua Bulla Coenae subiunxit: *nec non* (anathematizamus) *schismaticus et eos, qui se a nostra et Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt vel recedunt.*

Haec sententia quodammodo praeformata iampridem fuerat a Paulo II et Xisto IV, qui inter peccata reservata et hoc sibi reservarunt prout legitur in utriusque Extravaganti,

Etsi Dominici, de Poenitent. et remiss, his verbis: « *Conspirationis in personam aut statum Romani Pontificis seu cuiusvis offemae inobedientiae seu rebellionis eiusdem Pontificis vel Sedis Apostolicae.* (Seu in eundem Pontificem vel Sedem Apostolicam.)

Dixi fuisse quodammodo praeformatam; namque tum Paulus II, tum Xistus IV loquuntur potius de obedientia in temporali Romani Pontificis dominatione, quamquam evidenter non excludant inobedientiam ad supremam eiusdem Pontificis ecclesiasticam auctoritatem : e converso Gregorius XIII loquitur de pertinaci subtractione et pertinaci recessione a suprema Romani Pontificis auctoritate quatenus est universae Ecclesiae caput.

Quod confirmatur ex sequenti paragrapho eiusdem Bullae, qui ita prosequitur.

§. 2. *Item excommumcamus et amthematizamus omnes et singulos, cuiuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, et interdicimus universitates, collegia et capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus , sententiis seu mandatis nostris ac Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio vel favore appellatum fuerit.* »

Dubitari namque poterat, utrum ille, qui pertinaciter recedat ab obedientia Romani Pontificis sub obtentu appellandi ad universale futurum Concilium sub praedicta censura comprehenderetur, quasi appellans ad maiorem auctoritatem: haec dubitatio dum solvitur, ostendit quoque factum appellandi ad futurum universale concilium, spretis ordinationibus, sententiis, seu mandatis Romani Pontificis, esse unum exemplum eius generis, quod sub dicta censura comprehenditur.

Altera recentior Bulla Coenae inserta Bullario Romano, est Pauli V edita die 8 Aprilis 1610. Haec habet exordium ampliori ratione concinnatum, quod inutile heic referre non erit: ita enim se habet.

« *Pastoralis Romani Pontificis vigilantia et sollicitudo, cum in omni Christianae Reipublicae pace et tranquillitate procuranda pro sui muneris officio assidue versatur, tum potissimum in catholicae fidei, sine qua impossibile est placere Deo, unitate atque integritate retinenda et conservanda maxime elucet ; nimirum ut fideles Christi non sint parvuli fluctuantes, neque circumferuntur omni verbo doctrinae in nequitia hominum ad circumventionem erroris, sed omnes occurrant in unitatem fidei et agnitionis filii Dei, in virum perfectum, neque se in huius vitae societate et communione laedant, aut inter se alter alteri offensionem praebeat, sed potius in vinculo charitatis coniuncti, tamquam unius corporis membra sub Christo Capite, eiusque in terris vicario Romano Pontifice Beatissimi Petri successore, a quo totius Ecclesiae unitas dimanat, augeantur*

in aedificatione, atque ita, divina gratia adiutrice, sic praesentis vitae quiete gaudeant, ut futura quoque beatitudine per fruantur. Ob quas sane causas Romani Pontifices, praedecessores nostri, hodierna die, quae anniversaria Dominicae Coenae commemoratione solemnis est, spiritualem ecclesiasticae disciplinae gladium et salutaria iustitiae arma per ministerium summi Apostolatus ad Dei gloriam et animarum salutem solemniter exercere consueverunt. Nos igitur quibus nihil optabilius est, quam fidei inviolatam integritatem, publicam pacem et iustitiam, Deo auctore tueri, vetustum et solemnem hunc morem sequentes,

» §. i. *Excommunicamus et anathematizamus' ex parte Dei omnipotentis etc. quoscumque Hussitas, Wickleffistas, Luteranos, Zuinglianos, Calvinistas, Ugonottos, Anabaptistas, Trinitarios, et a Christiana fide Apostatas, ac omnes et singulos alios haereticos quocumque nomine censeantur et cuiuscumque sectae existant, ac eis credentes, eorumque receptatores, fautores et generaliter quoslibet illorum defensores, ac eorundem libros haeresim continentes vel de religione tractantes, sine auctoritate nostra et Sedis Apostolicae scienter legentes aut retinentes, imprimentes, quomodolibet defendentes ex quavis causa, publice vel occulte, quovis ingenio vel colore, nec non schismaticus et eos, qui se a nostra et Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt vel recedunt.*

» §. 2. *Item excommunicamus etc.* sequitur excommunicatio in eos, qui ad generale Concilium appellant, ut in Bulla Gregorii XIII.

Haec Bulla Coenae Pauli V est prorsus eadem cum Bulla Gregorii XIII, si eximas verba *et a christiana fide Apostatas,* quae verba heic inserta, non reperiuntur in praecedentibus Bullis, quae die Coenae Domini legi promulgarique consueverunt.

Verba haec ob eam causam videntur Bullae contextui inserta,quod quaedam quaestio inter Theologos exorta iampridem fuerat, utrum Apostatae a fide essent haeretici. De hac quaestione agit Melchior Canus *de locis theol. lib. 4% cap. 7,* qui demonstrat et concludit Apostatas a fide, proprie loquendo, dici non posse haereticos, quum non nomine religionis christianae, quam reliquerunt, suis erroribus adhaereant, quamquam nullum dubium existat, Apostatas a fide tamquam haereticos esse puniendos.

De puniendis Apostatis a fide, ut puniuntur haeretici, constituerat Bonifacius VIII *in c. 43 de haereticis in 6°,* his verbis: « Contra Christianos, qui ad ritum transierint vel redierint Iudaeorum (etiamsi huiusmodi redeuntes dum erant infautes, aut mortis metu, non tamen absolute aut praecise coacti, baptizati fuerint) erit tamquam contra haereticos procedendum, si fuerint de hoc confessi aut per christianos seu Iudaeos couvicti. Et

» sicuti contra fautores, receptatores » et defensores haereticorum, sic » contra fautores, receptatores et de- » Censores talium est procedendum.»

Atque de hac re placet referre optimam animadversionem quam loc. cit. facit Melchior Canus his verbis: « Non est dubium, quin Apostatae in » poenas haereticorum incurrant. Id » quod ab ineunte Ecclesia perpetuo *> servatum est, quemadmodum ex » Cypriani opusculis vel maxime li- » quet. Falluntur autem in ea re » plurimi, quod omnes Kcclesiae le- » ges a iuris voluminibus petendas » esse existimant, in quae vel Rav- » mundus vel Gratianus vel quilibet » alius Decreta sane quam plura » congessit. Hinc enim Caietanus no- » ster praeceptum ieiunii qundrnge- » simalis, quoniam in Decretis Ponti- » ficus, quae passim circumferuntur, » non apparet, vix potuit constitue- » re. . . . .Multae sunt, mihi crede, » Ecclesiae leges, quas non script u - » ra, sed usus iciseru.t. Nec Conciliorum atque Pontificum scripta » omnia iuris contritum vol uro e n » complectitur. Apostatarum ergo » poenas ante Bonifacium VIII mos » Ecclesiae praescripserat. Sed quo- » tuam quispiam dubitavit, illius du- » (litationem Pontifex in capite re- » solvit, definiens, non aliter adver- » sum Apostatas, quam contra hae- » ícticos procedendum.» Hactenus Melchior Canus.

Nihilominus poterat adhuc dubtari, nn ille, qui a fide christiana desciscens, quin ad aliquam aliam religionem transierit, ut sunt Christiani illi, qui increduli evadunt, alias sibi comminiscentes doctrinas, comprehenderentur sub ecclesiasticis haereticorum poenis. Hanc dubitationem primus videtur solvisse Paulus III, eodem fere tempore quo scripsit Melchior Canus. Ille namque Pontifex in Constitutione *Cum ex Apostolatus* solemnissime edita die 15 Februarii 1559 confirmavit atque extendit omnes censuras « contra » haereticos aut schismaticos quo- » mouolibet latas et promulgatas... » nec non quoscumque, qui hacte- » nus *a fuie catholica deviasse* «ut » in aliquam haeresim incidisse. . . » seu *in posterum detrahunt* seu in «haeresim incidant.»

Atque verba huius Constitutionis *devios a fide catholica,* postea conversa sunt in *apostatas a christiana fide.* atque Bullae*Coenae inserta.

Huius Bullae promulgatio cessavit sub Pontificatu Clementis XIV, qui electus anno 1769 consultus existimavit, ob cius temporis circumstantias , eam non promulgare, et eius exemplum secuti sunt sequiores Romani Pontifices. Quamvis autem eius consueta promulgatio omitteretur; attamen ea quae pertinebant ad Apostatas , haereticos et schismaticos, noe non quae pertinebant ad quaedam alia capita ecclesiasticae immunitatis, nunc per Constitutionem *Apostolicae Sedis* innovala , adhuc vim legis habebant.

APPENDIX II.

©E NATURA EXCOMMUNICATIONIS DEQUE EilSO.EM MODERAMINE ET APPLICATIONE IN APOSTATAS A FIDE, HAERETICOS ET SCHISMATICUS.

Iuris ecclesiastici traditio a primaeva sua origine maxime iuvat ad intelligendum plenius intimum valorem ecclesiasticarum dispositionum, ut scripsi in Appendice I. Ideo ad inquirendam naturam excommunicationis nonnulla facta historico-iuridica a primis Ecclesiae saeculis exponam, quae ostendunt in quo consistat tota vis eius ecclesiasticae poenae, in potestate Ecclesiae plenissime constitutae, quae appellatur excommunicatio. Namque sub nomine *excommunicationis* vi-n.t privatio communionis. Inquirendum itaque est quid sub nomine *communionis* veniat, ut eius privatio intelligi plenius possit.

Quando Ecclesia adhuc erat in incunabulis, dioeceses, seu paroeciae, quo nomine quoque sunt appellatae, parum admodum erant extensae; in singulis enitn propemodum civitatibus erat proprius Episcopus: idque iuxta Apostolicas dispositiones, de quibus Apostolus Paulus ad Titum *c. i v. 5* scripsit: *u Huius rei grana reliqui te Cretae, ut ea quae desunt Horrig os et constituas per civitates Presbyteros, sicut et ego disposui tibi:»* quo in loco sub nomine Presbyterorum veniunt Episcopi (1).

Hanc Episcoporum numerositatem, quae necessaria erat initio Ecclesiae, vetera monumenta testantur: ipsique Romani Pontifices, in sacris)rdinationibus celebrandis ordinajant non raro fere pares vel etiam maiores numero Episcopos, quam Presbyteros, ut legimus in Breviarii lectionibus: et vestigia adhuc videmus in dioecesibus quae sunt Romae proximae , quarum plures , quamvis iamdiu deletae vel ad invicem unitae, parvae adhuc dioeceses sunt in comparatione earum quae multo post sunt constitutae : ipsaque Romana dioecesis non amplis continetur limitibus.

S. Leo Magnus saeculo V ad Episcopos Mauritanie Caesariensis seri-

(1) *A* "tate nostra, qua longaeva consuetudine ab aevo Apostolico, ita nomina sacrorum Ministrorum Ecclesiae determinata sunt, ut nomine Presbyterorum veniant tantum Sacerdotes Becundi ordinis, alicui fortasse videri poterit paradoxon, id quod assenti. Attamen in comperto est, in sacris Litteris Sacerdotes primi ordinis, qui deinde fixo nomine Episcopi appellati sunt, identidem *Presbyteros* fuisse appellatos, seu Maiores natu, sed Seniores; quod facile ostenditur tum ex contextu tum ex aliis Scripturae locis ut ex *cap.* 20 ?\ *17* 28, *SI Actor.,* I Petri *c.* 5 *v. 1 et seqq.,* II et III Ioan. *r,* 7, ét alibi. Demonstrari vero non potest Sacerdotes secundi ordinis fuisse e conversi» in sacris litteris appellatos Episcopos.

bens reprehendit **facilem rationem constituendi Episcopos in obscuris quoque oppidis; quae prohibitio ostendit quam frequenter crearentur Episcopi: scripsit enim:** « *Illud sane, quod ad sacerdotalem pertinet dignitatem, inter omnia volumus canonum statuta servari, ut non in quibuslibet locis, neque in quibuscumque castellis, et ubi ante non fuerunt Episcopi, consecrentur: cum, ubi minores sunt plebes . minoresque conventus, Presbyterorum cura sufficiat; Episcopalia autem gubernacula nonnisi maioribus populis, et frequentiorum civitatibus oporteat praesidere; ne, quod ss. Patrum divinitus inspirata Decreta veluerunt, viculis et possessionibus . vel obscuris et sol i tur iis municiptis tribuatur sacerdotale fastigium; et honor, cui debent excellentiora committi, ipsa sua numerositate vilescat.t)*

Quod iam S. Anacletus scripserat, ut legitur in *c, 3 dist. 80* **his verbis :** « *Episcopi non in castellis et modicis civitatibus debent constitui, sed Presbyteri per castella et módicas civitates atque villas debent ab Episcopis ordinari et poni.* »

Disciplina autem vigebat, atque per multa saecula viguit, ut in civitatibus non ponerentur Presbyteri ad plebes regendas conventusque habendos, sed una esset civitatis ecclesia seu titulus, cui praeerat Episcopus(l), constitutis extra urbes in proximioribus pagis aliis titulis, quibus praeerant Presbyteri, qui ad similitudinem episcopalis ecclesiae et sub plena eiusdem dependentia conventus fidelium haberent, qui ad civitatem accedere non possent. Hi oppidani tituli appellati quoque sunt *ecclesiae possessionis,* **de quibus mentio fit in can.** 6 **Concilii Chalcedo-**

(1) Unicum fuit fortasse exemplum in occidentali ecclesia id quod Romae constituit Evaristus, qui, causa sacrorum, regionibus Urbis attribuit Presbyteros, Cardinales postea dictos. Marius Lupus Bergomensis, *de Parochiis ante annum Christi mili.* **, ostendit, in civitatibus ante annum Christi millesimum nullos fuisse Parochos.**

Dixi in occidentali ecclesia; namque de Alexandrina ecclesia fundata ab Apostolorum principe per Marcum haec scripsit Epiphanius *haeres. 49* **alias 69** *Arian. n. 1 opp. t. 1 p. 727 edit. Coloniae 1682.* **« Quotquot, inquit, Alexandriae catholicae communionis ecçle-» siae sunt, uno Archiepiscopo subiectae, suus cuique praepositus est Presbyter, qui eccle-» siastica munera iis administrant, qui circa ecclesias illas habitant, earumque conventícula » vici seu laurae ab Alexandrinis vulgo nuncupantur.» De conformitate disciplinae inter Romanam et Alexandrinam ecclesiam legenda est praeclara epistola S. Leonis Magni ad Dioscorum Alexandrinum, quae est 4" in** *append. ad Bullar. Boman. vol. 1 edit. Taurin.* **Inter alia ita S. Leo Dioscorum reprehendit : «** *Unum enim nos sentire oportet et agere, id, sicut legimus, in nolis quoque unum esse cor et una anima comprobetur. Cum enim beatissimus Petrus apostolicum a Domino acceperit principatum, et Bomana ecclesia in eius permaneat institutis, nefas est credere, quod Sanctus discipulus eius Marcus qui Alexandrinam primus ecclesiam gubernavit, aliis regulis traditionum suarum decreta formaverit: cum sine dubio de eodem fonte gratiae unus spiritus et discipuli fuerit et magistri, nec aliud Ordinatus tradere potuerit, quam quod ab Ordinatore suscepit. Non ergo patimur, ut cum unius nos esse corporis et fidei fateamur, in aliquo discrepemus et alia doctoris alia discipuli instituta videantur.»*

nensis, qui legitur etiam in *c. 4 distinct. 70* de quo canone loquar in Appendice XIII.

Episcopus autem cum omni suo clero iuxta s. ordinationis gradum disposito praeerat omnium fidelium civitatis conventui, et omnia sacra in una eademque ecclesia Episcopo praeside ita peragebantur, ut compacta omnium fidelium unitas oculis conspiceretur.

Expedit referre ea, quae traduntur in *lib. 2 c."6* earum vetustissimam») Constitutionum quae appellantur *Constitutiones Apostolicae;* eiusmodi Constitutiones Apostolicae appellatae, sicut etiam celebres illi canones Apostolorum dicti, exhibent ius ecclesiasticum ex traditione Apostolica deriva tum: et conscripti certe fuerunt ante Nicaenam Synodum. Sic autem in allegato capite liturgia describitur: *a* Tu vero, qui Episco-
i> pus es sanctus esto. . . Cum au-
V tem ecclesiam Dei congregas, *velut*
D *magnae navis* gubernator, iube cum
» omni prudentia et disciplina fieri
7> conventus,, praecipiens Diaconis ,
D sicut nautis, ut loca fratribus quasi
D navigantibus, adhibita omni cura
» et decentia, disponant. Ac primo
» quidem sit aedes oblonga, ad orien-
» tem versa, pastophoria ex utraque
» parte versus orientem habens, et
n quae navi sit similis. Positus autem
7> in medio sit Episcopi thronus (1)
» et utrimque sedeat coetus Presby-
7) terorum et Diaconi astent, expe-
rt diti, leviter induti, utpote similes
» nautis et iis qui remigio praesunt.
» Eorum autem cura, in altera parte,
n hinc laici sedeant cum multa pace
v et pulchro ordine, illinc mulieres
T) separatim quoque sedeant, silentio
» faventes. Medius autem eorum Le-
7> ctor ex loco edito legat (2) libros

(Xi Ad eam vocem haec adnotat Emus Pitra in opere *Iuris ecclesiae. Graecorum vol. 1 pag. 220 :* « Anastasias bibliothecarius quoddam S. Nili epistolion primus latinum " fecit, et primus ego post eum edidi, in quo sic nostra aperte referuntur: *Caeterum epi-» scopalis thronus, qui in medio cunctorum Presbyterorum est, cathedram insinuât ma-fi gni Pontificis Domini Nostri Iesu Christi.» Speeil. Solesm. t. 3 pag. 398.*

(2) Id temporis inferiorum Clericorum officia, quum aptissime convenirent cum liturgico ordine eius temporis, magna in aestimatione erant coram fidelium coetu: ipsimet Clerici inferiores, qui dereliquissent susceptam clericalem militiam, apostatae in iure sunt appellati. Recentioribus saeculis ob magnam catholicae Ecclesiae amplitudinem, disciplina pedetentim immutata, horum Clericorum officia evaserunt nomina propemodum effectu vacua; et unicuique horum Clericorum Uberum denique fuit clericalem susceptam militiam derelinquere. Attamen eorum publica iura non multum imminuta fuerant, qaorum praecipua sunt privilegia Canonis et Fori de quorum privUegiis post Tridentinum Concilium multum Canonistae scripserunt.

Referre placet aliquod exemplum desumptum ex epistolis S. Cypriani ex quo apparet quo in pretio haberetur coram fidelium coetu Lectoris officium. Cyprianus in epistola 34 soribens ad Presbyteros et Diaconos et universam plebem, eisdem enarrat summa merita, quae in acerrima africanae ecclesiae persecutione consecuti erant tum quidam Celerinus tum quidam Aurelio, eosdem denunciai a se constitutos in ecclesiae presbyterio in gradu lectoris.

De Celerino inter cetera S. Cyprianus scripsit: « Hunc ad nos fratres dilectissimi cum tanta Domini dignatione venientem, testimonio et miraculo eins ipsius, qui se persecutus fuerat, illustrem, quid aliud quam super pulpitum, idest super tribunal ecclesiae oportebat

» Moysis. . . . .Peractis vero per duos » lectionibus, alius Davidis hymnos » psallat, et populus extrema ver- » suum succinat. . . . .Postea Diaco- ni nus vel Presbyter legat Evangelia... » Cumque recitabitur Evangelium » omnes Presbyteri ac Diaconi po- » pulusque universus magno cum » silentio stent. . . . . . .Post haec v Presbyteri exhortentur populum , r> singuli autem, non omnes ; po- V stremus vero omnium Episcopus, » qui similis est rectori navis. At v ostiarii stent ad virorum introitus, r> quos custodiant; diaconissae vero n ad mulierum , instar eorum , qui n nauta recensent. Etenim in taber- r> naculo testimonii et in templo Dei ii eadem ratio et forma servabatur. rr Quod si quis extra locum repe- r> riatur sedens, incropetur a Diaco- » no, qui vice proretae fungitur et r> convenientem ad locum traduca- r> tur. Non solum enim *navi* sed *ovili* v assimilatur Ecclesia. Nam ut pasto- ri íes singulas pccudes, capras dico n et oves secundum genus et aetatem » collocant, et quodcumque eorum v simile cum simili congregatur, ita v in ecclesia: iuniores quidem seor- n sum sedeant, modo sit locus, alio- quin stent; aetate vero provecti, » ordine sedeant: pueros autem stan- V tes patres et matres eorum susci- V piant. Rursus adulescentulae sepa- T) ratim, si fuerit locus, secus pone » mulieres locentur. Nuptae iam et r> matresfamilias item seorsum. At n virgines et viduae et anus primae n omnium stent aut sedeant. Diaco- » nus autem provideat locis, ut in- » gredientium suum quisque locum n petat, et nemo iuxta fores sedeat. r> Similiter Diaconus populum spe- r> culetur, ut nemo susurret aut dor- » mitet aut rideat aut notus faciat. » Oportet enim in ecclesia sapienter, n sobrie ac vigilanter stare, auribus n ad verbum Domini intentis.

n Deinde cuncti pariter consur- r> gentes et in orientem spectantes, r> egressis catechumenis et poeniten-

iin^oiri, ut loci altioris celsitate subuixus et plebi universae pro honoris sui claritate conspicuus legat praecepta et evangelium Domini, quae fortiter ac fideliter sequitur? Vox Dominum confessa in his quotidie, quae Dominus locutus est, audiatur? Viderit, an sit ulterior gradus ad quem profici in ecclesia possit. Nihil est in quo magis confessor fratribus prosit, quam ut dum evangelica lectio de ore eius auditur, lectoris fidem quisquis audierit, imitetur.

» lungendus in lectione Aurelio fuerat, cum quo et divini honoris societate coniunctus est, cum quo omnibus virtutis et laudibus insignibus copulatus est; pares ambo, et uterque consimiles, in quantum gloria sublimes in tantum verecundia humiles, quantum divina dignatione promoti, tantum sua quiete et tranquillitate submissi, et virtutum pariter et morum singulis exempla praebentes.... *Hos tamen lectores interim constitutos sciatis, quia oportebat lucernam super candelabrum poni, unde omnibus luceat et gloriosos vultus in loco altiore constitui, ubi ab omni populo '.ircumstante conspecti incitamentum gloriae videntibus praebeant.*

» *Ceterum presbyterii honorem designasse nos. illis iam sciatis, ut et sportulis iisdem cían Presbyteris honorentur et divisiones mensurnas a.equatis partibus parliantur,* sessuri nobiscum provectis et corroboratis annis suis ; quamvis in millo minor possit videri aetatis indole, qui consummavit aetatem gloriae dignitate.»

» tibus, orent Deum *qui ascendit* » *super coelum coeli ad orientem* ac » recordantes antiquam illam posses- » sionem paradisi ad orientem siti, » unde primus homo, mandato Dei *n* neglecto, persuasus consilio ser- » pentis, eiectus fuit. Diaconi autem, » post precationem, alii quidem obla- » tioni eucharistiae operam dent mi- » nistrantes Corpori Domini cum ti- » more, alii turbas circumspectent » eisque silentia faciant. Qui autem » Pontifici assistit" Diaconus, plebi » dicat: *Ne quis contra aliquem ! Ne » quis in hypocrisiJ* Deinde mutuo *n salutent,* viri viros, et feminae fe- *r>* minas, *osculo in Domino* (1) ; ac » ne ullus quidem dolo, ut Iudas, *n* qui osculo Dominum prodidit. Post- *ff* ea precetur Diaconus pro un i ver- *if* sa Ecclesia et pro toto mundo *n* eiusque partibus et pro frugibus »terrae, pro Sacerdotibus et Prin- » cipibus, pro Pontifice ac Rege et *ff* pro pace omnium. His transactis, *n* Pontifex precatus populo pacem, *ff* benedicat ei, sicut et Moyses prae- *ff* cepit Sacerdotibus, ut populo his *ff* verbis benedicerent: *Benedicat tibi ff Dominus, et custodiat te et osten- i> dat faciem suam super te, et mi- if sereatur tui ; concertât Dominus y> vultum suum ad te et det tibi pa- li cem.* Precetur porro Episcopus his *n* verbis : *u Conserva, Domine, popu- li lum tuum incolumem, et benedic ff hereditati tuae, quam sanguine » Christi possedisti et acquisivisti, ac ff regale sacerdotium et gentem sau- ri etam appellavisti.ff* Post hoc, sacri- » ficium fiat, stante omni populo et » tacite precante. Cumqtie oblatum *ff* fuerit unusquisque deinceps ordo *ff* Dominicum Corpus ac pretiosum » Sanguinem sumat, singulatim ac- *ff* cedentes cum reverentia et timore *f* tamquam ad corpus Regis; mulie- » res etiam, velato capite, ut femi- *ff* narum ordinem decet, accedant. *ff* Portae autem custodiantur, ne in- » grediatur *aliquis infidelis aut non- ff dum baptismo initiatus.*

ff Quod si frater aut soror ex » altera paroecia venerit, qui com- » mendationem afferant, Diaconus, » quae ad eos spectant, probet, in- » quirens *an fideles sint, an ecclesiae ff adscripti, an nulla haeresi con- fi taminati;* et rursum, aa ilia nu- *ft* pta vel vidua sit, atque ita cum

(1) Hoc in loco Emus Pitra *loe. cit. pag. 222* haec inter cetera adnotat ex Anastasio Bibüothecario: « Idem Anastasius *âvéxdoToç* inter quaedam ex historia mystica sancti Ma- » ximi haec mihi suppeditat: *per divinum autem osculum* (intelligimus) *omnium ad omnes » et ad seipsum uniuscuiusque primitus et singillatim et ad Deum concordiae ac una- » nimitatis et charitatis identitatem.*

» Operae pretium erit uno saltem verbo reoensere praecipuas liturgiae partes, quae in *n* hoc loco, *ordine quem facile dicam romanum, ac ferme qualis est apud S. Tustinum,* » attinguntur: scilicet, 1 lectio veteris testamenti; 2 psalmodia; 8 lectio novi foederis; 4 Epi- scopi et Presbyterorum sermo; 6 dimissio catechumenorum et poenitentium; 6 orationes » seu antiphonae fidelium; 7 oblatio panis et vini; 8 silentium ; 9 comminatio Diaconorum *n* adversus indignos; 10 osculum paols-, il deprecatio Sacerdotis-, 12 salutatio et benedictio » Episcopi; 18 consecratio; 14 communio.»

» cognoverit ubinam rerum sint, eos
x nempe esse *fideles eademque sapere*
x in Domino, deducat singulos ad
n congruum illis locum. Si autem
n Presbyter ex paroecia adveuerit,
7> excipiatur a Presbyteris in com-
7) munionem; et si Diaconus a Dia-
7) conis. Si vero Episcopus, cum
» Episcopo sedeat, eodem honore
T) ab eo exceptus. Et rogabis eum
7i o Episcope, ut populum alloqua-
» tur in sermone doctrinae: peregri-
7) norum enim cohortatio et admo-
7) nitio acceptissima et mirum in
7> modum utilissima est: *nemo enim*
T) propheta, ait, *acceptus est in sua*
n patria. Permittas etiam ei ut of-
7) ferat eucharistiam, quam si, pro-
7) pter reverentiam more sapientis et
* ob honorem tibi reservatum, of-
» ferre noluerit, coges ut saltem po-
» pulo benedicat. Quod si dum se-
7> detur, vir quispiam superveniat,
TI honestus et in saeculo clarus, sive
r> extraneus sive incola loci, tu, Epi-
7) scope, dum de Deo sermones ha-
7) bes, aut dum audis eum qui psallit
T) vel legit, ne ratio personae faciat,
7> ut ministerium verbi intermitías,
7> quo illi locum inter primas sedes
7> constituas, verum quietus mane ne
n vel sermonem tuum interrumpas
n vel audientiam. *Fratres* vero eum
77 per Diaconos recipiant; atque si
n locus desit, Diaconus omnium iu-
7) niorem, prudenter, non autem
rr praefracte loco movens, illum ses-
77 surum recipiat: aequum est, ut
n quisque *fraternitatis amorem* spon-
» te exhibeat; quod si renuerit, vi
n motum post omnes colloca, ut di-
n scant ceteri locum dare honora-
n tioribus. Cum autem pauper vel
n ignobilis vel peregrinus, isque se-
rt nex aut iuvenis, intervenerit, sedi-
7i bus occupatis, iis quoque Diaconus
n ex toto corde locum faciet, ut non
a fiat laeso homine, personarum ac-
n ceptio, sed coram Deo acceptum
a fiat ministerium. Idem et servet
n Diaconissa, cum mulieres, sive pau-
7> peres sive divites, advenerint. Cum
n autem doces, o Episcope, iube et
Ti mone populum ut singulis diebus,
n mane et vespere, frequentet ec-
7i clesiam, ac minime unquam abesse
n velit, sed assidue conveniat, *neque*
Ti ullus subducendo se ecclesiam mu-
ri tilet corpusque Christi mancum fa-
ri dat. Non de solis enim sacerdoti-
» bus dictum est, sed unusquisque
n laicus de se quoque intelligat,
n reputans quod a Domino dictum
n sit: *Qui non est mecum, contra me*
a est; et qui non congregat mecum,
7i spargit. Igitur vos ipsos, qui estis
n membra Christi, nolite spargere
n fratrum coetus non adeundo. Qui
x caput habetis Christum, qui, ut
a idem promisit, vobiscum est, *et*
x vobis sui communionem impertit,
x vestri curam ne omittatis, *nec sal-*
x valorem suis membris privetis, ne-
ri que corpus eius dividatis, neque
x membra eius dispergatis, neque ver-
X bo Dei vel huic vitae necessaria
x anteponatis etc. »

Ex qua liturgica descriptione apparet, I° singulos fidelium coetus sub Episcopo et cum Episcopo, Presby-

teris, ceterisque ministris coadunatos repraesentare Ecclesiam tamquam navem, vel tamquam ovile, appellatque gentem sanctam, regale sacerdotium, corpus Christi Domini, cuius membra sunt omnes singulique fideles.

2° Eos, qui ad hos sacros coetus conventusque admittebantur, dici admissos in communionem : ideoque admitti in communionem significare admitti in ordinatam navem salutis, in congregatum Christi Domini ovile, in gentes sanctas regali sacerdotio auctas, in corpus Christi Domini.

3° Communionem appellari, quia omnia sancta, quae sunt in hac navi, in hoc ovili, in hoc regali sacerdotio, in hoc Christi corpore, omnibus communicantur, omnesque tamquam fratres eiusdem familiae eadem participant.

4° In his sacris coetibus et conventibus corpus Christi Domini adeo expresse repraesentari, ut qui se abstineant, dicerentur hoc ipso, mutilare corpus Christi, et mancum facere.

5° In his coetibus, Christum esse et sui communionem facere.

6° In hos coetus fuisse admissos, qui ex aliena dioecesi provenirent, inquisitione prius facta, an essent fideles, an alicui ecclesiae adscripti, eademque saperent in Domino; proindeque infideles et aliqua haeresi contaminatos penitus fuisse exclusos.

7° Ideoque, qui noscerentur, haeretici, *natura sua,* tamquam infideles erant exclusi a navi salutis, a Christi ovili, a sacro fratrum consortio et a Christi corpore praecisi, nihilque sanctum , quod fideles in coetibus commune haberent participantes.

Ad eandem communionem pariter non admittebantur, qui de gravibus criminibus per iudicium convicti ad poenitentiam non converterentur. Idque fiebat per actum auctoritatis qua removebatur impoenitens a communione. De qua re sic tradunt eaedem Constitutiones Apostolicae, *L St. c. 5 : a* Interea oportet Episcopum *r>* recte iudicare, sicut scriptum est: *n Iudicium iustum iudicate.* Et ali» bi: *Quid vero a vobis ipsis quod » iustum est non iudicatis?* Estote *n* itaque tamquam argentara periti. » Ut enim illi nummos adulterinos » reiiciunt, probos autem retinent, *n* eundem ad modum oportet Ep:» scopum immaculata quidem reli» nere, sed purgare maculis infecta » aut insanabilia reiicere, non tamen » amputare statim, neque quibusvis *n* credere. Sunt enim nonnulli, qui » aemulatione aut invidia ducti ad*D* versus fratrem falsam accusationem *v* instituant: ut olim Babylone duo » senes adversus Susannam, ut Ae*r>* gyptia mulier contra Iosephum. Tu » igitur, ut homo Dei, talia non teff mere admittes, ne innocentem pe» rimas et occidas iustum. Qui enim *n* haec libenter audit, magis irae pa*r>* tei est, quam pacis. Ubi vero ira *r>* est, hinc Dominus abest: quia ira *n* Satanae amica, illam dico, quae » citra aequitatem mota a falsis fra-

» tribus, numquam oriri pacem in » ecclesia patitur. Unde, cognitis iis *D* hominibus impudentibus, conten- di tiosis, aemulis, de malo gaudenti- » bus, ne fidem eis habeatis; immo, *r*> quum quid ab ipsis contra fratres » auditis, cavete ab istiusmodi, quia » necem pro nihilo reputant, et ubi » nemo suspicatur, prosternunt ho- *n* minem.

» Tu ergo accusatorem considera *v* et sapienter expende vitara illius, 7> quae demum et qualis fuerit ; et *TÍ* si demum repereris dicere verum, *T)* uti Dominus edocuit, facito, et *T)* accusatum conveni seorsum, et ar- 7> gue ut resipiscat, nemine praesen- ti te. Quod si non persuasus fuerit, *n* adhibito uno vel altero, ipsi quan- 7> tum deliquerit ostende, admone * eum cum mansuetudine et doctri- » na, *quoniam in corde bono requie-* 7i *scet sapientia; in corde autem im-* 7i *prudentium non dignoscitur.* Si igi- 7i tur persuasus fuerit in ore trium » vestrum, faustum felixque sit! Si » quis autem obdurescit, dic Eccle- 7i siae. Si vero vel eam non audierit» 7i sit tibi sicut ethnicus et publica- *ii* nus, neque amplius eum tamquam 7i christianum in ecclesia relinque , *n* sed ut ethnicum *remove.* Si autem 7i agere vult poenitentiam, suscipe. 7i Neque enim ethnicum et publica- ri num *in communione recipit Ecch-* 7i *sia* priusquam singulos priorum *r»* iniquitatum poeniteat; mores enim 7> mutantibus Dominus noster Iesus *v* Christus instituit poenitentiam.»

Et post alia: « Similiter nec de- *n* sperata est salus ethnicorum, modo » poenitentia ducti, abiiciant incre- 7i dulitatem. Itaque velut publica- ta num et ethnicum habe eum, quem *n* in malo opere *convictum* non poe- 7i nitet tamen. Si vero postea, poeni- » tentia ductus, ab errore ss retrahat, *n* quemadmodum gentiles, quando *n* poenitentiam agere volunt, in ec- 7i clesiam ad audiendum verbum ad- « mittimus, *non tamen cum iis com-* *n municamus,* donec per Baptismi si- 7i gillum consummationem accipiant, *n* ita et illis, donec poenitentiae fru- 7i ctus ostendant, permittimus in ec- 7> clesiam ingredi, ut verbum audien- 7i tes, non funditus pereant; *non vero* *n ut in oratione communicent,* iussi *n* post lectionem legis et prophetarum 7i et evangelii *egredi,* ut exeundo *TI* vitae mores emendent, studentes 7i occurrere quotidie ad sacros con- 7i ventus et orationi vacare, quo et 7i ipsi possint admitti, et qui eos 7i viderint compingantur, etdum me- 7i tuunt ne in similia incidant, cau- 7i tiores evadant.

» Ceterum noli, o Episcope, eum, *n* qui in unum aut alterum lapsus *n* fuerit peccatum, *execrari;* neque *v* ab auditione Dominici verbi arceas, r? neque communitate vitae prives, *n* quandoquidem nec Dominus recu- 7i savit cum publicanis comedere et 7i peccatoribus cumque eam ob cau- *fi* sam in ius a Pharisaeis vocaretur, 7i ita respondit: *Non opus habent me-* 7i *dico qui valent, sed qui male ha-* 7i *bent.* Cum iis igitur, quos *propter* *ri peccata excommunicatis,* conversa-

i> tione et convictu iungimini, curam
j> illius, solatium, fulcimen praeben-
» tes ac dicentes: *Confortamini, ma-*
fi nus remissae et genua soluta. Con-
ff solari enim oportet eos qui lugent,
TI et animo deficientibus alacritatem
T) reddere, ne immoderato dolore in
7i amentiam emigrent, quoniam *pu-*
ff sillanimis valde insipiens est. Iam
» si quis conversus poenitentiae fru-
7> ctum ediderit, tum ad orationem
ff eum admittite, ut filium qui per-
7> ierat, illum prodicum, qui cum
ff meretricibus diluerat patria bo-
7) na. . . . Et quemadmodum etbni-
7> cum baptismo lotum post dida-
ff scalia in ecclesiam inducís, simi-
7i liter super hunc manus impone,
ff tamquam poenitentia repurgatum,
v omnibusque pro eo deprecantibus
ff restitues eum in antiqua eius pa-
» scua. . . Et si quis fratrum num-
» quam prolapsus reprehenderit te,
ff quod huic sis reconciliatus, dicito
» ei : *Tu semper mecum es et mea*
" omnia tua sunt: epulari autem et
ff gaudere oportebat, quia frater tuus
ff hic mortuus erat et revixit; per-
ff ierat et inventus est. Nam quod
ff Deus non solum ignoscat poeni-
ff tentibus, sed et eos in pristinam
ff dignitatem restituat, abunde te-
ff statur S. David etc.

ff Igitur et tu, ut medicus con-
ff dolens, omnes peccatores sana sa-
ff lutiferis atque ad subsidium aptis
ff utens remediis, non solum secans
ff aut urens aut sicca et mordacia ad-
7> hibens, verum etiam alligans, li-
» Dimentum indens et pharmaca Ie-
ff nia , quae cicatricem obducant,
ff imponens, atque verbis irrigans
ff consolatoriis . Porro , si vulnus
7) biulcum fuerit, imple illud suavi
ff emplastro , quo carne repletum
ff aequale cum integra parte efficia-
7> tur. Sin vero sordes contraxerit,
T) repurga mordaci pulvere, hoc est
ff obiurgatorio sermone. Si autem
ff intutnuerit, acri complana collyrio,
ff iudicii comminatione. Si serpit
7f cancer cauterio utere et putredi-
7i nem exseca, ieiunio affligens. Quae
TÍ quum feceris, si deprehendis nul-
TÍ I i us opera esse a capite ad pedes
ff apponere malagma aut oleum aut
a ligamina , sed dilatari ulcus et
ff omnem anticipare mediationem,
TI ad modum gangraenae cuncta
n membra putrefacientis, tunc mul-
7i ta cum consideratione et consul-
n tatione, adhibitisque aliis probis
a medicis, *abscinde* membrum pu-
7> tridum , ne universum ecclesiae
fi corpus corrumpatur. . . . .Si de-
7> mum impoenitentem aliquem vi-
7i deris et obduratum, tum cum do-
a lore ac luctu insanabilem ab ec-
ff clesia *remove.»*

Ex hac satis prolixa descriptione methodi, qua Episcopus procedere deberet ad removendos a communione peccatores in iudicio convictos, haec satis sibi constant:

1° Qui de consuetudine graviter peccandi convictus post fraternas admonitiones pertinax remansisset, removendus erat ab ecclesiastica fidelium communione.

2° Eiusmodi remotio per aucto-

ritatis episcopalis actum fiebat, qui in eo statu christianum impoenitentem quoad ecclesiam collocabat, quo statu ethnici, fidem non amplectentes, natura sua quoad ecclesiam reperiuntur.

3° Ideoque talis christianus, per dictum auctoritatis actum ab ecclesia remotus, ea iura coram ecclesia amittebat, quae per baptismum consecutus fuerat.

4° Eadem iura consequi iterum non poterat, nisi, pertinacia fracta, poenitentiam quaereret; poenitentia autem publica iuxta canones completa, per actum auctoritatis coram ecclesia absolventis in pristina pascua instituebatur. Eiusmodi absolutio tamquam novus baptismus considerabatur, quo omnia baptismi iura coram ecclesia reviviscebant.

5° Peccatori sic ab ecclesia abscissi) et poenitentiam quaerenti, permittebatur in ecclesiam ingressus ad audiendum verbum et scripturarum lectiones, et ad proprias fundendas preces; ita tamen ut ex ecclesia exire cogeretur ante sacrorum celebrationem.

C" Eiusmodi in ecclesiam ingressus non erat communionis participatio, sed tantum poenitentiae publicae stadium ad consequenda tandem pristina communionis pascua.

7° Quare communio praecipue consistebat, in participatione fructus incruenti sacrificii publice celebrati in participatione omnium precum , quibus terrestris Ierusalem in celebratione sacrificii mente ct corde--coniungitur cum Ierusalem coelesti.

Haec confirmant ea omnia, quae io sacra liturgia legimus constituta, in qua frequentissima sunt verba *communio, communicantes :* quibus non solum significatur communio realis Christi Domini Corporis et Sanguinis, sed etiam fructuum sacrificii per Sacerdotem oblati participatio, et communicatio cum sanctis, qui ad stadium gloriae pervenerunt aut in stadio purgationis vel in stadio militantis Ecclesiae repeliuntur. Ex hac amplissima ac vivissima communione totius ecclesiae cum Christo per Christum et in Christo exclusi erant natura sua infideles non amplectentes fidem, et ceteri, qui per peculiarem actum auctoritatis segregabantur, removebantur, abscindebantur.

Ad indolem naturamque excommunicationis uberius intelligendam alterum quoque exemplum adducam depromptum ex Africana ecclesia aetate S. Cypriani, in celebri causa schismatis a Felicissimo aliisque patrati.

Felicissimus, vir criminosus, se ab Episcopis ecclesiae Africanae segregatis, in communionem suam cooptábate qui lapsi erant in persecutione, nulla poenitentia imposita neque exomologesi facta: secum communicare non permittebat, qui cum legitimis Episcopis communicarent.

Sed expedit referre epistolam 38 inter opera Cypriani, quam Cypriar nus scripsit ad suffraganeos Episcopos: ea est tenoris, qui sequitur.

« Cyprianus Culedonio et Hercu-

» lano collegis, item Rogatiano el Nu- » midico cornpresbyteris salutem.»

« Vehementer contristatus sum » fratres charissimi, acceptis litteris y> vestris, ut cum mihi propositum » semper et votum sit universam fra- » ternitatem nostram incolumem con- y> tmere et illibatum gregem, secun- » dum quod charitas exigit, reservare; D nunc nuncietis Felicissimum multa y> improbe et insidiose esse molitum, » ut praeter fraudes veteres et rapi- ci nas, de quibus iampridem multa » cognoverant , nunc quoque cum » Episcopo portionem plebis divide- r e , idest a pastore, oves et filios a » parente separare et Christi mem- » bra dissipare tentaverit....

« Cumque post haec omnia nec » loci mei honore motus, nec vestra » auctoritate et praesentia fractus, y> instinctu suo quietem fratrum tur- » bans, proripuerit se cum plurimis, » ducem se factionis et seditionis » principem temerario furore con- » testa ns (in quo quidem gratulor » plurimos fratres ab hac audacia » recessisse et vobis acquiescere ma- » luisse, ut cum ecclesia matre re- » manerent. . . . . .) : interim cum » Felicissime comminatus sit non » communicaturos in monte secum, » qui nobis obtempérassent, idest » qui cum nobis communicarent, *» accipiat sententiam quam prior di- ri xit, ut abstentum a nobis sciat,* » quando ad fraudes eius et rapinas, » quas dilucida veritate cognovimus, » adulterii etiam crimen accedit; » quod fratres nostri graves viri de- » prehendisse se nunciaverum , et » probaturos se asseveraverunt. Quae » omnia tunc cognoscemus, quando » in unum collegis pluribus permit- ir tente Deo convenerimus. Sed est » Augendus, qui nec Episeopum nec » ecclesiam cogitans, pariter se cum» » illius conspiratione sociavit: si ul- » tra cum eo perseveraverit, senten- » tiam ferat, quam ille in se factio- » sus et temerarius provocavit. Sed » et quisquis se inspirationi et fa- » ctioni eius adiunxerit, *sciat se in » ecclesia nobiscum non esse com- » municaturum :* qui *(Felicissimus) » sponte* maluit ab ecclesia separari.

» Has litteras meas fratribus no- » stris legite, et Carraginem ad Cle- » rum quoque transmittite, additis «nominibus eorum, quicumque se » Felicissimo iunxerunt.»

Quod iusserat Cyprianus bis ul- timis verbis perfecerunt Episcopi Ca- ledonius,Herculanus et Victor, hanc circularem epistolam ad Africanas ecclesias mittentes, quae inter opera Cypriani est epistola 39.

« Caledonius cum Herculano et » Victore collegis, item Rogatiano » cum Presbyteris salutem.»

« Abslinuimus communicatione » Felicissimum et Augendum , item v *Repostum de extorribus, lrenem Rw » tilorum et Paulam sarcinatricem;* » quod ex adnotatione mea scire de- » buistis. Item *abstinuimus Sopro- » nium et ipsum de extorribus So- y> liasjum Budinarium. »*

* Idem Cyprianus, e sua dioecesi exui, plebi denique universae de-

eodem schismate haec inter cetera denunciava, atque iussit per epistolam quae mihi est 40.

« De Dei providentia nobis hoc » optantibus, imo et ignoscentibus » et tacentibus poenas, quas meru- » erant *(schismatici)*, pependerunt, » ut a nobis *non eiecti ultro se eii- » cerent, ipsi in se pro conscientia » sua sententiam darent.* »

Et post alia: « Pacem non offe- » runt, qui ipsi non habent pacem.. » In Ecclesiam lapsos reducere et » revocare promittunt, qui de Ec- » desia recesserunt. Deus unus est » et Christus unus et una Ecclesia, » et cathedra una super Petrum Do- » mini voce fundata. Aliud Altare » constitui, aut Sacerdotium novum » fieri praeter unum Altare et unum » Sacerdotium, non potest. Quisquis » alibi collegerit spargit. Adulterum » est, impium est, sacrilegum est, » quodcumque humano furore insti- » tuitur, ut dispositio divina violetur. » Procul ab huiusmodi hominum » contagione discedite et sermones » eorum velut cancer et pestem fu- » giendo vitate, praemonente Domi- » no et dicente : *Caeci sunt et du- nt ces caecorum...* Nemo vos fratres » errare a Domini viis faciat. Nemo » vos christianos ab evangelio Christi » rapiat, nemo filios Ecclesiae de «Ecclesia tollat; pereant sibi soli, » qui perire voluerunt; extra eccle- » siam soli remaneant qui de ecclesia » recesserunt. Soli cum Episcopis non »sint, qui contra Episcopos rebel- » larunt. »

Denique sic epistolam claudit: « Si quis autem poenitentiam agere, » et Deo satisfacere detrectans ad » Felicissimi et satellitum eius partes » concesserit, et se haereticae fa- » ctioni coniunxerit, sciat, se postea » ad *ecclesiam redire et cum Episco- » pis et plebe Christi communicare » non posse.* »

Et in praeclarissima epistola quam Cyprianus scripsit ad Episcopum Cornelium, quae mihi est 55; inter plurima haec habentur: *u* Legi *x* litteras tuas frater diarissime, quas » per Saturum fratrem nostrum Aco- *r*> luthum misisti, et dilectionis fra- *r*> ternae, et ecclesiasticae disciplinae » et sacerdotalis censurae satis ple- »nas, quibus significasti, Felicissi- » mum hostem Christi, non novum, » sed iampridem ob crimina sua plu- » rima et gravissima *abstentum*, et » non tantum mea, sed plurimorum *n* Coepiscoporum sententia conde- *n* m natum reiectum a te illic esse; *r*> et cum venisset stipatus caterva et *n* factione desperatorum, vigore ple- » no, quo Episcopos agere oportet, *n* pulsum de Ecclesia esse : de qua » iampridem cum sui- similibus, Dei *r*> maiestate et Christi Domini et iu- » dicis nostri severitate depulsus est, *n* ne schismatis et dissidii auctor, *n* ne pecuniae commissae sibi frau- » dator, ne stuprator virginum, ne *n* matrimoniorum multorum depo- » pulator atque corruptor, ultra ad- *n* huc sponsam Christi incorruptam, *v* sanctam , pudicam , praesentiae *v* suae dedecore ee impudica atque

n incesta contagione violaret. Sed
» enim lecta alia tua epistola frater,
» quam primis litteris subi unxisti,
» satis miratus sum , cum animad-
» vertissem te minis atque terroribus
» eorum qui venerant, aliquantum
» esse commotum, cum te, secundum
» quod scripsisti, aggressi essent, cum
» summa desperatione comminantes,
«quod si litteras, quas attulerant,
n non accepisses, publice eas reci-
» tarent, et multa turpia et probrosa
» et ore suo digna proferrent. Quod
» si ita res est frater charissime, ut
» nequissimorum timeatur audacia
» et quod mali iure, atque aequitate
» non possunt, temeritate ac despe-
» ratione perficiant, actum est de
» Episcopatus vigore et de Ecclesiae
» gubernandae sublimi ac divina po-
» testate ; nec christiani ultra aut
» durare aut esse iam possumus, si
» ad hoc ventum est, ut perditorum
n minas atque insidias pertimesca-
» mus. Nam et gentiles et Iudaei
» minantur, et haeretici, atque o-
» mnes, quorum pectora et mentes
n diabolus obsedit, venenatam ra-
» biem suam quotidie furiosa voce
» testantur: non tamen idcirco ce-
» dendum est quia minantur, aut
» ideo adversarius et inimicus maior
» est Christo, qui tantum sibi vin-
» dicat et assumit in saeculo. Ma-
» nere apud nos debet, frater cha-
» rissime, fidei robur immobile, et
r> stabilis atque inconcussa virtus
» contra omnes i n cursus atque im-
» petus oblatrantium fluctuum velut
» petrae obiacentis fortitudine et mo-
n le debet obsistere etc.» Prosequi-
tur praeclara exhortatio, et post plu-
ra: «Opto omnes in Ecclesiam re-
» gredi, opto universos commilitones
» nostros intra Christi castra et Dei
» Patris domicilia concludi: remitto
» omnia, multa dissimulo, studio et
» voto colligendae fraternitatis, etiam
» quae in Deum commissa sunt, non
v pleno iudicio religionis examino,
» delictis plus quam oportet remit-
» tendis paene ipse delinquo ; am-
n plector prompta et plena dilectione
r) cum poenitentia revertentes, pec-
T) catum suum satisfactione humili
» et simplici confitentes. *Si qui au-*
ri tem sunt, qui putent, se ad Ec-
» clesiam non precibus, sed minis re-
ut gredi posse, aut existiment aditum
n se sibi non lamentationibus et sa-
73 tis factionibus, sed erroribus facere,
77 pro certo habeant, contra tales clau-
7i sam stare Ecclesiam Domini, nec
n castra Christi invicta et fortia, et
n Domino tuente munita minis cedere,
n Sacerdos Dei Evangelium tenens et
77 Christi praecepta custodiens, occidi
v potest, non potest vinci.»

Et post alia epistolam Cyprianus
clausit his verbis:

« Sic quod illic contagium ve-
7i nenati sermonis et pestiferae se-
77 minationis irrepserat, id omne de
n fratrum auribus et pectoribus exua-
7i tur, et bonorum integra ac sincera
n dilectio ab omnibus haereticae de-
77 tractionis sordibus repurgetur. De-
7i clinent autem de caetero fortiter
77 et évitent dilectissimi fratres nostri
77 verba et colloquia eorum, quorum

» sermo ut cancer serpit: sicut Apo-
» sto lus dicit: *Corrumpunt ingenia*
it bona eonfabulationes pessimae. Et
» iterum : *Haereticum hominem post*
v unam correptionem evita, sciens
n quia perversus est huiusmodi et pec-
T) eat et est a semetipso damnatus. Et
n Salomonem alloquitur Spiritus San-
» ctus: *perversus,* inquit, *in ore suo*
n portat perditionem et in labiis suis
r> ignem condit. Item denuo monet
» dicens : *sepi aures tuas spinis et*
» noli audire nequam. Et iterum:
» malus obaudit linguae iniquorum,
n iustus autem non intendit labiis men-
7) dacibus. Quod quamquam sciam
» illic fraternitatem nostram, vestra
«scilicet providentia monitam, sed
y» et sua vigilantia satis cautam, nec
p capi haereticorum venenis posse,
T) nec decipi, tantumque apud illos
T) praevalere magisteria et praecepta
n divina, quantus illis in Deum ti-
7) mor est: tamen ex abundanti vel
7) sollicitudo nostra vel charitas scri-
7> bere ad vos ista persuasit, *ut nulla*
77 cum talibus commercia copulentur,
T) nulla cum malis convivia vel col-
» loquia misceantur, simusque ab eis
77 tam separati, quam sunt illi de
n Ecclesia profugi, quia scriptum est:
77 Si autem et Ecclesiam contempse-
7f rit, sit tibi tamquam Ethnicus et
7) Publicanus: et Beatus Apostolus
ri non monet tantum, sed et iubet
7> a talibus ut recedatur. *Praecipi-*
77 mus, inquit, *vobis in nomine DO-*
TI mini Jesu Christi, ut recedatis ab
n omnibus fratribus ambulantibus in-
it ordinate et non secundum traditio
it nem, quam acceperunt a ncibù. Nul-
» la societas fidei et perfidiae potest
n esse : qui cum Christo non est,
n qui adversarius Christi est, qui
» unitati et paci eius inimicus est,
» nobiscum non potest cohaerere.
D Si cum precibus et satisfactionibus
«veniunt, audiantur: si maledicta
» et minas ingerunt, respuantur.»

Ex quibus haec breviter colliguntur:

I° Schismatici, se a peculiaribus ecclesiis dividentes, et novam Ecclesiam constituere attentantes hac ipsa sua divisione iam id operantur, quod excommunicatio operatur: per eam enim divisionem a tota Ecclesiae, quae una est, compagine se segregant, quae compago uti fundamento innititur Cathedrae Petri.

2° Excommunicatio tamen ex parte Ecclesiae est necessaria, non tam ad separandum, quam ne schismatici, iam actione sua separati, ad Ecclesiae unitatem proprio veluti iure regredi posse putent, atque ut fideles doceantur, schismaticos a Christi Domini Ecclesia esse repulsos, et per consequens, quodcumque communionis genus eisdem esse denegatum.

3° Quare excommunicatio ob peccata inflicta, quae per se peccatorem ab unitate Ecclesiae non separant, eum removet a peculiari fidelium communione ut peccator ad bonam revertatur frugem petendo canonicam poenitentiam: excommunicatio vero quae infligitur illis, qui per se ab Ecclesiae unitate per schi-

sma vel per haereses separarunt, cos abscindit vel declarat abscissos, ut verae Ecclesiae unitas, tum communionis tum fidei, firma et inconcussa servetur. Aliis verbis; prima excommunicatio est Ecclesiae actio, ut inde proveniat peccantis reactio per canonicam poenitentiam: secunda est Ecclesiae reactio ut se apprime muniendo et tuendo elidat adversam schismaticorum vel haereticorum vel apostatarum actionem.

4° Excommunicatio in Africanis ecclesjjs appellata est ***abstentio ab ecclesia,*** **et excommunicatus dictus** ***abstentus communicatione,*** **qua appellatione adsignificatur quoque quoddam personale vinculum , quaedam nota vel censura , personae inhaerens, qua, persona ab ecclesia per auctoritatem abscissa, quamdiu** ***absienta*** **diceretur, communicare non posset; quo sensu nos dicimus** ***excommunicatos.*** **Haec autem nota , censura, vinculum, non est aliud quam** ***personalis iuris privatio*** **participandi bona Ecclesiae sive spiritualia sive socialia.**

5° Cum eiusmodi excommunicatis communio quoque socialis prohibebatur; ex ea praesertim ratione, ne eorundem contagione fideles afficerentur: qui schismati praeterea adhaererent eadem excommunicatione ipso facto erant publice mulctati, quin ab auctoritate denunciarentur.

Nunquam finem facerem in huiusmodi exemplis, ex antiquitate desumptis, afferendis, quae Ecclesiae disciplinam illustrant: namque licet mutabilis sit ecclesiastica disciplina pro vario Ecclesiae statu et conditione; disciplinae tamen substantia remanet, utpote quae et ipsa tandem innititur supremis christianae religionis principiis et idem est Ecclesiae Spiritus qui tum in fidei deposito custodiendo, explicando, tuendoque, tum in moderamine disciplinae eandem ecclesiam dirigit, ceu innuit S. Leo Magnus in epistola ad Dioscorum Alexandrinum, de qua mentionem feci in superiori adnotatione pag. 69.

Ex expositis itaque animadversionibus, ex adductis documentis depromptis, iam satis apparet, excommunicationem ob varia crimina, vario modo, variisque de causis ab auctoritate ecclesiastica inflictam hoc semper habere commune, quod sit ***privatio iuris participandi Ecclesiae bona quae sunt fidelibus propter Baptismum communia:*** **quamquam haec iuris privatio modo maior modo mi nor sit, modo consequatur crimen ob naturam criminis, modo tota pendeat ab auctoritate; de qua re infra loquar.**

Exinde apparet loque **discrimen, quod interceda inter hominem peccatorem non excommunicatum et inter peccatorem excommunicatum.**

Homo peccator ex iure divino amittit gratiam sanctificantem , et propter eiusmodi gratiae amissionem non potest mereri per bona opera vitam aeternam : ob eandem rationem non potest participare ea bona Ecclesiae, quae supponunt statum gratiae*

eritque in corpore Ecclesiae tamquam membrum arescens, vel ramus humore vitis destitutus, qui tamen ex magna vitis fecunditate, aliquam partem boni humoris ad vitam iterum obtinendam participare potest: magna enim est Ecclesiae caritas et heroicarum virtutum vis et meritai

Homo peccator excommunicatus, eadem bona ex iure quoque ecclesiastico non participat: sed praeterea nec participat eà bona quae fidelibus sunt communia propter partem quam habent in corpore Ecclesiae cui tamquam fecundae viti sunt inserti: namque peccator excommunicatus non modo est membrum arescens et ramus humore destitutus, sed simul est a corpore abscissum et ramus ab arbore sectus: qui tamen quo propinquior maneat fecundissimae arbori a qua est sectus, eo propinquior evadit spes salutis per novam insertionem in vitem, sub cuius umbra iacet ne penitus «siccetur aut tabescat.

Eiusmodi metaphorae ex humano corpore, ex arbore vitis desumptae multo opportuniores sunt ad rei intelligentiam , quam exempla desumpta...ex variis hominum societatibus , in quibus nullum reperies exemplum, quod melius explicet quid sit bonorum spiritualium bonorumque Ecclesiae participatio seu communio. Ecclesia enim est talis societas, quae in rerum natura nullum habet simile exemplum.

Homo itaque peccator unicum •habet impedimentum ad reconciliationem cum Deo ut vitam iterum consequatur et particeps evadat omnium bonorum Ecclesiae: impedimentum est status peccati, qui deletur per poenitentiae sacramentum: e converso homo peccator excommunicatus duplex habet impedimentum, quorum unum est status peccati , alterum est excommunicatio propter peculiare peccatum inflicta. Quum autem facultate privatus per excommunicationem existat participandi bona quae sunt in potestate Ecclesiae , quaeque fidelibus sunt communia, non poterit reconciliari Deo per poenitentiae sacramentum, nisi prius reconcilietur Ecclesiae, quae habilem eum reddat ad bona Ecclesiae participanda, proindeque ad ipsum sacramentum poenitentiae obtinendum. Ex quo iam apparet quid sit reservatio peccatorum propter reservatam censuram de qua re sermo redibit in Appendice V.

DE EXCOMMUNICATIONE LATAE SENTENTIAE .

Excommunicatio , quae dicitur latae sententiae, quae videlicet cum ipso patrato crimine ita, ex voluntate excommunicantis, cohaeret, ut crimen patratum loco sit sententiae excommunicationis; in usu vix fuit prioribus Ecclesiae saeculis quando res erat de criminibus, quae natura sua ab unitate Ecclesiae non separaret, ut videre est in canonibus Apostolorum dictis, in quibus non aliis verbis excommunicatio sancitur, quam per haec: *adiciatur: commu-*

nione privetur: convenit communione privari: damnetur: ab ecclesia abscindatur; segregetur: separetur: separationis poena feriatur : poenam ferat segregationis. Iisdem sanctionis verbis usa est Synodus Nicaena eademque verba eorundemque verborum sensus reperiuntur in subsequentibus conciliorum canonibus.

Sed alia ratione cautum erat, quando agebatur de criminibus quae natura sua separant ab Ecclesiae unitate, ut est crimen apostasiae a fide, crimen haeresis vel schismatis: haec enim crimina secumferebant excommunicationem, non quidem ex peculiari aliquo canone, sed ex ipsa natura criminis, quo plene consummato, unitas Ecclesiae sive fidei sive communionis salva esse non poterat: unitas namque Ecclesiae ea relatione se habet cum haeresi vel schismate complete patrato, quo se habent affirmatio et negatio.

Sic ex. gr. Nicaena Synodus, edito fidei symbolo , subiunxit: *a* Eos » autem, qui dicunt: erat tempus, » quando *(Filius Dei)* non erat, et *r*> priusquam nasceretur non erat, et » quia ex nullis subsistentibus factus » est, aut ex alia substantia vel es» sentia dicunt esse τρεπτόν, hoc est » convertibilem aut mutabilem Fi*V* liam Dei hos *anathematizat* catho» lica et apostolica Ecclesia. » Idest, declarata et proposita fidei doctrina, qui contra dicant, suo sinu expellit natura sua ecclesia, execratur, anathematizat: suo est enim iudicio damnatus.

Pariterque lapsi in persecutione, vel ceteri apostatae de quibus sermo est in canonibus Nicaenis 11, 12, 14, aut haeretici, ut de Paulianistis de quibus loquitur canon 19 eiusdem Synodi, habiti sunt tamquam ab ecclesia seiuncti, proindeque communione Ecclesiae ipso facto privati.

In synodo Gangrensi, celebrata saeculo IV ad finem vergente, viginti canones dogmatici constituti sunt atque singuli muniti cum clausula *anathema sit.*

Sic ex. gr. se habet canon I: *u* Si quis vitupérât nuptias, et dor*V* mientem cum viro suo fidelem ac » religiosam detestatur, aut culpabi» les aestimat, velut qui in regnum » Dei introire non possint, *anathema* » sit.» II. *u* Si quis carnes edentem »(praeter sanguinem et idolis im*n* molatum et suffocatum) cum re» ligione et fide, condemnat, velut » spem, propter huiusmodi perce» ptionem non habentem, *anathema v sit. »*

De quo anathemate sic scripserunt iidem Patres Gangrenses in epi stola synodali: « Propterea ergo eo» actum est hoc Concilium in Gan» grensi ecclesia habitum, ut cano» nes istos exponerent, quibus *pro» bantur memorati extra Ecclesiam n* me.Quodsi per poenitentiam con» demnaverint haec omnia, quae male » senserunt, tamquam a se non bene *n* prolata, acceptabiles fiant ; atque » ideo singula quae debeant conde» mnare synodus credidit exponen» da. Quod si quis renuerit haec quae

n hodie constituta sunt, *tamquam n haereticus, anathematizatus et dari mnatus obiiciatur. Et erit non sori tum incommuni catus, verum etiam n ab Ecclesia habeatur extorris. »*

In quo documento apprime nota haec ultima verba: *et erit non solum incommunicatus, verum etiam ab Ecclesia habeatur extorris.* Non enim omnes qui sunt incommunicati censentur ab Ecclesia extorres: sed e converso ab Ecclesia extorres, sunt eo ipso incommunicati.

Haec autem separatio, quae contingit ex natura criminis, et anathematizatio, qua eos natura sua prosequitur Ecclesia, nihil impediebat, quominus, singulis supervenientibus rebus, per specialem auctoritatis actum haeretici anathematizarentur.

Qui actus auctoritatis est omnino necessarius, quando dubium exoriatur, an doctrina sit necne haeretica, vel quando aliqua tergiversatione sub pelle ovium ipsi tegantur, quod frequentissime contingebat. Haeretici enim in hoc solebant differre ab apostatis a fide vel schismaticis, quod illi nomine christiano haeresim disseminarent praesumentes in Ecclesia esse: haeresis enim opponitur per se unitati fidei, non autem pari modo opponitur unitati communionis.

Ut itaque lupi discernerentur ab ovibus, regula servata est, ut suspecti in iudicium vocarentur, ut per explicitam errorum detestationem eliminarent suam suspicionem ; quod si facere delroclarenl, communione privabantur: haec errorum detestatio appellata inde est purgatio canonica.

Huius canonicae purgationis praeclara extant exempla in epistolis Magni Leonis. Unum tantum referam exemplum, quod legitur in epistola eiusdem ad Aquilciensem Episcopum (1) hisce verbis: «Agnovimus *n* quosdam Presbyteros et Diaconos *n* ac diversi ordinis Clericos, quos *n* Pelagiana sive Caelestiana haeresis *n* habuit implicatos, ita in vestra pro- *n* vincia ad communionem catholi- ci eam pervenisse, ut nulla ab eis *n* damnatio proprii exigeretur erroris; *n* et pastoralibus excubiis nimium *n* dormitantibus, lupos ovium pellibus *n* tectos in ovile Dominicum , non » depositis bestialibus animis , in- *n* troisse ; et quod per auctoritatem *n* canonum decretorumque nostro- *n* rum ne insontibus quidem concedi- » tur, usurpasse; ut relictis ecclesiis, *n* in quibus clericatum aut accepe- *n* rant, aut receperant, instabilitatern *n* suam per diversa circumferant, *n* amantes semper errare et nunquam *n in fundamento Apostolico* perma- » nere. *Quoniam, qui nullo discussi » examine nullo sunt praeiudicio suat< n professionis obstricti,* hunc maxi- mi me expetunt fructum, ut sub ve- *n* lamento communionis plures do *n* mos adeant, et per falsi nominis *n* scientiam multorum corda corrum- » pant. Quod utique efficere non

Cl) Haec epistola in Vol. I Appendix ad Bullarium Romanum editionis Taurinensi» reperitur p<ig. 1. Huic similis est altera ad Septimum Altimum Episcopum ibid. pag. 3.

» possent, si ecclesiarum Praesules n necessariam diligentiam in talium » receptione servissent, ne cuiquam n eorum evagari in diversa licuisset.

» 5ie ergo hoc ulterius audeatur, » neve per quorundam negligentiam n introducta pernicies ad eversio- » nem multarum tendat animarum^ n hac nostri auctoritate praecepti, n industriae tuae fraternitatis indi- » cimus, ut, congregata apud vos n synodo provincialium Sacerdotum, T> omnes sive Presbyteri sive Diaconi, » sive cuiusque ordinis Clerici, qui » de Pelagianorum Caelestianorum- r> que consortio in communionem » catholicam ea imprudentia sunt » recepti, ut uon prius ad damna- f> tionem sui coarctarentur erroris, » nunc saltem, posteaquam hypocre- » sis eorum ex quadam parte dete- » gitur, ad veram correctionem, quae » et ipsis prodesse, et nullis possit » nocere, cogantur. *Damnent apertis » professionem suis superbi erroris n auctores, et quidquid in doctrina r> eorum universalis Ecclesia exhorruit n detestentur: omniaque Decreta syn- T> odalia quae ad excissionem huius n haereseos Apostolicae Sedis confit- rr mavit auctoritas, amplecti se et in n omnibus adprobare plenis et apertis rr ac propria manu subscriptis pro- r> testationibus eloquantur. Nihil in n verbis eorum obscurum, nihil in- ri veniatur ambiguum. Quoniam no- » vimus hanc istorum esse versutiam, n ut in quacumque particula dogma- ri tis execrandi, quam a damnando- rr rum soliditate discreverint, nihil n sibi sensuum suorum aestiment esse rr non salvum.»*

Et post alia : « Cavendum ergo » dilectioni tuae est, magnaque di- » ligentia providendum, ne per hu- » iusmodi homines extincta dudum n scandala suscitentur, et de exciso » olim dogmate aliquod in provincia » tua eiusdem mali germen oriatur; » quod non solum in radicibus suis » crescat sed etiam Sanctae Ecclesiae » sobolem veneno sui oris inficiat. *n Qui correctos se videri volunt, ab a omni suspicione se purgent; et obe- ri diendo nobis probent, se esse nostros, n Quorum si quisquam salubribus n praeceptis satisfacere detrectant, » sive ille Clericus, sive ille sit laicus n ab Ecclesiae societate pellatur,* ne n proditor animae suae saluti insi- » dietur alienae.»

Eo itaque rediens ex quo pa- rumper discessi, quum illi qui aper- te se haereticos proderent vel apo- statas vel schismaticus, facto suo excisi ab unitate Ecclesiae essent et haberentur: ad huius separationis si- militudinem paullatim in Ecclesiam invexit ea quoque ratio excommu- nicandi ceteros peccatores ob quae- dam determinata crimina, quae di- citur excommunicatio latae senten- tiae; ita ut crimen admissum esset loco iudicialis sententiae.

Canon antiquior, qui mihi sese offert, in quo aliquod exemplum re- peritur de excommunicatione latae sententiae, est ille, qui legitur in Decreto Gratiani *can. 24 causa 24 quaest. S* desumptus ex Concilio To-

letano I initio saeculi V celebrato, quique canon bis verbis est conceptus: *a* Si quis de Potentibus Cle» ricum, aut quemlibet pauperem *v* aut religiosum expoliaverit, et man» daverit eum ad se venire Episco» pus, ut audiatur, et contempserit, » invicem mox scripta percurrant » per omnes Episcopos provinciae *r*> et quoscumque adire potuerint, ut *n excommunicatus* habeatur *ipse,* do» nec obediat et reddat aliena. »

Cum videlicet deessent media, quibus delinquens in iudicium cogi posset ipsumque iudicium sperneret, eius contumacia frangebatur per excommunicationis sententiam ipso facto incurrendam donec satisfaceret.

Eiusmodi ratio excommunicandi ipso facto quosdam peccatores invaluit saeculo XI vel XII et deinceps, sive ad frangendum contumaciam eorum, qui in iudicium frustra vocarentur, sive ad coercenda frequentiora delicta, sive quod locorum Ordinarii minus solliciti essent de delinquentibus in iudicium vocandis, vol non facile possent vel non expediret ut facerent: neque enim id temporis Ecclesia versabatur amplius in ea conditione, qua reperiebatur, dum florescere inceperat prioribus saeculis: iam enim longe lateque diffusa erat; iam civilem societatem Christo Domino subegerat; iam Episcopi ministeria ecclesiastica relique rant suis Cleris, sibi maiora negotia reservantes; iam Parochi constituti erant non tantum in pagis et oppidis, ut antea, sed in ipsis ëpiscopalibus civitatibus. Domestica illa propemodum disciplina, quam vidimus obtinuisse primis Ecclesiae saeculis, locum habere amplius non poterat; ideoque, quum paterna episcopalis cura ad tantam filiorum ubertatem sese porrigere pari modo non posset, opus fuit, ut leges eam curam suppleret.

Quaedam itaque maiora crimina, quae iudicata sunt excommunicationis censura digna, sive ad nervum ecclesiasticae disciplinae servandum, sive ad ea crimina coercenda et ex> tirpanda, excommunicationis sanctione ipso facto incurrenda, sunt positiva lege prohibita: hac enim ratione , crimine commisso censura mulctato, non alia pars remanebat auctoritati ecclesiasticae, quam declarandi per aliquod summarium iudicium, si opus esset, excommunicationem fuisse incursam.

Dixi si <opus esset: namque quum ipsum crimen commissum esset loco sententiae, opus 'ñon erat iudiciali declaratione, si salis esset notorium.

Quum autem nihil esset immutatum quoad sociales excommunicationis effectus et quoad ecclesiasticam fidelium communionem, res tandem eo devenit, ut haec excommunicandi ratio, auctoritati valde commoda et minus exosa , saeculorum lapsu occasione esset scandalis; namque qui facile passi non essent propter crimina iudicium auctoritatis subire ob sociales effectus quos excommunicatio gignebat, multo minus patiebantur se videri a consor»

tio fidelium exclusos sine ullo iudicio; eo magis, quod verbum *notorium* eiusmodi sit, quod gradus admittat et adeo excusationibus possit obumbrari, ut frequenter quod unus notorium existimet, alter ut incertum reiiciat, vel saltem non tale, quod causas excludat, quibus delinquens ab incursa excommunicatione excusari aliquo modo non posset; quibus accedebat facilitas quaedam qua eiusmodi censura infligebatur, quin leges revocarentur, quando effectum suum essent satis consecutae: unde numero paullatim auctae sunt.

E converso fideles adigebantur eiusmodi delinquentes vitare tum in civili consortio tum in ecclesiastica communione urgente quoque censurarum sanctione. Ad evitanda itaque scandala inde proficisçentia Martinus V Constitutione edita *Ad evitanda* in Concilio Constantiensi haec constituit, ut legitur apud Harduinum *Conc. T. 8 colunt. 892:* « In-
» super ad evitanda scandala et mul-
» ta pericula subveniendumque con-
» scientiis timoratis, omnibus Christi
n fidelibus tenore praesentium mi-
» sericorditer indulgemus,quod nemo
n deinceps a communione alicuius
n in Sacramentorum administratione
» vel receptione aut aliis quibuscum-
» que divinis vel extra, praetextu
» cuiuscumque sententiae aut cen-
» su rae ecclesiasticae a iure vel ab
» homine generaliter promulgatae,
» teneatur abstinere, vel aliquem vi-
» tare ac interdictum ecclesiasticum
» observare, nisi sententia vel cen-
»,jsura huiusmodi fuerit in vel con-
» tra personam, collegium, universi-
» tatem, ecclesiam, communitatem
» aut locum certum vel certa a iu-*
v dice publicata vel denunciata spe-
V cialiter et expresse. Constitutioni-
y> bus Apostolicis et aliis in còntra-
* rium facientibus non obstantibus
n quibuscumque: salvo, si quem pro
7i sacrilegio et manuum iniectionc
n in Clerum, sententiam latam a
7i canone adeo notorie constiterit
Ti incidisse , quod factum non pos-
7i sit aliqua tergiversatione celari,
TI nec aliquo iuris suffragio excusa-
7i ri. Nam a communione illius, li-
7i cet denunciatus non fuerit, volu-
7> mus abstineri iuxta canonicas san-
7i ctiones. *rr*

Haec Constitutio repetita fuit in Conciliábulo Basileensi cum moderamine: ea enim legitur *apud eundem Harduinum tom. 8. col. 4494* in sess. 20. c. 2 sub titulo *de excommunicatis non vitandis certo modo non vocatis:* verba Constitutionis sunt fere eadem, sed tamen ita clauditur Constitutio post verba: *a iudice publicata vel denunciata specialiter aut expresse: a* aut si aliquem ita noto-
fi rie excommunicationis sententiam
n constitit incidisse, quod nulla pos-
77 sit tergiversatione celari aut aliquo
7i modo iuris suffragio excusari. Nam
*r** a communione illius abstineri vult
n (synodus) iuxta canonicas sanctio-
7i nes. Per hoc tamen huiusmodi
ri excommunicatos, suspensos, inter-
7> dictos seu prohibitos non intendit

» in aliquo relevare nec eis quomo-» dolibet suffragari. »

Sed nihil esset, si eiusmodi Constitutionis moderamen contineretur tantum in actis Conciliabuli Basileensis: sed eadem clausula fuit repetita in Concilio Lateranensi V sess. 11 § *Statuimus autem* sub Leone X celebrato.

Sed quamvis Constitutio Constantiensis multas vicissitudines subierit; sive quod parum evulgata fuerit, sive quod variis restrictionibus aliqui eam coercerent; sive quod auctoritate fuerit temperata, prout videri potest apud Fagnanum in *c. Cum a Praedecessore, de Schismaticis;* tamen adeo praevaluit, ut paullatim non amplius dubitatum fuerit, eam quoad suam omnem extensionem vim novi iuris habere, de qua re conferri potest Benedictus XIV in opere *de Synodo dioecesana I. 42 c. 5. n.* 4. in quo pontifex adhuc sua aetate miratus est, quod Martini V Constitutio non reperietur inserta in actis Conciliorum, quae ipse consuluerat. Extabat tamen apud Harduinum ut notavit cl. P. Ballerini in *Compendio Theol. Moralis* P. *Gury T. 2 de censur. c. 2* § *4'.*

itaque per Constitutionem Martini V factum est, ut excommunicatio et reliquae censurae *latae sententiae*, coram Ecclesia seu in foro externo, converterentur quodammodo in censuras *ferendae sententiae,* si excipias sacrilegos, undequaque notorios, percussores Clericorum (I).

Dixi coram Ecclesia seu, quod idem est, quoad forum externum: namque in foro interno censura latae sententiae, quoties incursa fuerit, suos servat effectus iuxta ea quae traduntur in *can. 6 causa 24 quaest. /* his verbis: *a Utique quae in terra ligantur, in caelo ligantur, et quae solvuntur in terra, solvuntur in caelo: quia quum excommunicat Ecclesia in caelo ligatur excommunicatus: quum reconciliat Ecclesia in cáelo solvitur reconciliatus, n*

Dixi censuras latae sententiae *quodammodo* conversas esse in fofo externo in censuras ferendae sententiae: namque discrimen manet: censura enim ferendae sententiae in foro interno et extefno incurritur cum ipsa et per ipsam Iudicis, qui eam infligit condemnatoriam sententiam, praemissis iure praemittendis: dum e converso censura in foro interno contracta, ut omnes habeat effectus in foro externo, non aliud exigit nisi sententiam declaratoriam, qua Iudex declaret hanc vel illam individuam

(1) Eiusmodi exceptio facta a Martino V, ut Sdeles, vi ecclesiasticae legis, evitare tenerentur in civili consortio et in rebus divinis notorios Clericorum percussores quin Iii ab auctoritate specialiter denunciarentur, iam videtur in desuetudinem abiisse. Neque haec exceptio in consideratione habita est in Constitutione *Apostolicae Sedis,* de qua agimus; locus enim opportunus indicandi eiusmodi exceptionem erant Articuli, qui agunt de censuris inflictis illis, qui communicant cum excontamnicatis nominatis, praesertim vero in Articulo XVII, quem habes *pag. 28,* vel in Articulo II, *pag. 49.*

personam in censuram iure inflictam incidisse; cum qua sententia obligatio oritur in fidelibus excommunicatas personas denunciatas evitandi tum in rebus civilibus tum in rebus divinis. Et ad res divinas quod attinet subintrant Articuli XVII et II, quorum primus habes *pag. 28*, alter *pag. 49*, iuxta casus de quibus agunt.

Haec Martini V Constitutio, ut apparet, non in favorem excommunicatorum facta est, sed in favorem fidelium, ne evitare tenerentur excommunicatos nominatim non denunciatos. Quamobrem licet aliquis certissimum habeat, et sit undequaque notorium, aliquem facto suo excommunicationem contraxisse, eum tamen nec in civili consortio nec in divinis evitare tenetur vi ecclesiasticae legis: potest tamen evitare et sacramenta denegare, quin excommunicatus iure conqueri possit. Imo dari possunt adiuncta in quibus evitare debeat ex naturali obligatione ob periculum perversionis vel scandali, vel in divinis ex evangelica admonitione, *Nolite Sanctum dare canibus: Nolite proiicere margaritas ante porcos.*

Eadem Constitutio, ut mihi videtur, non agit de apostatis, haereticis et schismaticis notoriis: sed tantum de excommunicatione et aliis censuris ipso facto inflictis ob alia crimina; quod eruitur ex variis indiciis eiusdem Constitutionis, quae heic indicare non iuvat. Usu enim intellecta est de omnibus, qui quavis de causa essent ipso facto censura mulctatis, sive haeretici, sive non haeretici: quos ideo nemo vitare tenetur vi ecclesiasticae legis si non fuerint nominatim ab auctoritate denunciati. Tenebitur autem quisque haereticos, aliosve eiusdem furfuris, sibi notos evitare ex praecepto Apostolico, *haereticum hominem devita*, qui, quum sit suo iudicio damnatus, eorum conversatio summo periculo perversionis est homini fideli, nihilque commune illi qui absolute notorii sint, habere debent cum Ecclesia a cuius fide vel auctoritate discesserunt, neque ecclesiasticam sepulturam; quod et vetitum est positiva ecclesiastica lege, atque ita ut qui cogant eos sepelire in sacro loco, excommunicatione mulctentur, ut in Articulo *I pag. 32.*

Hic mihi accidit opportunissima epistola, quam SSnius Dominus Noster scripsit ad Emum Card^ Urbis Vicarium, cuius epistolae notitiam habui, quum huc scribendo pervenisse m.

Doellinger publicus haereticus, auctoritatem negans infallibilis magisterii Romani Pontificis, iam auctoritate ordinaria Archiepiscopi Monachiensis haereticus declaratus, ideoque *vi quoque ecclesiasticae legis* tum in civili consortio tum in divinis vitandus, consueto haereticorum more proselites sibi facere studuit, ut in sua iniquitate contra catholicam Ecclesiam consurgeret. Atque, ut semper evenit, non defuerunt qui sponte eius errori adhaererent. Quod contigit quoque in Universitate Roma-

na, in qua ab apostatis a fide, qui Romam irruerunt post facinus diei 20 Septembris 1870, quaedam propositiones fuerunt conscriptae omnino acatholicae sub ementito nomine Romanae Universitatis, ac conquisita fuerunt subscribendum nomina, ut exhiberentur tamquam actus adhaesionis haeresi Döellingerianae: fatendum tamen eas propositiones adeo acatholicas fuisse, ut fortasse neque ipse haereticus Doellinger subscripsisset.

Nihilominus non defuerunt inter ceteros sex vel septem e veteribus laicis magistris, rerum naturalium peritis, neque tamen alicuius famae, qui invitati sua nomina subscribere eademque ceteris apostatarum nominibus interserere non detrectarunt: fortasse, ut aliquid laudis sibi publice compararent: puto enim neque omnes gravissimos errores, sub verbis non explicitis earum propositionum contectos, idoneos fuisse intelligere.

Sed satis fuit adhaesionis actus haereticae illi causae, solemnitate quadam conscriptus, ut sese publice patefacerent ab Ecclesia catholica segregatosi quod si nonnulli tales esse nolint, corrigant quantocius erratum.

Itaque SSmus Pater iuventuti instituendae consulens in epistola quam dixi, commemorat dictum Apostolicum naturale praeceptum *catholicos, qui catholici esse cessarunt, esse a catholicis vitandos,* illud praeceptum ad factum de quo agitur applicans, aperte declarat, *non licere prorsus iuvenes auditores se illis praebere, eorumque excipere institutionem:* abstinuit ab eis apostatis nominandis , quum iam satis essent notorii; neque opus erat eos nominare ad effectum obtinendum, quem SSmus Pater obtinere intellexit, quemque profecto splendide obtinuit. Deserti enim Magistri illi manserunt a catholica iuventute, qua fere integrum auditorium constabat: immo et amplius quoque obtinuit; romanae enim nobilesque familiae, quibus illi vel diuturna consuetudine , sibi quoque utilissima, erant devincti, vel quibus artem medicam suppeditabant, ianuas domus eiusmodi viris obserarunt. Adeo valent ecclesiasticae censurae, publicae societati quodammodo absconditae , quando auctoritatis voce aliqua ratione vivificentur!

Epistola autem tenoris est, qui sequitur :

Venerabili Fratri Nostro Constantino S. R. E. Cardinali Patrizi Episcopo Ostiensi et Veliterno Sacri Cardinalium Collegii Decano, Vicario Nostro Generali in spiritualibus Romae eiusque districtus.

PIUS PP. IX.

« Venerabilis Frater Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. Res maximi plane momenti, Venerabilis Frater Noster, postulat, rogari te a Nobis atque excitari, ut opera studioque tuo extenuare contendas, aut etiam, si fieri possit,

amoliri a iuventute nostra studiosa periculum exitu ei parati. Litteris sane manu Nostra datis non semel monueramus aliquem e populorum moderatoribus, ut usi auctoritate desuper eis commissa, memoresque muneris sui tuendae civilis societatis ab incredulitate, peste omnium perniciosissima, arcerent a Magistrorum subsclliis homines, qui non solum omnia despicerent officia religionis, sed odio eius açjti, spirituque vere satanico, eandem carperent, traducerent, oppugnarent. Irrita tamen fuerunt monita Nostra : siquidem veri tum est, aut non libuit opponere murum aeneum monstri progressui; licuitque propterea iuveniles animos perversis vitiare doctrinis, et per calumniosa , versuta, impudentissima commenta , in fidem , religionem , Ecclesiam, sacros ritus , eorumque administros ac sanctiora quaeque concitare. Nonnulli vero e caecis istis et perditis caecorum ducibus, ad exacerbanda mala Nostra , huc etiam per diruta Urbis moenia sunt advecti; quibus perpauci e veteribus variarum disciplinarum professoribus, abiectissimi sane ingenii, versipelles et cuiusvis grati animi sensus expertes accesserunt, qui retusis conscientiae stimulis, omnique posthabito religioso respectu, ultro se signum constituerunt irae Dei, cui severissimam reddituri sunt rationem malorum, quae fecerunt in Ierusa lem. Eorum autem omnium impiae mentis dctestabilisque Joclrinac specimen habetur indubium in iis, quas ad Doellingerum dederunt, litteris errore, blasphemiis, incredulitate scatentibus. Equidem, Venerabilis Frater Noster, zizania perfecte non secernentur a frumento ante magnam illam diem, in qua Dominus tempus accipiens iustitias iudicabit. Verum expedit, ut citius innotescat universis, eos, qui nomina sua scelestis litteris adscripserunt, catholicos esse desiisse, adeoque vitandos esse a catholicis. Nos quidem et pro iis oramus, ut in se reversi recedant a tenebricosa inferorum doctrina; eaque damnantes quae sunt professi, verbo et exemplo submovere nitantur scandalum a se proximis obiectum. Interim vero, Venerabilis Frater Noster, tu Parochos omnes istius Metropolis Orbis catholici moneto, eorum esse officii, nullam negligere occasionem suadendi iuvenibus curae suae creditis, non licere prorsus auditores se illis praebere, eorumque excipere institutionem, qui nefariis litteris subscripserunt; quorum nomina cum publicae nunciaverint ephemerides, recensenda non ducimus. Utinam solicitudo Nostra zelo adiuta tuo, et piorum huius Urbis Parochorum, sistat irrumpentis incredulitatis impetum, multosque ex adolescentibus a barathro retrahat impietatis, in quod compelluntur. Id enixe poscimus a Deo: cuius favoris auspicem, simulque testem praeci-

puae benevolentiae tibi, Venerabiiis Frater Noster, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus (1).

» Datum Romae apud S. Petrum die 15 Maii Anno 1871. Pontificatus Nostri Anno Vicesimoquinto.»

DE DISCRIMINE INTER EXCOMMUNICATOS OB APOSTASIAM A FIDE OB HAERESIM VEL SCHISMA, ET INTER EXCOMMUNICATOS OB ALIA CRIMINA.

Iam superius attigimus discrimen quod intercedit inter primum et alterum excommunicatarum genus.

Qui crimen apostasiae a fide catholica consummavit, puta , quia deliberata voluntate transierit ad professionem alicuius superstitionis sive Iudaeorum sive Mahometanorum ; sive quia Ecclesiam derelinquens formali actu se satanae tradiderit; sive quia immutabili Ecclesiae fide derelicta, sequatur spiritismum; sive quia neget vel repudiet obfirmato animo Divinam Revelationem , uti faciunt, qui rationalismum, naturalismum, atheismum profitentur: hi omnes, crimen apostasiae manifeste consummantes, nullum titulum habent quo catholicos aliqua ratione iactare possint ; ideoque se ipsos agnoscant oportet ab Ecclesia extorres, proindeque excommunicatos.

Eiusmodi desertores Ecclesia da-

(1) Hae sunt litterae, quas Parochis Urbis dedit Eminentissimus Card. Vicarius iuxta mandatum in Epistola'SSmi Patris contentum.

u 1 nemici di Dio e delia Chiesa, che in questi calamitosi tempi cercano di diffondere l'eresia e l'incredulità in ogni classe della umana famiglia, vanno in ispecial modo prendendo di mira la povera gioventù, siccome quella, che di natura pieghevole e meno esperta, può essere più facilmente tratta in inganno a meglio servire agli empì loro disegni. Conoscendo eglino quanto nell'animo de' giovani possa l'esempio, massime se di coloro che ne sono dati a maestri nell' apprendere le arti e le scienze, non cessano di encomiare perchè venga da essi imitato il fatto di que' pochi Professori, che in Koma testé aderirono ad eretiche dottrine in onta alla Chiesa.

» Per la qual cosa la Santità di N. S. profondamente commossa alla vista del pericolo di sovversione che sovraàta alla studiosa gioventù per parte di quelli, i quali si fanno a lei guida nella scienza dopo aver deviato dalla fede, ha elevato la sua Apostolica voce per ammonirli del commesso fallo e de' divini gastighi che gli attendono , quante volte non si avvedano, e non riparino lo scandalo dato a'loro prossimi. A quest'intento la stessa Santità Sua si è degnata dirigerci un suo venerato Autografo in data del 15 corrente Maggio, di cui trasmettiamo copia a' ER. Parrochi di quest'alma Città, col quale Ci ordina di esortarli a raddoppiare lo zelo e l'impegno per salvare dal baratro dell'empietà i giovani studenti alla loro cura affidati.

» Si adoperino pertanto i EE. Parrochi colla parola, in pubblico ed in privato , a fine di distòili dall'ascoltare le lezioni di maestri che hanno fatto naufragio nella fede. Imperciocché se per avviso dell'Apostolo debbono i Cattolici evitare gli eretici, onde non essere pervertiti, quanto più dovranno ciò praticare, quando si tratti d'insegnanti che col pretesto della scienza potrebbero più facilmente istillare nell' animo de' loro allievi il veleno dell' incredulità?

» Ricordino finalmente a' giovinetti che il principio della sapienza è il timore di Dio, e che vera scienza non può mai esser quella, che osteggia i dommi della Cattolica Religione.»

Dalla Nostra Residenza li 17 Maggio 1871.

COSTANTINO Card. VICARIO

mnat, anathematizat, execratur *per modum habitus,* quin opus sit ut aliqua allegetur lex vel canon, qui eos anathematizet, vel aliqua agatur causa ut damnentur. Non enim opus est ut agatur causa fidei, quum ipsi negare non possint superstitionem suam deposito fidei, quod catholica Ecclesia inviolabiliter custodit, non adversari: neque opus est, ut agatur causa facti, quum de iis loquamur, qui apostasiam manifeste consumrnaverint.

Hi itaque omnes et se ab Ecclesia abscindunt, et e converso Ecclesia tamquam abscissos per modum habitus considerat, ut semper consideravit: *Exierunt ex nobis: nec Ave eis dixeritis.* Quin immo gravissima est de his, ut ego existimo, Apostoli sententia *epist, ad Hebr. c. 6,4 et seqq. u Impossibile est enim* (idest summa est difficultas), *eos, qui semel svnt illuminati* (per susceptum Baptismum et fidem) *gustaverunt etiam donum caeleste* (augustissimae Eucharistiae) *et participes facti sunt Spiritus sancti* (per sacrum chrisma et alia sacramenta) ; *gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum virtutesque saeculi venturi* (per doctrinam fidei) ET PROLAPSI SUNT (redeuntes ad hebraismum vel gentilitatem) *rursus renovari ad poenitentiam* (non ex parte Ecclesiae, sed, Deo sic disponente, ex eorum obdurato animo ob apertum apostasiae crimen) *rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Det et ostentui habentes* (sibimetipsis quidem , quia ex membris Christi evaserunt membra Antichristi, Christum adversa fronte repudiantes) : *terra enim saepe venientem super se bibens imbrem, et generans herbam opportunam illis a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo* (quam benedictionem per caelestem imbrem ipsi non suscipiunt ob obduratam cordis sui terram): *proferens autem spinas ac tribulos* (quorum tantum eorum terra idonea per apostasiam evasit) *reproba est, et maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem. r>*

Ad hoc apostatarum genus pertinent quoque aetate nostra multiplices sectae vario nomine nuncupatae, quas nec valeas concipere quid reapse sint, nisi concipias eorum coryphaeos et duces, quorum pectora et mentes diabolus obsedit (ut supra vidimus pag. 80 dixisse Cyprianum), Antichristi vexillum manu gestare.

Qui aliquem articulum fidei pertinaciter neget, idest articulum, qui ab Ecclesia vel ab eius Capite propositus fuerit de fide credendus , suamque manifestet pertinaciam, erit coram Ecclesia haereticus.

Haeretici natura criminis se separant ab unitate tantum fidei: ideoque praetendere possunt ad Ecclesiae communionem se pertinere, neque se esse ab Ecclesia segregatos, quamquam non teneant omnem Ecclesiae fidem : hos etiam catholica Ecclesia *per modum habitus,* ut iam fidimus , semper damnavit atque execrata est, ita at sufficeret nota haereseos, ut censerentur ab Eccle-

sia extorres et consequenter com munione privati. Hi quoad poenas habui quoque sunt seniper eodem censu ac apostatae a fide: in hoc discreparunt, ut magis Ecclesiam conturbaverint, quum in Ecclesia esse praetenderent (1). Sed e converso Ecclesia, iuxta Apostoli monitum *ad Galatas 4, 8,* semper fideles docuit: *Sed licet nos, aut Angelus de caelo evangelizet vobis praeter quam quod evangelizavimus vobis, anathema sis. i>*

Et ad *11. Timo th. 2, 46 et seqq. « Profana autem et vaniloquia devita: multum enim proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer serpit, ex quibus est Hymenaeus et Philetus, qui a veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse iam faetam et subvertunt quorundam fidem, v* De quo Hymenaeo et quodam Alexandro iam Apostolus scripserat in *I. ad Timoth. c. 4, 49 et 20: u Habens fidem et bonam conscientiam,*

(Xi Constat ex historia haereseon quantum semper adlaboraverit Apostolica Sedes, praesertim prioribus Ecclesiae saeculis, ad conterendas haereses et expellendos haereticos: praeclarae de his rebus sunt Epistolae S. Leonis Magni. Pulchrum est quoque videre quam facile haeretici appellarent ad Apostolicam Sedem contra sententias in ipsos latas ab Episcopis et quam facile expeterent Sanctae Sedis definitivum iudicium, ita ut si aliquid possent sui favore a S. Sede extorquere eo ipso plenam victoriam in suis erroribus referre putarent. Nec infrequenter primi erant haeretici ad S. Sedem appellare, ut se aliqua ratione munirent, quamquam denique per iudicium S. Sedis profligati iacere cogerentur. Factum appellationum haereticorum ad Romanam Cathedram pro sua doctrina firmanda, mihi est validissimum argumentum ex traditione desumptum, quod ostendat, a primis Ecclesiae saeculis firmissimam et universalem persuasionem fuisse, sententiam Romanae Cathedrae irreformabilem esse, cui omnes fideles et Pastores et ipsi haeretici acquiescere tenerentur.

In ipsa Cypriani epistola ad Cornelium, quam superius commemoravi, in qua, columna illa Africanae ecclesiae hortatione sua excitaverat eundem suffraganeum Episcopum Cornelium ad firmitatem adversus Felicissimi schisma, haec quoque enarrantur: « Quibus *(schi- » smaticis et haereticis)* etiam satis non fuit ab Evangelio recessisse, spem lapsis et satisfactionis et poenitentiae sustulisse, fraudibus involutos vel adulteriis commaculatos , vel * Sacrificiorum funesta contagione pollutos, ne Deum rogarent, ne in Ecclesia exomologesin » criminum facerent ab omni et sensu et fructu poenitentiae removisse, nisi foris sibi extra « Ecclesiam et contra Ecclesiam sibi constituissent conventiculum perditae factionis cum « anale sibi consociorum et Deum rogare ac satisfacere nolentium caterva confluеret. *Post » ista adhuc insuper, pseudoepiscopo sibi ah haereticis constituto navigare audent, et » ad Petri cathedram atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta » est, a schismaticis et 'profanis litteras ferre: nec cogitare eos esse Romanos (quorum » fides Apostolo praedicante laudata est) ad qioos perfidia habere non possit accessum.»* Videtur loqui Cyprianus non de Romano Pontifice, sed de Clero ; namque quo tempore navigarunt schismatici illi et haeretici Romana Ecclesia vacans videtur fuisse ob decessum Fabiani R. Pontificis, quod erui potest ex epistola 31 Cleri Romani ad Cyprianum, in qua legitur: « post excessum nobilissimae memoriae viri Fabiani, *nondum est Episcopus,* pro- » pter rerum et temporum difficultates constitutus qui omnia ista moderetur, et eorum qui » lapsi sunt, possit cum auctoritate et consilio habere rationem.» Epistola 30 Romani Cleri haec ad Cyprianum scripta continet: « Quod autem pertinet ad Privatum Lambesitanum pro «tuo more fecisti, qui rem nobis sollicitam nunciare voluisti: omnes enim nos decet pro » corpore totius Ecclesiae, cuius per varias quasque provincias membra digesta sunt, excu- » bare : *sed nos etiam ante litteras tuas fraus callidi hominis latere non potuit : nam » cum antehac quidam ex ipsius nequitiae cohorte venisset vexillarius Privati* Chic vexil- » larius erat Felicissimus) *et f urto ac fraudulenter litteras a nobis elicere curaret; nec quii » esset, latuit, nec litteras, quas volebat, accepit.')*

quam quídam repellentes, circa fidem naufragaverunt, ex quibus est Hymenaeus et Alexander, quos tradidi Satanae, ut discant non blasphemare (1). »

Item *II. Timoth. c.* 4 *v. 44: u Alexander aerarius multa mala mihi ostendit, reddet illi Dominus secundum opera eius, quem et tu devita; valde enim restitit verbis nostris.* » Quod verbum *devitare*, ostendit, iam ab Ecclesia esse eum extorrem per manifestam haeresim; ideoque, iuxta Cypriani dicendi rationem, iam eum esse *abstentum communione,* seu iam esse excommunicatum.

Atque generatim *ad Titum c. 3, 40:* « *Haereticum hominem* (inquit) *post unam et secundam correptionem devita, sciens, quia subversus est, qui eiusmodi est, et delinquit, cum sit proprio iudicio damnatus.* » Quasi enim Paulus diceret: postquam haereticum hominem semel vel bis corripueris, eum devita; nam quum nihil ex correptione ipse profecerit, ex navi salutis iam subversus est et naufragium fecit, neque opus est, ut eum damnes cum iam sit proprio iudicio damnatus: nec tamen delinquere cessat, cuius sermo tamquam cancer serpit; ideoque tam longe ab eo sis, quam ipse ab Ecclesia discessit.

Qui catholicam fidem non denegent, sed se abscindant ab Eccie' siae corpore vel se abscindant immediate ab obedientia Romani Pontificis, legitimi Beati Petri successoris, sunt schismatici.

Schisma est quoddam crimen, quod dici potest *reale,* quia eius malitia in re consistit, idest *in abscissione* a corpore Ecclesiae contra divinam dispositionem, quae exclusivam unitatem Ecclesiae voluit per unicum universalem visibilis Ecclesiae Pastorem, a quo totus Christi grex pasci debet; per unicum fundamentum, cui tota inniti debet. Ideoque quidquid mente cogitaverint qui se ab Ecclesiae corpore vel immediate a Romano Pontifice abscindant, erunt semper schismatici.

Formale schisma incipere solet cum aliqua rebellione contra auctoritatem legitimorum Ecclesiae Praesulum, quae rebellio denique convertitur in Ecclesiae Caput, si non statim contra ipsum Caput incipiat.

Praecipuum criterium ad cognoscendum formale schisma est videre, utrum qui schismatici dicuntur, re et effectu studeant excutere iugum supremi regiminis Romani Pontificis. Namque hoc gravissimum crimen facile confundi potest cum simplici inobedientia, quae non est schisma nisi supremum gradum obtinuerit, quo re et affectu abscissio, subtracto, recessio sequatur, ob quam

(1) Quamquam haec traditio, quam Apostolis Satanae faciebat, sive haeretici hominis sive publici peccatoris, ut erat incestuosus Corinthius, sit certissimum signum excommunicationis, non tamen in hac traditione, quae fiebat ad interitum carnis, consistebat excommunicatio; haec enim traditio Satanae, qua Apostolus utebatur, mihi videtur fuisse temporalis poena, ope Satanae inflicta, ut contumacia efficacius frangeretur in aliorum quoque exemplum.

abscissionem inobedientes se habeant solutos a suprema Romani Pontificis auctoritate divinitus constituta.

Haec abscissio est primum essentiale schismatis elementum, cui alterum, veluti ad schismatis integritatem pertinens, subsequitur, quod est actus, quo schismatici sibi arrogant auctoritatem a Romano Pontifice independentem, et ita erigentes se in auctoritatem, novas constituunt ecclesias, conventícula faciunt, de rebus Ecclesiae disponunt ad similitudinem supremae independentis auctoritatis. In his duobus elementis, quod primum *essentiale* dices , alterum *integrale,* schisma undequaque perfectum consistit (I).

Quum autem Christi Domini Ecclesia ita sit *una*, unitate fidei et communionis seu regiminis, ut simul ex divina dispositione sit *unica* ob unicum constitutum totius aedificii fundamentum, quod est cathedra Petri, eiusque legitimorum Successorum; numquam potuit Ecclesia eiusmodi schismaticos tamquam a se abscissos non habere, quin ipsa unica Christi Domini Ecclesia esse -cessaret'*

Quare eiusmodi schismatici *tonsiderati* semper fuerunt ab Ecclesia extorres, et *per modum habitus* communione quavis privati, quamquam nihil umquam omisit Apostolica Sedes, ut in sinum suum eos revocaret, qui, primo furore cessante, diuturna quiete sua in somno mortis marcescunt.

De his praeclara sunt Cypriani verba, quae superius retuli pag. 79: *u Deus unus est et Christus unus et una Ecclesia et Cathedra una super Petrum Domini voce fundata. Aliud Altare constitui, aut Sacerdotium novum fieri praeter unum Altare et unum Sacerdotium non potest. Quis¿ quis alibi collegerit, spargit. Adidterum est, impium est, sacrilegum est, quodcumque humano furore instituitur, ut dispositio ¡divina violetur. Procul ab huiusmodi hominum contagione discedite r> etc.*

(1) Hisce consideratis plenius intelligitur articulus III Constitutionis, quem habes pag. iJ, his verbis: *Schismaticos et eos, qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt vel recedunt.* » Ad schisma perfectum pertinent primi, qui veniunt sub verbo *Schismaticos,* cum quibus utrumque elementum cohaeret: ad schisma autem non undequaque perfectum pertinent secundi, qui pertinaciter se subtrahunt vei recedunt ab obedientia Romani Pontificis pro tempore existentis, cum quibus cohaeret primum et essentiale schismatis elementum. Ex. gr. schismatici illi Armenii, qui nostris hisce diebus exorti sunt, in praesentia schisma undequaque perfectum patrarunt, ut aperte constat ex iis quae narrantur in litteris Apostolicis, quas retuli in Latinis ephemeridibus *Vol. VI pag. 274* ë. *Profecto et seqq.* Imperfectum autem adhuc dici poterat schisma, ante ea facta quae in eodem paragrapho enarrantur: pertinaciter enim tantum recesserant ab obedientia R. Pontificis; aderat videlicet elementum essentiale schismatis, deerat autem elementum integrale. Nihil interest, quod se tamquam catholicos iactent fidelesque et obedientes se dicant Romano Pontifici, vel etiam nonnullos obsequii actus faciant: ut enim superius notavi, schisma est quoddam crimen quod in re consistit in abscissione reali a corpore Ecclesiae: quidquid verbis dicant aut mente cogitent, factis apertis recesserunt ab obedientia Romani Pontificis et in auctoritatem non demandatam, sed immo expresse negatam, semet erexerunt, in quibus elementis consistit perfectum schisma, idest discessio corporis Ecclesiae contra divinam dispositionem.

In his omnibus hactenus recensitis criminibus dixi, Ecclesiam eorum manifestos auctores damnare^ repudiare, execrari, anathematizare *per modum habitus,* ne scilicet putetur, aliquod fuisse tempus, quo Ecclesia damnare et anathematizare eiusmodi homines inceperit; quasi vero haec damnatio et anathematizatio pertineat ad mutabilem disciplinam, ita ut tempore aliquo eos damnaverit, alio vero tempore non damnaverit: haec enim hominum damnatio, ob naturam criminum divinae Ecclesiae constitutioni e fronte adversarium, cum Ecclesia incepit, perseveravit, et usque ad consummationem saeculi perseverabit.

Videri possent non bene loqui de hac re aliqui Auctores, qui dum quaerunt ex. gr. an haeretici, qui suam haeresim exterius protulerint, sint excommunicati: respondent quidem affirmative, sed id probant allegantes *can. Acutius 24 quaest. 4, cap. Ad abolendam,* et *cap. Excommunicamus, de Haereticis,* et *Bullam coenae*, in qua praeterea excommunicatio Romano Pontifici reservatur. Quasi vero, antequam eiusmodi canones vel capita iuris ederentur, haeretici excommunicati non essent. Eo magis, quod si haeretici excommunicati censendi tantum essent vi horum canonum, nec difficile esset ostendere (si rigore aliquo expenderentur, ut fieri solet quando de poenis agitur), eos canones comprehendere tantum quoddam haereticorum genus, et non omnes; et ad Bullam coenae quod attinet, eam non in omnibus catholici Orbis partibus in usu et vigore fuisse.

Sed tamen eiusmodi Auctores facile excusantur ex eo quod initio Appendicis I adnotavi: idest identidem allegari quaedam iuris capita, in quibus non continetur id quod velit ostendi, quae tamen quum commémorent aliquod traditionale principium quod sine controversia est, non inutiliter allegantur. Et hac it) re repeti opportune posset, quod praeclare animadvertit Melchior Canus loquens de Apostatis a fide, cuius verba retuli pag. 67.

Ex animadversionibus hactenus factis evidenter apparet discrimen quod intercedit inter excommunicationem in apostatas, haereticos et schismaticos latam et inter eam quae infertur in alios peccatores. Ceteri enim peccatores natura suorum criminum non se separant ab unitate Ecclesiae sive fidei sive communionis; manent enim in corpore Ecclesiae tamquam membra vita carentia, quae vivificatione indigent; loquor enim de iis qui graviter peccaverint et in peccato perseverent ; sunt tamen membra Ecclesiae.

Excommunicatio in primos cohaeret cum criminis natura, quo crimine manifeste implicatos, Ecclesia uti sua membra complecti non potest: excommunicatio in alios tota pendet a voluntate auctoritatis, seu a positiva Ecclesiae lege. Illa insequitur recedentes, vel ipsis invitis per suam sententiam recessionem

perficit, ne ipsa subvertatur Ecclesia: haec removere solet mala membra ut sanentur. Illa supponit vel declarat ab Ecclesia extorres, et per consequens Ecclesiae bonis privatos: haec tantum privat eisdem bonis: ideoque illi cessant esse catholici; hi vero catholici manent, quamquam, ob privationem consortii bonorum, tamquam non catholici habeantur. Illa in expulsione et bonorum privatione non admittit limites et gradus: haec gradus saltem olim admisit, ita ut nec omnibus Ecclesiae bonis semper privaverit, nec semper supponeret grave peccatum: unde distinctio quoque orta erat inter maiorem et minorem excommunicationem. Tota traditio clamat, apostatas, haereticos, schismaticos fugiendos esse non tantum in divinis, sed etiam in civili consortio; e converso non pari rigore legitur constitutum fuisse de ceteris, quamquam et hi in divinis semper essent vitandi.

DE DISCRIMINE INTER EXCOMMUNICATOS VITANDOS ET TOLERATOS.

Qui excommunicationem inflictam contrahunt ob quodcumque grave crimen poena excommunicationis punitum, iure seu facultate privantur participandi Ecclesiae bona quae fidelibus sunt communia, ut superius vidimus. Ecclesia enim est medium, per quod coelestia dona, ex largitalo divina hominibus facta, hominibus communicantur. In sua potestate proinde est, denegare ius illud fidelibus, quod ratione Baptismi sibi competit: id Ecclesia satis ostendit negando se et bona sibi commissa, homini baptizato, quasi christianus non esset, donec resipiscat.

Dum agitur de excommunicatis, qui dicuntur vitandi, idest de iis, qui fuerint nominatim denunciati, Ecclesia se negat eisdem suaque bona quorum administratrix est: idest se negat in civili consortio, prohibens fidelibus communicationem cum iisdem; se negat in divinis, prohibens consortium fidelium cum excommunicatis in celebratione divinorum officiorum, in oratione, multoque magis in participatione sacramentorum. Haec prohibitio communicandi in divinis est primus ac praecipuus excommunicationis effectus coram Ecclesia, quod ex superius expositis documentis satis apparet, quodque facile posset confirmari ex iugi ecclesiastica traditione, afferendo plena manu canones êt documenta, quae sub gravibus quoque poenis eiusmodi communicationem prohibent.

Excommunicatis, qui dicuntur tolerati, qui videlicet non fuerint ab auctoritate denunciati, quamquam sint undequaque notorii, non se de^ negat Ecclesia in foro extento, idest non interdicit fidelibus civile consortium cum iisdem, nec prohibet communicationem cum eisdem in di» vinis. Prohibitum tamen utrumque semper manebit, quoties periculum adsit perversionis vel scandali* quae

prohibitio oritur ex naturali divino iure (1).

Unde haec distinctio, quae post Constitutionem Martini V invaluit, in hoc disciplinae ecclesiasticae capite talem mutationem induxit, ut coram Ecclesia, idest in foro externo, cum disparaissent effectus praecipui earum legum, quae excommunicationem ipso facto incurrendam san-

ci) Ob dictum perioulum perversionis vel scandali vel participationis in ritu haeretico aut schismatico S. Congregatio S. U. Inquisitionis saepius ad proposita sibi de hisce rebus dubia respondit, *non licere.* Expedit referre aliquod exemplum. Giraldi in suis adnotationibus quas interseruit in opere Thesauri *de Poenis, sub verbo Haeresis* hoc refert Decretum: « Feria V die 10 Maii 1758 in Congregatione generali S. E. et U. Inquisitionis S. Officii etc.

» Super dubiis propositis a quodam missionario civitatis Tenos in Peloponneso et a S. C. de Propaganda Eide ad S. Officium transmissis per eius E. P. D. Secretarium die 24 Martii eiusdem anni-: Sanctissimus, auditis votis Emorum, decrevit.

» Ad primum nempe: *An liceat catholicis latinis concedere vel permittere, ut in eorum ecclesiis celebrent Presbyteri graeci ritus, schismatici et haeretici, atque hos admittere in funeribus catholicorum defunctorum.* Quoad primam partem dicti dubii respondendum: *non licere:* maxime cum Patriarchae Constantinopolitani commemorationem faciant et festum celebrent infamis Palamas: id enim perinde est, ac consentire eorum haereticis ritibus et communicare cum eis in eorum Sacris, schismatico et haeretico farfare pollutis; aut saltem occasionem praebere catholicis ad latinas intervenientibus ecclesias communicandi cum haereticis in divinis rebus, aut ad minus scandalum concipiendi. Quo vero ad secundam partem eiusdem dubii, quatenus comitantes funera catholicorum, *meram praesentiam materialem* exhibeant causa honoris civilis erga defunctos, non se immiscentes precibus ac ritibus catholicis, quibus mos est funera offerre et defunctos ad sepulchrum deducere, *tolerari posse:* quatenus vero in illa functione *proprios ritus adhibeant vel nostris se immisceant, non licere, nec esse permittendum.*

» Ad secundum nempe: *An liceat catholicis Graeci ritus non habentibus catholicam ecclesiam eiusdem ritus, communicare in divinis cum graecis schismaticis et haereticis: non licere:* quia in casu proposito confugere possunt ad ecclesiam catholicam latinorum, et in defectu Sacerdotis catholici ritus Graeci a Sacerdotibus latinis sacramenta suscipere.

» Ad tertium, nempe : *An liceat Gonfessariis vel Sacerdotibus latinis administrare Sacramentum Poenitentiae Graecis catholicis, communicandus in divinis cum Graecis schismaticis: non licere extra casum extremae necessitatis.»*

Pro maiori vero instructione narrat Giraldius, missum quoque fuisse ad eundem missionarium id, quod scripserat Benedictus XIV in opere *d* tynod. dioeces. I. 3 c. 5,* ubi ex dictis causis, idest ob periculum perversionis in fide, vel participationis in crimine haeretico aut schismatico, vel scandali, concludit: *vix umquam accidere potest, ut in praxi sit innoxia catholicorum cum haereticis communicatio in divinis.* ,

Hanc tamen conclusionem intellige de iis catholicis, qui se immiscent in ritibus haereticorum vel schismaticorum, accedentes ad eorum templa, de quo casu loquitur Benedictus XIV; non vero de haereticis vel schismaticis, qui accedant ad templa et ritus catholicorum, quo in casu dici non potest *vix umquam accidere potest,* ut in praxi sit innoxia catholicorum cum haereticis communicatio in divinis. Idest commistio in ritibus haereticorum vel schismaticorum, qui conventícula sacra comminiscuntur, erit fere semper noxia iure naturali et divino; est enim quaedam participatio in crimine haeretico vel schismatico. Vicissim admissio haereticorum vel ' schismaticorum C qui iam separati ab Ecclesia sectam constituunt) in ritus catholicos, *quasi essent membra catholicae Ecclesiae,* pari iure est semper illicita et prava. Materialis vero admissio in templa Catholicorum et ad sacros catholicorum ritus permittitur post Constitutionem Martini V. Immo persaepe ipsis haereticis est ad salutem utilis, et catholicis prorsus indifferens. Hic usus Romae viget, ipso Summo Pontifice sacra publice faciente.

cirent, ipsae leges fere cessare visae sunt.

Quum tamen leges manerent quoad peccatorem tit antea, qui facultate manebat privatus participandi bona Ecclesiae, fere evenit, ut iudex de contracta censura manserit tantum ipse peccator et eius Confessarius, quando ad sacramentalem Confessionem accederet.

Sed praeterea eiusmodi leges, sive per mitissimas interpretationes in earum applicatione ad singula facta, sive per earum ignorationem, quae plerosque omnes invasit, disparuerunt non solum coram Ecclesia, sed etiam magna ex parte quoad ipsum peccatorem , ita ut multae censurae omnino cessare viderentur.

Quod provide perfecit Constitutio *Apostolicae Sedis* de qua agimus, elenchum tradens censurarum, quae in pleno vigore sint servandae, reliquas omnes abrogans. Celebres proinde manebunt in hac censurarum provincia duae Constitutiones, quarum prima Martini V, quae viam quodammodo stravit huic secundae.

Manente nihilominus distinctione inter excommunicatos vitandos et toleratos, ipsa excommunicatio iam in duplex genus distinguitur; namque licet intrinsece eadem sit; extrinsece tamen adeo est vis excommunicationis imminuta, quae voce auctoritatis per nominationem delinquentis non vivificetur, ut praecipuam suam externam efficaciam coram societate non amplius habeat. Quum itaque qualitas effectus adscribi soleat causae, habebimus excommunicationem *vitandam* quae est antiqua excommunicatio maior, et excommunicationem *toleraiam,* quae universim non cogit fideles, ut excommunicatos etiam notorios tamquam excommunicatos habeant.

DE APPLICATIONE CENSURAE EXCOMMUNICATIONIS INFLICTAE IN APOSTATAS A FIDE, HAERETICOS ET SCHISMATICOS SER CONSTITUTIONEM *Apostolicae Sedis.*

Articulus I. Constitutionis *Apostolicae Sedis,* quem habes *pag. 8* et articulus III *pag. 40* excommunicationem ipso facto infligunt apostatis, haereticis et schismaticis, eandemque Romanus Pontifex *speciali modo* sibi reservat.

Absque ullo dubio hanc censuram incurrunt ii omnes, quos supra consideravimus *pag. 93 et seq.* Namque egimus de apostatis, haereticis, et schismaticis notoriis.

Sed quum' de notoriis agitur, quaeri facile potest, utrum Ordinarii locorum, qui velint publice denunciare, per expressionem nominis, eos, qui duces saltem sint et coryphaei, ut vitandi evadant, teneantur praemittere admonitiones. Ratio dubitandi est, quia iam notorie constat eos esse excommunicatos, unde satis videretur declaratio, absque ulla praemonitione.

Respondeo. Si de iis agitur, qui non tantum sint notorii, sed praeterea contra ipsam catholicam Ee-

clesiam superba fronte iñsurgant, «eque apertos hostes manifestaverint, quaevis admonitio, non solum esset inutilis, sed in vilipendium auctoritatis admonentis facillime cederet: quibus in rebus nulla dignoscitur obligatio ex parte auctoritatis eos admonendi. Valeret enim illud quod superius ex S. Cypriano adnotavi pag. 82: videlicet hoc in casu denuntiatio et quaevis condemnatio esset Ecclesiae reactio, ut se apprime muniendo -et tuendo elideret schismaticorum vel haereticorum vel apostatarum actionem..

Si de aliis agitur, qui notorii quidem sint, de quibus tamen spes aliqua affligere posset, per monitionem et metum denunciationis, eorum pertinaciam fractum iri; praemittenda est aliqua admonitio , ut iudex omnino licite agat, qua non praemissa, valide tamen ageret: et sic nominatim denunciatus esset in omnibus vi ecclesiasticae legis vitandas.

Ratio est, quod notorius excommunicatus nullum ius habet ad hanc denunciationem repellendam : haec enim non alium producit effectum, quam ut fideles obligentur eum evitare, quem iam ipsi, licet non ex obligatione legis, potuissent evitare, quin notorius excommunicatus conqueri posset: ideoque, supposita notorietate facti,^sine ulla monitione valida esset denunciatio.

Attamen posset esse minus licita , si spes affulgeret, ipsum, per fractionem pertinaciae , esse denunciationem declinalurum. Nam-: que, licet verum sit, notorium excommunicatum conqueri ñon posse de denunciatione: tamen denunciatio talem mutationem rerum inducit coram Ecclesia et societate, ut terrorem in excommunicato facile possit concitare ad resipiscentiam : denunciatio enim in praesenti disciplinae ordine per se considerata producit omnes extrínsecos excommunicationis effectus, quasi esset nova et gravior excommunicatio, quemadmodum et christianus populus eam considerare solet. Quum autem excommunicatio soleat infligi ad frangendum pertinaciam: minus recte ageret, qui prius non experiretur, per aliquam monitionem, notorii excommunicati per'inaciam. Si excipias eiusmodi rectitudinem agendi, quae oritur ex officio charitatis aequitati canonicae conformi, ob graves effectus, quos denunciatio in praesenti disciplinae ordine producit, nihil ex ss. canonibus deprehendes, quod cpgat iudicem ordinarium ad praemittendam monitionem illi, qui iam notorie excommunicationem contraxerit; argumento sumpto ex *cap. 26 de Appell,* in quo Alexander III in Concilio Lateranensi haec decrevit: « *Praesenti Decreto statuimus, ut Praelati (nisi canonica commonitione praemissa) suspensionis vel excommunicationis sententiam proferant in, subiectos ; nisi forte talis sit culpa, quae ipso suo genere suspensionis vel excommunicationis poenam inducat.»*

Haec quae dixi vera sunt, sive agatur de excommunicato notorio haeretico vel schismatico, sive de quovis alio peccatore notorie ipso facto excommunicato, in quo spes aliqua resipiscentiae adsit. Quod si de haeretico agatur, in quo nec spes aliqua resipiscentiae adsit, vel non expediat ex aliqua publica causa ut moneatur, tenetur auctoritas eum publice denunciare, cum sit crimen non solum gravissimum, sed etiam Ecclesiae et saluti animarum perniciosissimum.

Quod si notorie non adeo constiterit, ita ut aliqua tergiversatione in foro externo excommunicatus possit excusari, puta quia agendo de haeretico non satis notoria sit fides ab Ecclesia proposita, vel non satis notorium sit factum, quod haereticus negaverit fidem, tunc necessarium est aliquod summarium iudicium, ut in luce ponatur, talem hominem haereticum esse, atque eo convicto vel confesso, si pertinax remanserit, uti haereticus denuncietur et poenis canonicis, quae applicabiles sint, subiiciatur oportet.

Quod si tantum ex summario iudicio constet quidem eum esse de haeresi suspectum, non tamen constet eum esse haereticum: tum iudex sub poena excommunicationis eum cogere saltem debet ut purget suspicionem iuxta exemplum quod superius attuli *pag. 86* ex S. Leone Magno. Atque ad haec invigilare tenentur Ordinarii, ut per se vel per suos Vicarios non obiter, sed serio et cum zelo visitent singulis annis suas dioeceses, et suspectos de fide perquirant iuxta *c.* /5 §. *Adiicimus de haereticis*. Quod tamen iuris caput refertur ad ea catholica loca, in quibus haeresis non dominetur.

Diversa autem est ratio, qua se habere debent Confessarii in foro interno. Namque in foro interno si ignorantia non excuset, haereticus illico est ille habendus atque proinde excommunicatus, qui haeresim exterius manifestaverit, quamquam manifestatio notoria non evaserit, nec possit in iudicio probari. Pertinax enim externatio haeresis coram uno vel altero homine illico proferentem excommunicatum ipso facto reddit: atque, externata pertinaciter haeresi, absolvi non potest a censura contracta, sine specialissima Romani Pontificis auctoritate.

Sed non inutilis hic quaestio moveri potest: videlicet, an haeretici vel apostatae notorii, antequam ab auctoritate denuncientur, inducant excommunicationem in alios, qui fuerint eorum credentes, receptatores, fautores vel defensores, qui legerint eorum libros haeresim propugnantes ceterosque.

Haec quaestio moveri potest ob Constitutionem Martini V, quae usu, ut ante uotavi, intellecta est de omnibus excommunicatis sive haereticis sive non haereticis.

Namque si quisque fidelium vi legis ecclesiasticae vitare non tenetur nisi quem auctoritas specialiter et expresse denunciaverit, nec vide-

tur in dictas censuras incidere quas haeretici inducunt: quum fideles eos ut haereticos habere vi ecclesiasticae legis non teneantur : ideoque quum eorum credentes, receptores, fautores, defensores, vel legentes eorum libros haeresim vel apostasiam propugnantes, per huiusmodi actiones non evadant necessario haeretici vel apostatae, non videntur in dictas censuras ecclesiastica auctoritate inflictas,..incidere.

Eo magis quod, inspecta Constitutione *Apostolicae Sedis* de qua agimus, in ea reperiuntur gravia indicia, quibus Pontifex significare visus est, nonnisi denunciatos haereticos eam excommunicationem in alios inducere: namque in articulo I *pag. 32,* in quo Pontifex voluit, ut notorii haeretici excommunicationem in alios inducerent, id expresse declaravit per verba: « *Mandanti tes seu cogentes tradi ecclesiasticae » sepulturae haereticos notorios,* aut » nominatim excommunicatos vel in- » terdictos. »

Item in articulo VI *pag. 46* legitur : « Suspensionem ab Ordine » suscepto ipso iure incurrunt, qui » eundem Ordinem recipere prae- » sumpserunt ab excommunicato vel » suspenso vel interdicto nominatim » denunciatis, *aut ab haeretico vel » sèhìsmatico notorio* etc.»

Quare ubi id Pontifex non declaravit, praesumendum est noluisse, ut excommunicationem in alios inducerent haeretici non nominatim denunciati.

At, his non obstantibus, contrarium est tenendum. Prima ratio praesumptiva est, quod articuli I et II *pag. 8 et 9* de apostatis et haereticis agentes, deprompti sunt ex Bulla coenae Gregorii XIII aliisque sequioribus, quas retuli *pag. 63 et seq.* Quae Bullae longe post aetatem Martini V editae, ita fuerunt intellectae, ut haeretici eam excommunicationem inducerent in alios quin a iu-, dice nominatim essent denunciati. Sic ex. gr. tradit Carolus Antonius Thesaurus *de poenis eccles, verb. Haeresis c. 2* §. 1. « Haereticorum re- » ceptatores, defensores, fautores et » credentes haereticis excommuni- » cationem maiorem incurrunt latam » in *cap. Excommunicamus §. Gre- ti dentes, de Haereticis* et in *cap. No- » verit 49, de sentent, excom.* et li- » cet ex dictis capitibus non sit re- » servata, est tamen hodie reservata » in Bulla coenae Domini *cap. 4,* » et ad hanc censuram incurrendam » *non est necesse, quod principalis, » idest haereticus sit denunciatus no- ti minatim,* quia hae actiones secun- » dariae per se primo puniuntur, » Sánchez *I. 2 c. 40 n. 6,* Suarez *de » fide, disp. 24 sect, 2 n.* 7.»

Secunda ratio est ea quae in allata auctoritate indicatur, quia hae actiones quae secundario referuntur ad causam haeresis, non puniuntur tantum quia secundario referuntur ad haereticos, sed puniuntur quoque per se primo, quia sunt actiones per se malae utpote haeresim implicantes: ut est actio credendi er-

roribus haereticorum, actio recipiendi haereticum causa haeresis fovendae vel propagandae, actio haereticis favendi vel eos defendendi quia sunt haeretici : hae enim actiones ideo sunt ecclesiastica lege prohibitae, quia sunt per se pravae; implicant enim formalem cooperationem in haeresim : non autem sunt tantum pravae quia ecclesiastica lege prohibitae.

Sed alia ratio, eaque universslior, desumitur ex ipsa Constitutione Martini V, quam habes superius *pag. 88.* Per eam enim eximuntur fideles ab ea tantum ecclesiastica lege, quae, sub censurarum quoque poenis, cogebat vitare in civili consortio et in divinis , personas excommunicatas, quamquam non denunciatas: reliquae ergo leges in suo vigore manserunt: idque valet sive agatur de censuris, quas inducunt haeretici, sive de censuris, quas inducunt excommunicati ob aliam causam. Aliud est enim dicere: non teneor vi ecclesiasticae legis evitare excommunicatum ; aliud est dicere : possum esse fautor, defensor, vel praestare auxilium etc. excommunicato, quin sancitam excommunicationem incurram, quia non est denunciatus. Non enim de hoc secundo casu loquitur Martini V Constitutio.

Quod patet ex ipsius Constitutionis verbis et sententia: « *Ad vitanda scandala et multa pericula, subveniendumque conscientiis timoratis* (quibus verbis iam intelligitur quaenam sit legis huius sententia) *omnibus Christifidelibus tenore praesentium misericorditer indulgemus, quod nemo deinceps a communione alicuius in Sacramentorum administratione vel receptione aut aliis quibuscumque divinis vel ex tra. k . . . teneatur abstinere vel aliquem vitare... nisi sententia vel censura huiusmodi fuerit a Iudice publicata vel denunciata specialiter et expresse,* » Quibus verbis eximuntur tantum fideles ab onere evitandi excommunicatos vi ecclesiasticae legis imposito.

Respondetur ergo ad primam obiectionem. Fideles non tenentur habere haereticos ut haereticos, donec non denuncientur, ad effectum abstinendi ab eis in civili consortio vel in divinis ; non autem ad alios effectus : quoad alios enim legum effectus, haeretici ut haeretici habendi sunt, quamquam non fuerint denunciati.

Respondetur ad secundam obiectionem. In articulo I *pag.* et in articulo *\lpag. 46* necessario indicandi erant haeretici notorii, ut sub illis articulis comprehenderentur: secus enim, quum ibi mentio dumtaxat fieret de excommunicatis denunciatis, haeretici vel schismatici notorii non denunciati haud fuissent comprehensi.

Immo in hisce duobus articulis animadverte distinctionem, quae supponitur , de qua superius scripsi, inter excommunicatos propter haeresim vel schisma et inter alios excommunicatos propter alia crimina: haeretici enim notorii in his articulis

aequiparantur excommunicatis denunciatis: quod confirmat, quod demonstrandum assumpsi , idest , in art. I et II *pag. 8 et 9,* haereticos, quamquam non denunciatos, sancitas censuras in alios inducere.

Quaeri ulterius potest, utrum haeretici ad inducendam excommunicationem in alios qui commemorantur in dictis articulis I et II*, p. 8 et 9,* necesse sit, ut sint uotorii, vel sufficiat, ut haeresim occulte tantum significaverint, puta coram uno vel numero paucis, ita ut haeresis occulta existimari possit.

Respondeo. Sufficit, ut haereticos esse certo modo cognoscatur, ut eis credentes, receptores, fautores, defensores, legentes eorum libros ceterique in articulo II recensiti, in eam incidant excommunicationem de qua ibidem est sermo. Crimen enim haeresis est illico censura multatum statim ac exterius prodeat; eiusque auctor illico dicitur et est haereticus : quare comprehenditur sub verbis articuli I: *excommunicamus omne* et singulos haereticos,* ubi non distinguuntur haeretici notorii ab haereticis occultis: quum itaque necessarium non sit ut denuncientur ad inducendam excommunicationem in alios, ceteri, qui ibidem nominantur, qui cognita eorum haeresi in ea causa implicantur, eo ipso contrahunt excommunicationem speciali modo Romano Pontifici reservatam.

Item quaeritur, in quas censuras incidant, qui communicare cum haereticis denunciatis.

Respondeo. Nominalis denunciatio haeretici vel schismatici fieri potest ab auctoritate episcopali vel ab auctoritate Romani Pontificis.

Denuntiatio quae fiat auctoritate Romani Pontificis censuras inducit, quae sanciuntur in articulis XVI et XVII *pag. 28,* in quorum primo multantur excommunicatione Romano Pontifici simpliciter reservata, *communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso ei scilicet impendendo auxilium vel favorem:* in altero eadem excommunicatione multantur *Clerici scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis et ipsos in officiis recipientes.*

De hisce articulis moveri facile possunt difficultates. Prima difficultas est: quando agitur de haereticis denunciatis vel apostatis a fide (qui eodem censu habentur) articulus XVI *pag. 28* videtur nihil addere articulo *I pag. 8:* namque quum sub hoc articulo I comprehendantur *eis credentes eorumque receptores, fautores, ac generaliter quilibet illorum defensores,* sub hisce verbis iam comprehenduntur *communicantes in crimine criminoso, ei,* scilicet haeretico, *impendendo auxilium vel favorem.* Qui enim ei impendit auxilium vel favorem in crimine criminoso, idest in haeresi, iam est eius fautor vel defensor. Quaeritur itaque, an communicantes cum haeretico nominatim a Papa denunciato incidant in duplicem excommunicationem, in

eam scilicet articuli I *pag. 8, speciali modo* Romano Pontifici reservatam, et simul in alteram articuli XVI *pag. 28* eidem Pontifici *simpliciter* reservatam.

Respondendum videtur, in exposito casu, qui incurrit excommunicationem primam tamquam fautor vel defensor haeretici, non incidere simul in alteram articuli XVI *pag. 28.* ratio est, quod non est praesumendum , Pontificem in una eademque lege, duplicem excommunicationis poenam voluisse infligere ob eandem causam : poenae enim non sunt multiplicandae, nisi constet multiplicandas esse: ideoque, quum fautores haeretici eiusque defensores ob communicationem in crimine haeresis contrahant excommunicationem Romano Pontifici speciali modo reservatam, non videntur in aliam incidere simpliciter Romano Pontifici reservatam, quam denunciatio secumfert. Fautor enim vel defensor haeretici ob eandem causam, idest ob communicationem in crimine criminoso, in duplicem excommunicationem incideret.

De hac fere quaestione scribens Filiuccius *tract. 46 num. 39,* opinatus est, receptatores, fautores et defensores haereticorum, quando haeretici fuerint denunciati, praeter excommunicationem Bullae coenae, incurrere etiam excommunicationem propter communicationem cum haeretico denunciato ex *cap. Nuper, de sentent, excom.* ex quo capite desumptus est noster articulus XVI , ut ibidem notavi *pag. 28.* Ratio, quam Filiuccius adducit, est quia haec causa et excommunicatio est separata ab illa prima, et non est sublata vel transfusa per cap. 1 Bullae in coena Domini.

Sed fortasse non animadvertit Filiuccius in cap. 1 Bullae coenae, reperiri peculiarem dispositionem de eis, qui cum haereticis favendo vel defendendo communicant in crimine haeresis: et in *cap. Nuper* reperiri universalem dispositionem de eis, qui communicant cum excommunicato denunciato a Papa, sive sit haereticus sive schismaticus, sive alius quavis de causa excommunicatus et denunciatus : dispositionem autem particularem praevalere dispositioni universali, quin opus sit, ut in particulari dispositione indicetur derogatio vel transfusio. Quando enim legislator peculiariter de una re disponit , legem iam praescribit, qua res eadem praeter universalem legem dirigi debeat: unde quando dispositio particularis poenalis concurrit cum dispositione generali, non duae poenae ob eandem causam illatae praesumendae sunt, sed generalis dispositio praesumenda est in particularem transfusa, ne confusio quoque censurarum exoriatur. Quod iam vidimus in praesenti Constitutione factum esse, quando agitur de bonorum ecclesiasticorum usurpatoribus *pag. 36 in nota.* Secus autem est dicendum quando ob diversum crimen diversae censurae latae sunt: en. gr. Sectarius quia Scctarius ex-

communicationem contrahit articuli IV *pag. 48:* si idem Sectarius sit quoque apostata a fide, contrahit etiam excommunicationem artic. I *pag. 8:* idest ex duplici et diversa causa ab ecclesia avulsus iacet.

Sed fortasse dices: ergo denunciatio haeretici nominatim a Papa facta nihil novi induceret: quod congruum non videtur.

Respondeo, multa inducere: I° haereticus est in civili consortio et in divinis vitandus iuxta universalem ecclesiasticam legem: 2° est vitandus in divinis a clericis sub poena quoque excommunicationis iuxta articulum XVII *pag. 28:* 3° qui admittunt ad ecclesiasticam sepulturam haereticum denunciatum interdictum incurrunt ab ingressu ecclesiae Romano Pontifici reservatum, iuxta articulum U *pag. 49:* 4° si fortasse detur casus, in quo aliquis communicando in crimine haeresis, auxilium et favorem impendens, dici non posset aliquo modo fautor vel defensor, ita ut primam excommunicationem evaderet, non evaderet secundam generalem articuli XVI: 5° potest denuncian excommunicatus etiam fautor vel defensor haeretici, quo in casu subintraret plene articulus XVI pro eis, qui in crimine criminoso communicant cum denunciato fautore vel defensore: 6° quod si fautor vel defensor oh communicationem cum haeretico denunciato, non aliam persentiret in foro interno excommunicationem praeter primam, non potest non experiri omnes effectus, qui in christiana societate gignuntur, quando per auctoritatis vocem censurae ecclesiasticae vivificentur.

Quod si nominalis denuncialo haeretici fiat auctoritate episcopali, iidem sunt effectus si excipias quartum hypotheticum modo descriptum, et si temperes secundum effectum iuxta art. II *pag. 49,* quo illi, qui communicant in divinis cum haeretico, auctoritate episcopali denunciato, interdictum ab ingressu ecclesiae incurrunt eidem auctoritati reservatum.

Sed hic altera moveri potest difficultas, idest: in articulo XVI *pag. 28* non est sermo de excommunicato a Papa *nominatim denunciato* vel *declarato:* sed de *excommunicato nominatim a Papa.* Verba enim Articuli sunt: « *Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso ei scilicet impendendo auxilium vel favorem.* » Item in sequenti articulo XVII: *« Clerici scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis. »*

Pariter in articulo ii *pag. 49* agitur, non de declaratione excommunicationis ab Ordinario vel delegato iudice facta; sed de ipsa excommunicatione ab eis inflicta, ut ibidem legitur: « *nominatim excommunicatos ad divina officia seu ecclesiastica sacramenta vel ecclesiasticam sepulturam admittentes.* »

Cum itaque aliud sit excommu-

nica t! o prima vice et vi propriae auctoritatis nominatim inflicta , aliud sit denunciatio vel declaratio nominatim facta praeexistentis excommunicationis incursae, non videtur alterutra eosdem producere iuridicos effectus. Qui ergo denunciati erunt nominatim, erunt quidem vitandi ex universali lege ecclesiastica: attamen non inducent cetera excommunicationes in alios, qui communicent in crimine criminoso, vei qui admittant eos in divinis.

Respondeo. In praesenti disciplinae ordine, inducto post Constitutionem Martini V, distinctio quidem invaluit inter excommunicatos toleratos et vitandos, ut superius scripsi *pag. 99*, sed inter vitandos nulla alia subdistinctio dignoscitur: vitandi enim sunt, sive illi, qui sine praeexistenti sanctione nominatim prima vice excommunicantur, sive illi, qui iam ex praeexistenti sanctione excommunicati, nominatim denunciantur : quia est aequalis horum excommunicatorum conditio: immo si quid diversitatis adest, hoc est, quod illi, qui iam ex praeexistenti sanctione erant excommunicati, per novam nominalem denunciationem alia vice *quodammodo* excommunicantur, quod non contingit aliis: ideoque horum conditio est etiam deterior, quam aliorum, qui prima vice nominatim excommunicentur. Unde sive dicantur *excommunicati* nominatim, sive dicantur *denunciati vel declarati* nominatim, quoad legis effectus idem omnino est.

Quod praxis confirmat, ut videre est in recenti exemplo, quod respexit Presbyterum Cyrinum Rinaldi, qui pertinacia sua non reliquerat officium iudicis sic dictae Monarchiae Siculae iam Auctoritate Apostolica extinctae. In litteris porro Apostolicis in forma Brevis, datis die 23 Iulii 1868 (1) sic Pontifex est locutus: « *Quare Auctoritate Omnipotentis Dei et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra eundem Presbyterum Cyrinum Rinaldi, qui ex vi commemorati Moniti in maiorem excommunicationem iam incidit, hisce Nostris Litteris solemniter ac nominatim excommunicamus, anathematizamus, et ab Ecclesiae corpore' scgregatum, ac prorsus ab omnibus vitandum esse statuimus decernimus ac denuntiamus.y»* Vides ergo etiam in ratione dicendi in idem recidere, *excommunicamus nominatim,* et *declaramus nominatim excommunicatum:* Pontifex enim prima ratione dicendi est usus, quum in se res fuerit de excommunicato nominatim declarando.

Sed e converso potest ulterius obiici: quando agitur de denunciatione vel declaratione, quam nominatim faciat Ordinarius, et sanctio praeexistens sit sanctio Papalis; ut ex. gr. contigit in declaratione, quam fecit excommunicationis Archiepiscopus Monacensis quoad haereticum Doëllinger; eiusmodi declaratio

ci) Confer latinas ephemerides *Acta S. Sedis,* Vol. IV pag. 113 et sega,.

videtur recidere in Papalem excommunicationem : namque Ordinarius non auctoritate sua excommunicat, sed declarat hunc vel illum incidisse in excommunicationem Papalem ; quare talis excommunicatus habendus erit tamquam a Papa excommunicatus. Atque ex eo quoque patet, quod si talis excommunicatus reclamaret, et posset ostendere, vi Papalis sanctionis, se non esse excommunicatum, eo ipso concideret declaratio facta ab Ordinario.

Si itaque tamquam excommunicatus a Papa est habendus, non subintrat articulus II *pag. 49;* sed e converso subintrant Articuli XVI et XVII *pag. 28.*

Respondeo. Eiusmodi excommunicatus nominatim declaratus ab Ordinario vi praeexistentis Papalis sanctionis, habendus quidem erit tamquam excommunicatus a Papa: sed non tamquam excommunicatus *nominatim* a Papa. Ratio clara videtur: namque Papa non eum *nominatim* excommunicavit: habendus quidem erit tamquam excommunicatus a Papali sanctione, quia vi Papalis sanctionis Ordinarius nominatim eum denunciavit:

Quare non subintrant artic. XVI et XVII *pag. 28,* qui expressis verbis eos comprehendunt, qui sunt excommunicati nominatim a Papa. Subintrabit vero articulus II *pag. 49,* quum verum sit. Ordinarii sententia, seu auctoritate episcopali, fuisse declaratus nominatim excommunicatos: declarare autem excommunicatos, et excommunicare nominatim ut modo vidimus, quoad reliquos legis effectus in idem recidere. Haec dicta intelligantur, sicut cetera omnia, SUD censura melioris opinionis.

- Facta denunciatione hominis haeretici vel schismatici Ordinarius procedere debet ad ceteras canonicas poenas, quarum aliquae ipso facto incurruntur et explentur, aliae indigent aliquo interventu auctoritatis ut exsecutioni mandentur: quaenam sint eiusmodi poenae, generali principio sic comprehendi possunt: haereticum vel schismaticum hominem iure privari participandi omnia ecclesiastica bona, quae possunt participare fideles. Quare haereticus vel schismaticus evadit irregularis et inhabilis ad sacra facienda, ad auctoritatem ecclesiasticam exercendam , ad Beneficia et Dignitates obtinendas; exspoliandus erit omnibus Beneficiis, quae forte possideat etc. de quibus peculiariter agunt Canonistae.

Nihilominus est animadvertendum , aetate nostra , non omnes poenas, quae sancitae reperiuntur in corpore iuris, applicabiles amplius esse: quarum aliae non sunt applicabiles ob praesentem societatis conditionem; aliae vero quia in desuetudinem abierunt. Opus est iudicis discretione, prae oculis habito generali principio, quod modo innui, quodque continet omnium fere poenarum *ecclesiasticarum* rationem , quae in haereticos et schismaticos in ss. canonibus sancitae reperiuntur.

Quaenam fuerint sanctiones, quibus subiiciebantur haeretici, quando et Reges et Gubernia catholica erant, et utraque potestas, tum civilis tum ecclesiastica, concordi animo in bonum fidelium, atque proinde totius societatis, procedebat, ictu oculi deprehenduntur ex Constitutione Nicolai III, quae summatim eas sanctiones recenset, quamque, iuridicae eruditionis causa, heic integram adiicimus.

Nicolaus Episcopus servus servor. Dei universis Christi fidelibus.

« Noverit universitas vestra, quod » nos excommunicamus et anathema- » tizamus universos haereticos Ca- » tharos , Patarenos , Pauperes de » Lugduno, Passaginos , Iosepinos , » Arnaldistas, Speronistas et alios » quibuscumque nominibus censean- » tur, facies quidem habentes diversas, sed caudas ad invicem colli- » gatas, quia de vanitate conveniunt » in idipsum.

» §. 1. Damnati vero per Eccle- » siam saeculari iudicio relinquantur, » animadversione debita puniendi » clericis prius a suis ordinibus de- » gradatis »

» §. 2. Si qui autem de praedictis, postquam fuerint deprehensi, » redire voluerint ad agendam con- » dignam poenitentiam, in perpetuo » carcere detrudantur.

» §. 3. Credentes autem eorum » erroribus similiter haereticos iudi- » camus.

» §. 4. Item receptatores, defen- » sores et fautores haereticorum ex- » communicationis sententiae decer- » ni mus subiacere. Statuentes, ut si » postquam quilibet talium fuerit » excommunicatione notatus, satisfa- » cere contempserit infra annum, ex » tunc ipso iure sit factus infamis.

» §. 5. Nec ad publica officia seu «consilia nec ad eligendos alios ad «huiusmodi.

» §. 6. Nec ad testimonium ad- » mittatur.

» §. 7. Sit etiam intestabilis, nec «testamenti habeat factionem.

» §. 8. Nec ad hereditatis suc- » cessionem accedat.

» §. 9. Nullus praeterea ipsi su- » per quocumque negotio, sed ipse » aliis respondere cogatur.

» §.. 10. Quod si forte iudex ex- » titerit, eius sententia nullam obtineat firmitatem: nec causae aliquae » ad eius audientiam perferantur.

» §..11. Si fuerit advocatus, eius » patrocinium nullatenus admittatur.

» §. 12. Si tabellio, instrumenta » confecta per ipsum nullius penitus » sint momenti , sed cum auctore » damnato damnentur, et in simili- » bus idem praecipimus observari.

» §. 13. Si vero clericus fuerit, »ab omni officio et beneficio de* » ponatur.

» §. 14. Si qui autem tales, post^ » quam ab Ecclesia fuerint denotati, » evitare contempserunt, excommu- » nicationis sententia percellantur , » alias animadversione debita pn? » niendi.

^ §. 15. Qui autem inventi fue-
* rint sola suspicione notabiles, nisi
• iuxta considerationem suspicionis
9 qualitatemque personae, propriam
» innocentiam congrua purgatione
» monstraverint, anathematis gladio
» feriantur, et usque ad satisfactio-
» nem condignam ab omnibus evi-
dentur, ita, quod si per annum
» in excommunicatione perstiterint,
» tunc velut haeretici condemnentur.

» §. 16. Item proclamationes aut
» appellationes huiusmodi persona-
» rum minime audiantur.

» §. 17. Item iudices, advocati et
» notarii, nulli eorum officium suum
» impendant, alioquin eodem officio
» perpetuo sint privati.

» §. 18. Item clerici non exhibeant
» huiusmodi pestilentibus ecclesia-
» stica sacramenta; nec eleemosynas
» aut oblationes eorum recipiant;
» similiter hospitaiarii aut contem-
» plarii aut quilibet regulares, alio-
» quin suo priventur officio, ad quod
» numquam restituantur absque in-
» dulto Sedis Apostolicae speciali.
» Item quicumque tales praesumpse-
rint ecclesiasticae tradere sepultu-
» rae, usque ad satisfactionem ido-
» neam, excommunicationis senten-
n tiae se noverint subiacere, nec
» absolutionis beneficium mereantur,
n nisi propriis manibus publice ex-
» tumulent et proiiciant huiusmodi
» corpora damnatorum, et locus ille*
» perpetuo careat sepultura.

» §. 19. Item firmiter inhibemus
n ne cuiquam laicae personae liceat
» publice vel privatim de fide catho-
v lica disputare : qui vero contra
» fecerit, excommunicationis laqueo
a innodetur.

n §. 20. Item si quis haereticos
n sciverit, vel aliquos occulta con-
ventícula celebrantes, seu a com-
» muni conversatione fidelium vita
n et moribus dissidentes, eos studeat
n indicare confessori suo vel alii,
» per quem credat ad Praelati sic
» et Inquisitorum haereticae pravi-
» tatis notitiam pervenire : alioquin
n excommunicationis sententia per-
i cellatur.

» §. 21. Haeretici autem et re-
» ceptatores, defensores et fautores
a eorum, ipsorumque filii usque ad
» secundam generationem ad nullum
» ecclesiasticum beneficium seu of-
» ficium admittantur: quod si secus
n actum fuerit, decernimus irritum
n et inane. Nos enim praedictos ex
a nunc privamus Beneficiis acqui-
» sitis, volentes ut tales et habitis
» perpetuo careant, et ad alia simi-
» lia nequaquam in posterum admit-
» tantur. Illorum autem filiorum
n emancipationem nullius esse mo-
a menti volumus, quorum parentes
» post emancipationem huiusmodi, ad
v invium superstitionis haereticae a
n via declinasse constiterit veritatis.

n Dat. apud Urbem Veterem v non.
» Martii Pont. Nostri anno III.v

Quae quidem Constitutio, edita a Nicolao III die 3 Martii 1280, primaevam suam originem repetit ab Innocentio III in Concilio Lateranensi IV; eamque iterum iterumque evulgarunt sequiores Pontifices*

APPENDIX III.

DE LIBRIS HAERETICORUM ALIISQUE AUCTORITATE APOSTOLICA PROHIBITIS*. NEC NON DE IMPRESSIONE LIBRORUM SINE ECCLESIASTICA ADPROBATIONE, DEQUE PROPOSITIONIBUS A S. SEDE DAMNATIS.

Haereticorum libros semper damnavit Ecclesia eodem prope modo, quo eorum auctores damnavit. In ordine enim logico, idest idearum, eorum libri sunt expressiones cogitationum errorumque propter quos haeretici damnantur: in ordine autem ethico, idest morum, pertinaci odio sunt infecti, quo, nullo praetermisso studio, haeretici catholicam impetunt Ecclesiam.

Quare eadem damnatione , qua Ecclesia execra ta semper est haereticos, repudiavit, damnavit, execrata est eorum libros.

Exemplo sit vetustissimum Decretum Gelasii Romani Pontificis *de recipiendis et abiiciendis libris* (1), in quo descripto catalogo librorum canonicorum , atque aliorum quos Romana Sedes reciperet, vel ut apocryphos seu obscuros aut incertos jepudiaret, ultimo loco damnantur haereticorum libri. Placet heic referre eiusmodi damnatum indicem, ad confirmandum quod dixi.

« Philacteria omnia, quae non » Angelorum, ut illi contingunt, sed » Daemonum magis conscripta sunt » nominibus, apocrypha.

» Haec et his similia, quae Si» mon Magus, Nicolaus, Cerinthus, »Marcion, Basiiides, Ebion, Paulus » etiam Samosatenus, Photinus et » Bonosus, qui simili errore defece» runt, Montanus quoque cum suis » obscoenissimis sequacibus, Apolli» naris, Valentinus, sive Manichaeus, » Faustus, Africanus, Sabellius, Ar» rius, Macedón ius, Eunomius, Co» nomius, Novatius, Sabbatius, Cal»Iistus, Donatus, Eustacius, Iovi»nianus, Pelagius, Iulianus Ecla» nensis, Caelesti n us, Maximianus, » Priscillianus ab Spania, Nestorius » Constantinopolitanus, Maximus Ci» nicus, Lampetius, Dioscorus, Eu» tyches, Petrus, et alius Petrus; e » quibus unus Alexandriam , alius «Antiochiam maculavit: Acacius » Constantinopolitanus cum consor» tibus suis: necnon et omnes hae» resiarches et eorum discipulos, qui » schismatica docuerunt, vel con» scripserunt, quorum nomina mi» nime retinuimus ; *non solum re-*

CO Hoc Decretum ex tribus exemplaribus excriptum extat ad calcem Vol. I Bullarii Romani editionis Taurinensis.

» pudiata, verum etiam ab omni Ro-
» mana, Catholica et Apostolica Ec-
» desia eliminata, atque cum suis
» auctoribus, auctorumque sequacibus
» sub anathematis et indissolubili vin-
ti culo in aeternum confitemur esse
» damnata, n

Animadverte hic obiter discrimen inter libros, quos Romana Sedes repudiabat, seu variis de causis non recipiebat, quos generali appellatione dicebat *apocryphos;* et inter libros, quos damnatos habebat cum suis auctoribus auctorumque sequacibus atque eliminatos ab universa Christi Domini Ecclesia, quae appellatur Romana et Apostolica.

Ad aetatem nostrae proximiorem quod spectat in librorum colluvie, quae post praeclarissimum typorum inventum confluxit, regulae aliquae necessariae fuerunt, ut et Pastores et fideles iudicare possent quorum librorum lectio esset fugienda. Id praestitit Tridentinum Concilium per vulgatas Indicis regulas quae id praesertim temporis opportunissimae fuerunt iudicatae.

Concilium Tridentinum in sessione 18 *Decret, de lib. delectu,* quae sessio est secunda sub Pio IV celebrata die 26 Februarii 1562, haec edixit : « Cum itaque omnium pri-
» mum animadverterit *(Sancta Syn-*
» odus), hoc tempore suspectorum
» ac perniciosorum librorum, quibus
» doctrina impura continetur et Ion-
io ge lateque diffunditur, numerum
» nimis excrevisse, quod quidem in
P causa fuit, ut multae censurae in
» variis provinciis et praesertim in
» alma Urbe Roma pio quodam zelo
» editae fuerint, neque tamen huic
» tam magno ac pernicioso morbo
» salutarem ullam profuisse medici-
» nam; censuit, ut delecti ad hanc
» disquisitionem Patres de censuris
» librisque quid facto opus esset di-
» ligenter considerarent, atque etiam
» ad eandem Sanctam Synodum suo
» tempore referrent, quo facilius ipsa
» possit varias et peregrinas doctrinas
» tamquam zizania a christianae ve-
» ritatis tritico separare, deque his
» commodius deliberare et statuere
» quae ad scrupulum ex complurium
» animis eximendum et tollendas
» multarum querelarum causas ma-
» gis opportuna videbuntur.»

Synodus itaque Tridentina « ex
» tanta Episcoporum *[ut verbis utar*
» Pii IV in Const. Dominici gregis)
» et aliorum doctissimorum virorum
» copia delegit ad conficiendum in-
» dicem multos, cum doctrina, tum
«iudicio insignes Praelatos ex omni-
» bus fere nationibus.»

Postquam opus esset confectum ab eiusmodi delectis viris, eodemque in synodum deducto, sic Sancta Syn* odus decrevit in sessione 25 *De Indice libror.* « Sacrosancta Synodus
» in secunda sessione sub SSmo Do-
» mino Nostro Pio IV celebrata, de-
» lectis quibusdam Patribus commi-
» sit, ut de variis censuris ac libris,
i> vel suspectis vel perniciosis, quid
» in facto opus esset considerarent
» atque ad ipsam Sanctam Synodum
» referrent. Audiens nunc, huic ope-

» ri ab eis extremam manum impo-
» sitam esse, nec tamen ob librorum
» varietatem et multitudinem possit
» distincte et commode a Sancta
» Synodo diiudicari , praecipit, ut
» quidquid ab illis praestitum est
» SSmo Romano Pontifici exhibea-
» tur, ut eius iudicio atque aucto-
» ritate terminelur et evulgetur. »

Quid fecerint et proposuerint Patres a Synodo Tridentina delecti, est index librorum prohibitorum et notissimae decem Regulae de libris prohibitis: et quamquam Tridentina Synodus in primo relato Decreto, rem acervatim considerans , viam quam implexam existimaverat planam reddere velle aliquo modo quaereret: tamen, in ipsa prima Regula indicis, Patres delecti post longum rerum examen haec proposuerunt:Régulai.
« Libri omnes , quos ante annum
»1515, aut summi Pontifices, aut
» Concilia oecumenica damnarunt,
» et in hoc indice non sunt, eodem
» modo damnati esse censeantur,
» sicut olim damnati fuerunt.»

Regula II. « Haeresiarcharum li-
ft bri, tam eorum, qui post praedi-
» ctum annum haereses invenerunt
» vel suscitarunt, quam qui haere-
» licorum capita aut duces sunt vel
» fuerunt, quales sunt Lutherus ,
» Zuinglius, Calvinus, Balthasar Pa-
» cinlontanus, Swenchfeldius et his
» similes, cuiuscumque nominis, ti-
» tuli aut argumenti existant, omni-
» no prohibentur. Aliorum autem
» haereticorum libri, qui de Reli-
» gione quidem ex professo tractant,
» omnino damnantur; Qui vero de
» religióne non tractant ac a tbeo-
» logis catholicis iussu Episcoporum
» et Inquisiturum examinati et ap-
» probati permittuntur. Libri etiam
» catholice conscripti, tam ab iis,
» qui postea in haeresim lapsi sunt,
» quam ab illis, qui post lapsum ad
» Ecclesiae gremium rediere, adpro^
» bati a facultate theologica alicuius
» universitatis catholicae vel ab in-
» quisitione generali permitti pot-
» erunt.»

In Regula X iidem delecti Patres proposuerunt sanctionem his verbis:
« Ad extremum vero omnibus fide-
» libus praecipitur, ne quis audeat
» contra harum Regularum praescri-
» ptum aut huius Indicis prohibitio-
» nem libros aliquos legere aut ha-
» bere. Quod si quis libros haereti-
» corum vel cuiusvis auctoris scripta,
» ob haeresim vel ob falsi dogmatis
'» suspicionem damnata atque pro-
» hibita, legerit sive habuerit, sta-
» tim in excommunicationis senten-
» tiam incurrat. Qui vero libros alio
» nomine interdictos legerit aut ha-
» buerit, praeter peccati mortalis
» reatum, quo afficitur, iudicio Epi-
» scoporum severe puniatur.»

Indicem autem librorum et ipsas decem Regulas cum sanctione post novum examen probavit confirmavitque Pius IV in Constitutione *Dominici gregis* edita die 24 Mart. 1564.

Itaque iuxta regulas Indicis prohibiti erant, sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae, omnes libri eorum haereticorum, qui>

duces essent: nec non aliorum haereticorum, qui de religione ex professo tractarent ; vel etiam scripta cuiusvis auctoris, sive haeretici sive non haeretici, ob haeresim vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita.

Haec poena excommunicationis nulli fuerat reservata.

Hic iam quaeritur, utrum haec excommunicatio lata per Regulam X Indicis cessaverit, post Constitutionem *Apostolicae Sedis.* Ratio dubitandi est, quod Constitutio clausulam habet quae excommunicationes Tridentinas sartas tectasque servavit ut videre est superius *pag. 34* §. *Praeter* , per haec verba : « *Praeter hos hactenus recensitos, eos quoque, quos Sacrosanctum Concilium Tridenti* num, sive reservata Summo Pontifici aut Ordinariis absolutione, sive abs* que ulla reservatione excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos" esse declaramus; excepta anathematis poena in Decreto sess. IV* De editione et usu Sacrorum Librorum *constituta, cui illos tantum subiacere volumus, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt aut imprimi faciunt.-»*

Respondeo. Excommunicatio lata per Regulam X Indicis post Constitutionem *Apostolicae Sedis,* cessavit. Ratio est, quod eiusmodi excommunicatio, per Regulam X Indicis lata, nonnisi latissimo sensu appellari potest Tridentina : lata enim non fuit a Tridentino Concilio, ut ex superius expositis patet. Synodus enim deputava delectos viros quibus commisit totum negotium, de libris prohibendis, ut inde ad Synodum de eo negotio referrent: re a deputatis viris parata, iussit S. Synodus rem totam exhiberi Romano Pontifici , *ut eius iudicio et auctoritate terminaretur et evulgaretur, quum ob librorum varietatem et multitudinem synodus non posset distincte et commode de ea re iudicare.* Ergo excommunicatio, quae per Regulam X infligitur, non lata est iudicio Synodi Tridentinae, sed iudicio et auctoritate Romani Pontificis : ideoque , quum omnes generales censurae a Romanis Pontificibus latae , post Constitutionem *Apostolicae Sedis* cessaverint, praeter exceptas vel innóvalas, haec cessasse dicenda est, quum innovata non fuerit.

Ad censuras quod attinet generatim inflictas in vetitos libros habendus nunc est uti universalis et unica regula articulus *il pag. 9,* quo infligitur excommunicatio , speciali modo Romano Pontifici reservata, *in omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros Apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris* (sive haeretici sive non haeretici) *per Apostolicas literas* (sive in forma Brevis, ut plerumque contingit, sive in forma Bullae , sive per epistolas encyclicas : sive alia quavis extrinseca forma, quando in ipsis litteris legitur, *De Apoatolicae nostrae potestatis plenitudine:* hae enim omnes, generico no-

mine, appellantur *Litterae Apostolicae) nominatim prohibitos* (expresso videlicet libri titulo) *eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes.*

Si conféras hunc Constitutionis articulum cum verbis Regulae X Indicis, percipies, quoad structuram , conformitatem, ita ut dispositio Regulae conversa dicenda sit in huius articuli dispositionem.

Sane verba Regulae Indicis sancientis haec sunt: *Quod si quis libros haereticorum* (his verbis praeformatam habes primi articuli partem) *vel cuiusvis auctoris* (sive haeretici fortasse non satis noti, sive non haeretici) *ob haeresim vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita* (his verbis praeformatam habes secundam articuli partem de libris prohibitis per Litteras Apostolicas : per huiusmodi enim Litteras solent dam nari scripta vel libri cuiusvis auctoris ob haeresim vel ob falsi dogmatis suspicionem) *legerit sive habuerit statim in excommunicationis sententiam incurrat.*

Vi dicti articuli II excommunicatio, eademque speciali modo Romano Pontifici reservata, fertur in scienter legentes libros cuiusvis auctoris *per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos* eosdemque retinentes etc. quaeritur, utrum haec dispositio respiciat tantum libros futuros prohibendos, an etiam comprehendat praeteritos per Litteras Apostolicas iampridem nominatim prohibitos.

Respondeo. Dispositio comprehendit etiam libros iampridem per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos. Ratio est, quod iamdiu praxis invaluit prohibendi nominatim certos quosdam libros per Litteras Apostolicas. Quum itaque de his prohibitionibus expressa mentio fiat, nulla adiecta temporis distinctione quoad praeteritum, vel quoad futurum, referri ea dispositio dicenda est ad litteras quoque Apostolicas quae praecesserunt. Qtiod si tantum libros futuros dispositio respiceret, cum dicta praxis vigeat, exprimendum in articulo erat non verbum *prohibitos,* sed in futurum *prohibendos.*

Sed hic aliquae suboriri possunt difficultates: constat enim Romanos Pontifices sub variis poenis variaque ratione damnasse et prohibuisse nominatim libros vel scripta per Litteras Apostolicas. Expedit rem exemplis declarare ; priora desumam post Pontificatum Alexandri VII, cuius rei causa infra apparebit.

Clemens IX, per Breve *Creditae nobis*, datum die 20 Februarii 1667, damnavit librum cui titulus, *Rituel Romain du Pape Paul V à l'usage du diocèse d'Alet, avec les instructions et les rubriques en françois,* de quo libro sic sanxit: « in quo non solum » continentur nonnulla ab ipso ri» tuali romano, iussu felicis recorda» tionis Pauli Papae V edito, aliena, » sed etiam doctrinae quaedam et » propositiones falsae, singulares, in » praxi periculosae, erroneae, et con-

» suetudini IG Ecclesia communiter » receptae atque ecclesiasticis con- » stitutionibus oppositae et repu- » gnantes, quarum usu et lectione » christifideles in iam damnatos er- » rores sensim induci, ac pravis opi* » nionibus infici possent: nos oppor- » tunum huic malo remedium adhi- » bere volentes,... auctoritate Ápo- » stolica tenore praesentium, omnino » damnamus *(librum sub titulo Ri- » tualis),* reprobamus et interdici- »mus..i eiusque impressionem, le- » ctionem, retentionem et usum «universis et singulis utriusque se- » xus Christifidelibus, praesertim ci- » vitatis et dioecesis Aletensis, cuius- » cumque gradus, conditionis, digni- tatis et praeeminentiae existant... *» sub poena excommunicationis latae » sententiae ipso facto incurrendae, » perpetuo prohibemus.*

» Mandantes, ut statim quicum- » que illum habuerint, vel in futu- » rum quandocumque habebunt, lo- » corum Ordinariis vel Inquisitori- » bus ; qui vero venerabili fratri » Episcopo Aletensi subsunt, metro- » politano, aut uni ex vicinioribus » Episcopis realiter et cum effectu » exhibeant, tradant et consignent, » qui, nulla interposita mora, exem- » plaria sibi tradita, et alia quae- » cumque habuerint, igne combu- » rant, et comburi faciant.»

Per has Litteras Apostolicas ex- communicationem Pontifex sibi non reservavit: eaque excommunicatio cohaerere videtur cum censura Indicis, inflicta in legentes libros ob suspicionem haeresis damnatos.

Idem Pontifex per Litteras in forma Brevis, *Debitum pastoralis,* editas die 20 Aprilis 1668, damnavit simili modo librum cui titulus, *Le Nouveau Testament de Notre Seigneur Jesus Christ, traduit en françois selon l'édition vulgate avec les différâmes du grec.* Eumque librum damnavit tamquam *temerarium, damnosum, a vulgata editione praedicta difformem et offendicula simplicium continentem. . . sub poena excommunicationis latae sententiae ipso facto incurrendae.* Neque eam excommunicationem sibi reservavit.

Non alias reperi Apostolicas litteras in Bomano Bullario quo utor, quibus Clemens IX libros nominatim damnaverit, neque ullas reperi quibus libros nominatim damnaverit eius successor Clemens X.

Qui eis successit, Innocentius XI, per Litteras Apostolicas in forma Bullae, *Coelestis Pastor,* datas die 20 Novembris 1687 damnans octo et sexaginta propositiones Michaelis de Molinos ipsumque auctorem ut formalem haereticum, sic clausit eas Apostolicas Litteras: *iterum supradictas propositiones definitive damnantes et reprobantes, librosque et manuscripta eiusque Michaelis de Molinos prohibentes et inter dicentes, sub eisdem poenis et censuris contra transgressores latis et inflictis.* Censura autem erat excommunicatio, quam sibi Pontifex reservavit. Agitur

in his litteris de censura quae universim infligi solebat in omnes haereticorum, qui duces essent, libros, quin hi libri nominarentur : satis enim erat ut essent ipsorum libri, ut prohibiti censerentur aut nova sanctione prohiberentur.

Neque Litteras Apostolicas reperi quibus Alexander VIII librum aliquem nominatim damnaverit ; sed eius successor Innocentius XII per Breve *Cum alias* datum die 12 Martii 1699 damnavit librum cui titulus: *Explication des maximes des Saints sur la vie intérieure par messire François de Salignac Fénélon, Archevêque de Cambray, précepteur* etc. De quo haec in dicto Brevi leguntur: «Ingens vero subinde de noti » sana libri huiusmodi doctrina ex- » citatus in Gallus rumor adeo per- » crebuerit: ut opportuna pastoralis » vigilantiae nostrae operam efflagi- » taverit... librum praedictum, ubi- » cumque, et quocumque alio i d i o - » mate seu quavis editione aut ver- » sione hucusque impressum, aut in «posterum imprimendum, quippe » ex cuius lectione et usu fideles » sensim in errores ab Ecclesia ca- » tholica iam damnatos induci pos- » sent, ac insuper tamquam conti- » nentem propositiones, sive in ob- » vio earum verborum sensu, sive » attenta sententiarum connexione, » temerarias, scandalosas, male so- » nantes, piarum aurium offensivas, » in praxi perniciosas, ac etiam er- » roneas respective, tenore praesen- » tium damnamus et reprobamus, » ipsiusque libri impressionem, de- » scriptionem, lectionem , retentio- » nem et usum omnibus et singulis » christifidelibus, etiam specifica et » individua mentione et expressione » dignis, sub poena excommunica- » tionis per contrafacientes ipso fa- » cto incurrenda interdicimus et pro- » hibemus ; volentes et Apostolica » auctoritate mandantes, ut, qui- » cumque supradictum librum penes » se habuerint, illum, statim atque » praesentes litterae eis innotuerint. » Locorum Ordinariis.. . tradere et » consignare omnino teneantur.» Inde Pontifex vigintiduas propositiones ex eo libro elicens, pari censura damnat. Eam censuram sibi Pontifex non reservavit; eademque videtur cohaerere eum censura Regulae X indicis in libros ob suspicionem haeresis damnatos.

Qui successit Clemens XI per Breve, *Cum nuper,* editum die 12 Februarii 1703, damnavit quaedam folia, quibus titulus, *Lettre de M... chanoine de B. a monsieur F.D. A. etc. Cas de conscience proposé par un confesseur de province touchant un ecclésiastique* etc. hunc librum pari modo quo Innocentius XII, damnavit sub poena excommunicationis, quin eam sibi reservaret.

At vero idem Pontifex plures alios libros damnavit simili forma sub poena excommunicationis, eam sibi constanter reservans. Sane per Breve, *Cum sicut,* die 28 Ianuarii 1704 damnavit libellum, *Véritable tradition de l'Église sur la*

prédestination et la grâce etc. sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda, *a qua nemo a quoquam, praeterquam a nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus absolutionis beneficium obtinere valeat.*

Pariter in Brevi, *Cum nos alias,* edito 11 Februarii 1704, renovans damnationem factam die 20 Septembris 1703 cuiusdam Libelli *Ordonnance de Leopold I duc de Lorraine et de Barrois etc.* -damnavit quaedam folia: *Acte de appel interjeté par le procureur général de Lorraine et Barrois de l'exécution du Bref etc.* sub poena excommunicationis quam sibi reservavit.

Iterum in Brevi, *Cum sicut,* die 4 Octobris 1707 damnavit sub poena excommunicationis sibi reservatae, eadem forma, plures libellos, quos nominat, et *alios... directe vel indirecte adversus Decretum remotionis Petri Archiepiscopi Sebasteni in Hollandia et si quae in posterum edi contigerit.*

Rursus idem Pontif. Clemens XI, pari modo eademque excommunicationis reservatae poena, alios libros nominatim damnavit, quae quidem damnationes videri possunt in Bullario editionis Taurinensis *Vol. 24 pag. 307, 349, 327, 365, 366, 379, 380,384,390,* quam excommunicationis poenam constanter sibi reservavit.

Expedit nunc videre, quomodo se gesserint Romani Pontifices aetati nostrae proximiores.

In Bullario Pii VII non reperi nisi epistolam encyclicam ad Episcopos Graeco-Melchitas , *Tristis quidem,* editam 3 Iunii 1816, qua interdixit sub excommunicationis poena, donec definitivum iudicium non daretur , opera Archiepiscopi Hieropolitani Germani Adam.

Neque aliae huiuscemodi Litterae reperiuntur in Bullariis Pii VIII et Leonis XII.

Gregorius XVI per Litteras Apostolicas , *Cum in Ecclesia,* datas die 17 Septembris 1833 damnavit quinque libellos Germanicos hac sanctione: « Praecipimus propterea, ne quisquam ex fidelibus cuiuscumque gradus, conditionis et dignitatis sit libellos praefatos, sive typis impressus, sive manu scriptos, vel in Germanico originali idiomate in quamcumque aliam linguam translatos, legere retinere aut denuo imprimere seu imprimi facere audeat sub *poena suspensionis a divinis quoad clericos, quoad vero laicos sub poena excommunicationis maioris* ipso facto absque alia declaratione incurrendis, *quarum absolutionem ac respective relaxationem nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus reservamus,* excepto dumtaxat, quoad excommunicationem supradictam, mortis articulo, quo nimirum cuilibet Confessario ab huiusmodi censura, ut praefertur, incursa fas » erit absolvere.

> Non modo autem memoratos » libellos, sed alios quoscumque sive

» scripto exaratos sive typis editos » vel forsan exarandus et edendos, » in quibus eadem erronea doctrina » aut integre aut ex parte renovetur » ac defendatur (1) *sub eisdem poe- ti nis*, eademque Apostolica Aucto- » ritate harum Litterarum tenore » proscribimos ac damnamus, illos- » que legi, imprimi et retineri omni- » no prohibemus.»

Puto hanc esse unicam librorum damnationem a Gregorio XVI factam sub poena excommunicationis ; ceterae enim Litterae eius Apostolicae, quas invenire valui, varios libros damnantes, poenam excommunicationis non solum non reservant, sed neque infligunt.

Sane per Epistolam encyclicam, *Singulari nos*, datam septimo Kalendas Iulias 1834 damnavit quendam librum, cui titulus, *Paroles d'un croyant*, his verbis: *u* quo per *n* impium verbi Dei abusum populi *n* corrumpuntur ad omnis ordinis *n* publici vincula dissolvenda , ad *v* utramque auctoritatem labefactan- » dam , ad seditiones in Imperiis, *v* tumultus rebellionesque excitan- *V* das, fovendas, roborandas, librum *D* ideo propositiones respective fal- » sas, calumniosas , temerarias , in- *V* ducentes in anarchiam, contrarias *n* Verbo Dei, impias, scandalosas, er- *ji* roneas iam ab Ecclesia, praesertim *n* in Valdensibus, Wiclefitis, Hus- *7i* sitis aliisque id generis haereticis *7i* damnatas, continentem , reproba-

ci) Per Litteras Apostolicas Romani Pontifices dum libros damnant et prohibent, simul docere solent indicando et reprobando errores praecipuos in huiusmodi libris contentos. In damnandis his quinque libellis, qui perniciosiores late per universam Germaniam circumferebantur, hanc doctrinam in eodem Brevi Pontifex reprobavit, et damnavit ut ibidem legitur: * Omnes Episcopos, utpote Apostolorum successores, parem ac supremam Ecclesiae «regendae potestatem a Christo accepisse, eamque non in solo Romano Pontifice, sed in » toto Episcopatu residere: voluisse imo Christum Ecclesiam reipublicae mois administrari, » ita ut omnes, nedum inferioris ordinis clerici, sed etiam laici iure gaudewat suffragii : » omnem ideo potestatem universo fidelium coetui in Episcopos atque in ipsum Romanum » Pontificem derivandam, immediate fuisse concessam : in praesenti Ecclesiae disciplina » multa esse tum inutilia tum periculosa et noxia, quae pro temporum indole oportet im- " mutari. Indulgentias nihil aliud esse, nisi partis eius poenitentiae, quae per canones sta- » tuta erat peccanti, remissionem: eas ad poenas temporarias divinae iustitiae debitas, et in » hac vel altera vita luendas referri posse, aut defunctis prodesse, neque in scriptura, ne- » que ex traditione demonstrari: illarum usum veram poenitentiam retardare et «vertere, ac » spiritualibus fidelium commodis prorsus adversari; thesaurum ex Christi meritis, Sancto- » rumque satisfactionibus conflatum, antiquis incognitum, nuperis temporibus fuisse inve- » ctum: hodiernam Ecclesiae in Sacramento poenitentiae administrando disciplinam, nedum » frustraneam, sed et perniciosam esse, tamque salutaris instituti virtuti et efficaciae de- » trahere: legem caelibatus in ignominiam, dedecus et detrimentum cleri vergere, ipsique « naturae esse contrariam: characterem, qui in ordinatione imprimitur, inter scholasticorum *n* placita esse adnumerandum; atque eum, qui semel fuit Sacerdos, rursus laicum fieri posse «saltem auctoritate Ecclesiae, cuius nomine peculiares Episcopos intelligunt: alia demum » multa de stipendiis Missarum, de quotidiana earum celebratione, de pluribus pro uno eo- » demque defuncto sacrificiis, de privata synaxi, de sacris ritibus, de cultu Beatae Mariae » Virginis, de piis sodalitatibus, de publicis supplicationibus asserunt, quae singillatim » pudet percensere.»

n mus, damnamus ac pro reprobato
» et damnato in perpetuum haberi
y> volumus atque decernimus.»

Item in Brevi, *Dum acerbissimos,*
dato die 26 Septembris 1835, quo
damnata sunt opera Georgii Hermes,
haec leguntur: « praedictos libros
» ubicumque et quocumque idioma-
te... hucusque impressos, aut in
r> posterum, quod absit, imprimen-
7) dos, tenore praesentium damna-
77 mus et reprobamus ac in Indicem
T) librorum prohibitorum referri man-
7i damus; bortantes et obtestantes in
r» Domino Venerabiles Fratres Pa-
77 triarchas etc. ut memores distri-
7) cti ac durissimi iudicii, quod eis
7> a Pastorum Principe fiet de in-
77 structione, regimine et custodia
TÍ gregis ipsis commissi, nedum me-
r> moratos libros a scholis repellere,
» verum etiam proprias oves ab hu-
77 iusmodi venenatis pascuis omni
77 cura et solicitudine avertere sat-
77 agant.»

Iterum in Brevi, *Melchitarum catholicorum synodus,* edito die 16 Se-
ptembris 1835, damnavit librum cu-
iusdam Synodi Antiochenae an. 1806
celebratae, qui liber arabicis typis
fuit impressus anno 1810, illumque
his verbis damnavit: « Antiochenam
fi itaque praedictam synodum haec
r> et alia plura contra sanam doctri-
» nam et probatam Ecclesiae disci-
7) plinam vitia continentem, nos...
f) improbamus et condemnamus, to-
77 tius denique libri usum, quovis
77 idiomate sive in manuscripto co-
» dice, sive in impresso interdici-
r> mus; atque ut umquam in poste-
rum typis imprimatur, vetamus.»

Denique in Brevi, *Inter maximas,* dato die 5 Augusti 1843, da-
mnavit prohibuitque libellum, qui
inscribitur *Lettera sulla direzione degli studi di Francesco Forti, Ginevra 4813,* quem prohibuit *u sub*
f) consuetis clausulis et poenis in In-
ri dice librorum vetitorum indictis,
n tamquam continentem doctrinas
n et assertiones inducentes in sce-
77 pticismum et incredulitatem....
rr haeresi proximas etc.»

Superest reliqua afferre exem-
pla librorum quos per Litteras Apo-
stolicas damnavit SSmus Pater, in
primo, ut ita dicam, quem gloriose
explevit, Pontificatu.

Per Litteras Apostolicas in for-
ma Brevis, editas die 10 Iunii 1851,
SSmus Pater damnavit atque pro-
hibuit librum cui titulus, *Defensa de la auctoritad de los Gobernios y de los Obispos contra le pretenciones de la Curia Romana por Francisco de Paula G. Vigil. Lima 4848,*
tamquam continentem propositiones
scandalosas, temerarias, falsas, schi-
smaticas, Romanis Pontificibus et
Conciliis oecumenicis iniuriosas, Ec-
clesiae potestatis, libertatis et iuris-
dictionis eversivas, erroneas, impias
et haereticas : eumque librum his
verbis damnavit: *a* ubicumque et
ri quocumque alio idiomate, seu qua-
Si vis editione aut versione huc us-
» que impressum, vel in posterum,
T/ quod absit, imprimendum, tenore
r) praesentem damnamus et repro-

r> bannis, atque legi ac retineri pro-
r> hibemus, eiusdemque Operis im-
«pressionem, descriptionem, lectio-
n nem, retentionem et usum omni-
» bus et singulis Christifidelibus,
» etiam specifica et individua men-
» tione et expressione dignis, sub
n poena excommunicationis per con-
» trafacientes ipso facto, absque alia
» declaratione , incurrenda , a qua
r> nemo a quoquam praeterquam a
r> nobis, seu Romano Pontifice pro
» tempore existente, nisi mortis ar-
r> ticulo constitutus absolutionis be-
** neficium obtinere queat, omnino
» interdicimus.

» Volentes, et Auctoritate Apo-
» stolica mandantes, ut quicumque
n librum, seu opus praedictum pe-
» nes se habuerint, illud statim at-
» que praesentes Litterae innotue-
» rint, Locorum Ordinariis vel hae-
p reticae pravitatis Inquisitoribus tra-
ff dere, atque consignare teneantur.v
Usus est Pontifex eadem damnatio-
nis et prohibitionis forma qua usus
est, ut vidimus, Innocentius XII.

In Brevi, .ad *Apostolicae*, edito
die 22 Augusti 1851, quo damna-
vit opus sic inscriptum : *u Iuris ee-
clesiastici Institutiones Ioannis Ne-
pomuceni Nuytz in Regio Tauri-
nensi Athenaeo Professoris* » item-
que *u In Ius ecclesiasticum univer-
sum Tractationes* » auctoris eiusdem,
haec leguntur : *u* praedictos libros
ff tamquam continentes propositio-
ff nes et doctrinas respective falsas,
ff temerarias, scandalosas, erroneas,
» in S. Sedem iniuriosas, eiusque
» iuribus derogantes, Ecclesiae regi-
» men et divinam eius constitutio-
» nem subvertentes , schismaticas ,
» haereticas, Protestantismo, eiusque
» propagationi faventes et in haere-
» sim et in systema iamdiu ut hae-
r, reticum damnatum in Luthero,
» Baio, Marsilio Patavino, Ianduno,
» Marco Antonio De Dominis, Ri-
n cherio, Laborde et Pistoriensibus,
» aliisque ab Ecclesia pariter da-
» mnatis inducentes, necnon et Ca-
» nonum Concilii Tridentini ever-
» sivas, reprobamus, damnamus,
» ac pro reprobatis et damnatis ab
» omnibus haberi volumus et man-
» damus. Praecipimus idcirco , ne
» quisquam fidelium , cuiuscumque
» conditionis et gradus etiamsi spe-
» cifica et individua mentione dignus
» esset, audeat praefatos libros ac
n theses apud se retinere aut legere
» sub poenis suspensionis a divinis
n quoad Clericos, et quoad laicos
» excommunicationis maioris ipso
» facto incurrendis, absolutionem et
» relaxationem nobis et successoribus
» Nostris Romanis Pontificibus reser-
» vamus, excepto tantum quoad ex-
n communicationem mortis articulo.
n Mandamus quoque Typographis ac
» Bibliopolis, cunctisque et singulis
» cuiuscumque gradus et dignitatis,
v ut quoties praedicti libri ac theses
» ad eorum manus pervenerint, de-
» ferre teneantur Ordinariis sub iis-
» dem respective poenis, nempe
v quoad Clericos suspensionis a Di-
» vinis, quoad laicos excommunica-
» tionis maioris superius commina-

y> tis. Neque tantum memoratos li- » bros ac theses, sed alios, aliasque » quoscumque sive scriptis, sive ty- » pis exaratos libros, vel forte exa- » randos et imprimendos, in quibus » eadem nefaria doctrina renovetur » ex integro aut in parte (1) sub » iisdem poenis superius expressis » damnamus, reprobamus atque legi, » imprimi, retineri omnino prohi- » bemus.» Hisce in Litteris Pontifex usus est eadem damnationis formula, qua usus, est, ut vidimus, in pari causa Gregorius XVJ.

In epistola data ad Archiepiscopum Monacensem et Frisingensem die 11 Decembris 1862 SSmus Pater damnavit opera Presbyteri Iacobi Frobschammer, germanice scripta, quorum tituli latine sonant, *Introductio in philosophiam: De libertate scientiae: Athenaeum,* quorum primum anno 1858, alterum anno 186Î, tertium anno 1862, typis Monachii

CI> Si scire optes quaenam sit doctrina, quam in damnatione libri Pontifex damnavit, ea in eisdem Litteris Apostolicis sic indicatur: « Ecclesiam vis inferendae potestatem non » habere, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam: divisioni Ecclesiae » in orientalem atque occidentalem nimia Romanorum Pontificum arbitria contulisse: prae- » ter potestatem Episcopatui inhaerentem, aliam esse attributam temporalem a civili im- » pério vel expresse vel tacite concessam, revocandam propterea quum libuerit a civili im- » perio: civili potestati vel ab infideli imperante exercitae competere potestatem indirectam » negativam in sacra: civilem potestatem, ab Ecclesiastica, si damno afficiatur, sibi conr » sulere per potestatem negativam in sacra; illique competere nedum ius, quod vocant, » *exequatur,* sed vero etiam appellationem ab abusu: in conflictu legum utriusque pote- » statis, ius civile praevalere: nihil vetare alicuius Concilii generalis sententia, aut uni- » versorum populorum facto, summum Pontificatum ab Romano Episcopo, atque Urbe ad *n* alium Episcopum, aliamque civitatem transferri: rationalis Concilii definitionem nullam *n* aliam admittere disputationem et civilem administrationem, rem ad hosce terminos exigere » posse; doctrinam comparandum libero Principi Romanum Pontificem et agendi in universa » Ecclesia, doctrinam esse, quae medio aevo praevaluit, effectusque adhuc manere: de tem- » poralis regni cum spirituali compatibilitate disputare inter se Christianae et Catholicae » Ecclesiae filios.

» Plura quoque de matrimonio falsa asseruntur: nulla ratione ferri posse Christum » evexisse matrimonium ad dignitatem Sacramenti: matrimonii Sacramentum non esse nisi » quid contractui accessorium, ab eoque separabile, ipsumque Sacramentum in una tantum » nuptiali benedictione situm esse: iure naturae matrimonii vinculum non esse indissolubile: » Ecclesiam non habere potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed » eam civili potestati competere a qua impedimenta existentia tollenda sint i causas matri- » moniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinere: ecclesiam sequioribus sae- » culis dirimentia impedimenta inducere coepisse, non iure proprio sed illo iure usam, quod » a civili potestate mutuata erat: Tridentinos canones Csess. 24 de matr. c. 4) qui anathe- » matis censuram illis inferunt, qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiae » negare audeant, vel non esse dogmáticos, vel de hac mutuata potestate esse intelligendos. » Quin addit: Tridentinam formam sub infirmitatis poena non obligare ubi lex civilis aliam » formam praestituat, et velit, hac nova forma interveniente, matrimonium valere: Boni- » facium VIII votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere primum as- » serrasse.

» Plura denique de potestate episcopali, de poenis haereticorum et schismaticorum, de » Romani Pontificis infallibilitate, de Conciliis temere atque audacter in hisce libris proposita » occurrunt, quae persequi singillatim ac referre in tanta errorum colluvie omnino taedeat.»

Habes heic notatas plures propositiones, quas SSû'ms Pater in celebri syllabo a se reprobatas Ecclesiae universae significavit.

prodierunt, eademque opera his verbis damnavit: *u* Apostolicae nostrae *n* potestatis plenitudine , praedictos » libros Presbyteri Frohschammer *n* tamquam continentes propositio- ni nes et doctrinas respective falsas, » erroneas, Ecclesiae eiusque aucto- *r*> ritati ac iuribus iniuriosas repro- » bamus, damnamus ac pro repro- *r*> batis et damnatis ab omnibus ha- *77* heri volumus, atque eidem Con- *7i* gregationi *(Indicis)* mandamus, ut *TÍ* eosdem libros in indicem librorum *7*> prohibitorum referat. » Eiusmodi libri damnati sunt ea ratione qua vidimus Gregorium XVI usum fuisse per Litteras in forma Brevium superius indicatas, nulla videlicet adiecta excommunicationis poena, iussione tantum facta, ut in Indicem Librorum damnati libri referantur.

Ex hactenus expositis exemplis apparet, libros iampridem nominatim prohibitos per Apostolicas Litteras non secumferre easdem poenas, neque omnes libros simili modo esse prohibitos; praeterea prohibitiones saepe motas esse ob rerum personarum causaeque circumstantias.

Considerata vero dispositione articuli II, *pag. 9,* quo excommunicatio, speciali modo reservata infligitur in *omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae... libros cuiusvis auctoris per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos eosdemque libros retinentes, imprímenles et quomodolibet defendentes;* variae moveri possunt difficultates, quarum praecipuas heic exponere et solvere curabo.

Litterae Apostolicae consueverunt quidem prohibere libros vel scripta expressis specifice libris per proprios titulos, quos in fronte gerunt ; sed alios quoque libros vel scripta interdum prohibuerunt, quin proprios librorum titulos significarent, ut ex. gr. vidimus factum fuisse a Clemente XI in Brevi, *Cum sicut,* edito die 4 Octobris 1707 , qui multos libellos per proprios titulos nominans, et sub poena excommunicationis sibi reservatae prohibens, hanc prohibitionem et poenam protendit in omnes alios libros ob eandem causam editos vel edendos directe scilicet vel indirecte adversus Decretum remotionis Petri Caddaei Archiepiscopi Sebasteni.

Pariter Innocentius XI, qui, damnans Michaelem De Molinos tamquam formalem haereticum, omnes eius libros et scripta sub poena excommunicationis reservatae prohibuit , quin libros per suos titulos designaret.

Quaeritur itaque, an sufficiat indicatio librorum hac ratione facta, ut dici possint *nominatim* prohibiti per Litteras Apostolicas: an potius sit necessarium, ut libri nominentur per suos proprios titulos, ut censeantur comprehensi sub articulo II de quo agimus.

Respondeo: necessarium est, ut libri nominentur per suos proprios titulos, ut *nominatim* comprehensi

censeantur sub articulo de quo in praesentiarum agimus.

Prima ratio est, quod praxis constans fuit in librorum prohibitione, ut libri per suos proprios titulos nominentur: quod si interdum secus factum fuerit, ea de causa id factum est, quod rerum circumstantiae id pro tempore exigèrent, ut aliquod imminens damnum coerceretur; ut ex. gr. periculum schismatis, quod fuit causa cur Clemens XI in dicto Brevi prohibuit libros omnes vel scripta quaelibet edita vel edenda contra Decretum remotionis Archiepiscopi Sebasteni: item periculum haeresis ne invalescat, vel etiam ut extinguatur, in causa quoque est cur Romani Pontifices pro rerum adiunctis prohibeant omnes libros alicuius haeretici, ut fecit Innocentius XI, quoad libros Michaelis de Molinos. Hae igitur causae sunt extraordinariae et plerumque temporaneae: quae circumstantiae temporaneae cessant, si lex vicerit periculum, vel inefficax evaserit ad schisma vel haeresim coercendam.

Cum itaque praxis constans fuerit in librorum prohibitione, ut libri per suos proprios titulos nominentur, verba *nominatim prohibiti*, hanc praxim *expresse* significant. Ideoque libri per suos proprios titulos non nominati, sed significati g< nerica aliqua ratione ex. gr. omnes libri auctoris A, vel auctoris B, vel libri qui adversentur huic vel illi doctrinae capiti, huic vel illi Decreto etc. non comprehenduntur sub verbis articuli *libros cuiusvis auctoris per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos.*

Secunda ratio est, quod usus iam determinavit, quum de censuris agitur, significationem adverbii *nominatim*. Habemus enim hac in re parem legem in Constitutione Martini V *Ad evitanda,* secundum quam Constitutionem illi tantum excommunicati, vi legis ecclesiasticae, sunt vitandi, qui ab auctoritate fuerint denunciati *specialiter* (1) *et expresse:* quae duo adverbia usus perstrinxit in adverbium *nominatim,* expresso videlicet proprio excommunicati nomine.

Itaque libri, qui non fuerint per propria nomina, idest per proprios titulos, in Litteris Apostolicis nominati, non comprehenduntur sub secunda parte, de qua agimus, articuli II.

Rursus, libri, per Litteras Apostolicas nominatim prohibiti, alii reperiuntur prohibiti sub poena excommunicationis Romano Pontifici reservatae; alii sub poena excommunicationis quam Romani Pontifi-

ci) In iure nomina *species* et *genus* alia significatione accipiuntur, ab iUa qua accipi solent a Logicis et Philosophis: quod Philosophi appellant *individuum,* veteres Iurisconsulti dicebant *speciem:* quod Philosophi dicunt *speciem,* Iurisconsulti appeUabant *genus.* Obvia sunt exempla in Pandectis. Hic iuridicus dicendi usus in ius canonicum quoque derivavit. Unde adverbium *specialiter* in Constitutione Martini V ex dicto iuridico sensu derivasse videtur, quod perinde est ac *individualiter,* quem sensum usus confirmavit.

ces sibi non reservarunt; alii sub nulla expressa censura sunt prohibiti: quaeritur, an omnes libri per Litteras Apostolicas nominatim prohibiti, vi secundae partis articuli II, evaserint pari modo prohibiti sub poena excommunicationis speciali modo reservatae.

Respondeo: illi tantum libri, per Litteras Apostolicas nominatim prohibiti, videntur comprehendi sub secunda parte articuli II, qui iampridem prohibiti in Litteris Apostolicis reperiuntur sub poena excommunicationis Romano Pontifici reservatae.

Eiusmodi responsio, prima fronte, minus vera videri poterit: sed inspecto Constitutionis scopo, poenaeque gravitate; considerata praeterea materia de qua agitur, quisque facile sibi suadebit huius responsionis valorem.

Sane, inspecto Constitutionis scopo, qui est censuras limitandi, praesumi non potest ea Constitutionis verba *libros cuiusvis auctoris per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos* comprehendere, ex voluntate legislatoris, sub gravissima sua censura, eos libros, qui sub nulla censura, per Litteras Apostolicas iamdiu fuerunt prohibiti, vel eos libros, qui sub censura excommunicationis quidem fuerunt prohibiti, quam tamen Romani Pontifices sibi reservare in ipsa librorum prohibitione non censuerunt.

Haec praesumptio ex generali Constitutionis scopo et gravitate poenae desumpta, augetur magis si consideretur ipse articulus II, qui totus in eo est, ut coerceat censuras pro libris prohibitis indictas. Sane Bulla Coenae, ut vidimus *pag. 66,* indixerat excommunicationis reservatae poenam in scienter legentes haereticorum libros *haeresim continentes vel de religione tractantes:* ita ut omnes libri, qui essent haereticorum et de Religione tractarent, puta de theologia, de s. Scriptura, de re morali; vel conciones sermonesque de religione continerent et similia, sub excommunicatione reservata erant prohibiti: pariter omnes eorundem libri erant sub eadem poena prohibiti, qui etsi de religione non tractarent, tamen haeresim continerent. E converso articulus II haec omnia reducit ad libros haereticorum *haeresim propugnantes.* Item in Regulis Indicis excommunicatio, quamquam non reservata, ad alios quoque casus protendebatur. Si itaque articulus totus in id intendat, ut eiusmodi censurae coerceantur, dicta generalis praesumptio ex Constitutionis scopo desumpta, multo magis augetur in quaestione de qua agimus.

Haec praesumptio in certum argumentum videtur converti, si consideretur titulus, sub quo articulus II continetur. Titulus enim est: *Excommunicationes latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae:* sub hoc itaque titulo comprehenduntur tantum illae excommunicationes, quae iampridem erant Romano Pontifici reservatae, quae ad minorem numerum minoresque

casus coercitae, nova ratione a Romano Pontifice administrabuntur. Proindeque et ipsae excommunicationes reservatae per Litteras Apostolicas latae, coercitae sunt ad libros *nominatim* prohibitos.

Haec confirmantur, considerata materia de qua agitur; agitur enim de libris iamdiu prohibitis, qui susceptiles non sunt nova graviorique censura, nisi suppetant novae causae, quae censuram augendam esse suadeant.

Libri enim iampridem prohibiti aut in oblivionem ceciderunt, unde non amplius periculo sunt fidelibus (dixi fidelibus non alicui fideli; namque lex non est sollicita de eo quod difficile aut raro contingat), atque lex hoc pacto finem suum obtinuit, atque ita obtinuit, ut in praesentia Legislator libros illos non esset prohibiturus, si forte prohibiti non essent, multoque minus eos graviori censura augeret : quo sensu susceptibiles non sunt nova censura. Aut libri in oblivionem non ceciderunt, ut ex. gr. sunt libri hisce ultimis annis per Litteras Apostolicas prohibiti: iamvero hi libri iam iudicati fuerunt, peculiari iudicio de unoquoque emisso , sub peculiari prohibitione vel censura , prout et libri doctrina merita est, et circumstantiae rerum pro unoquoque libro suaserunt: si itaque non surrexerint novae causae, quae censuram augendam esse suadeant, praesumi non potest Legislatorem augere velle iam iudicatam pro unoquoque inflictamque censuram.

Itaque verba secundae partis articuli II de quo agimus ita sunt intelligenda *u libros cuiusvis auctoris per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos* sub excommunicationis poena Romano Pontifici reservata.»

Quae quidem verba, tum logice, tum grammatice congruunt cum eo articulo: logice congruunt cum articulo qui agens de haereticorum libris eos tantum libros sub censura coercuit, qui *propugnent haeresim:* grammatice congruunt cum articuli titulo bis verbis expresso *u excommunicationes latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae »* ita ut tota difficultas reducatur ad grammaticalem reticentiam ex titulo facile supplendam. Pontifex enim voluit , ut in vigore permaneat excommunicatio reservata in legentes libros haereticorum haeresim tantum propugnantes , et excommunicatio reservata in legentes libros cuiusvis auctoris lata per Litteras Apostolicas: quam reservationem, in sua ordinaria facultate iam positam, nov» dispositione est administraturus, eandemque distinguere voluit a communi reservationum administratione per verba *speciali modo.*

Ex animadversionibus hactenus factis haec consequuntur.

I° Libri nominatim prohibiti sine censura per Litteras Apostolicas nullam mutationem subeunt vi Constitutionis. Quod si propter ipsorum

indolem subiecti erant excommunicationi indictae per Regulam X Indicis hanc excommunicationis censuram amittunt, manentes tantum prohibiti sine censura.

2° Libri pari modo prohibiti Clericis sub censura suspensionis, etsi reservatae, videntur ipsis manere prohibiti sine ulla censura.

3° Libri iidem nominatim prohibiti sub excommunicationis poena non reservata, sive haec excommunicatio congruat cum illa quae per indicem librorum prohibitorum lata est, sive sit Auctoritate Apostolica tantum lata, manent prohibiti sine ulla censura.

4° Libri, qui in posterum per Litteras Apostolicas nominatim prohibebuntur, si prohibeantur sub poena excommunicationis Romano Pontifici reservatae, eo ipso intelligendi erunt prohibiti sub hac censura *speciali modo* reservata.

In afferendis exemplis librorum prohibitorum per Apostolicas Litteras, incepi post aetatem Alexand. VII. Hoc feci ex duplici causa, tum quod post eam aetatem frequentius saltem Romani Pontifices libros aliquos per Apostolicas Litteras nominatim prohibuerunt, tum quod Alexander VII omnes poenas antiquiores per Decreta, vel Constitutiones Apostolicas latas, reduxit ad poenas per Regulas Indicis indictas, firmis tantum poenis indictis per Bullam Coenae

Nam ante Alexandrum Vlf, sr excipias Bullam Urbani VIII, *In eminenti*, editam die 6 Martii 1641, qua sub poena excommunicationis sibi reservatae prohibuit Librum Cornelii Iansenii Episcopi Iprerisis, cui titulus *Augustinns*, nec non plura alia opuscula ob silentium id temporis iniunctum scribendi disputandique de auxiliis gratiae Dei liberoque arbitrio, vix et ne vix quidem alias reperies Apostolicas Litteras, quae libros nominatim prohibuerit.

Nonnullae quidem extiterunt Pontificiae Constitutiones, quae per modum regulae prohibuerunt sub variis poenis aliquod librorum genus vel nova aliqua dispositione proscripserunt veti tos libros, ut videre est in Constitutione Pii IV *Cum inter crimina*, édita die 27 Augusti 1564. Nec non in Constitutione Clementis VIII, *Cum Hebraeorum*, edita die 28 Februarii 1593, qua renovans poenas a suis Praedecessoribus latas in impios libros Thalmudicos, districtius prohibuit omnia opera, commentaria , tractatus editos vel edendos, qui easdem haereses, errores et impietates continerent sub poena excommunicationis aliarumque poenarum temporalium (1).

Immo varia extiterunt Decre

(1) Heic commemorare quoque placet Constitutionem Sixti V, *Caeli ei terrae*, edit die 5 Ianuarii 1685, qua districtius prohibuit varias magiae formas, quae id temporis in» valuerant: quae quidem, si nonnulla accidentalia excipias, in multis conveniunt cum *Spiritismo* nostrae aetatis. In parte enim narrativa huius Constitutionis inter cetera haec leguntur: « *Alii autem sunt, qui eum morte foedus ineunt et pactum faciunt cum inferno,*

auctoritate Pontificia pro rerum opportunitate edita, quorum nonnulla referuntur in Constitutione modo allegata Urbani VIII, *In eminenti*. Sed eiusmodi omnes poenarum varietates Alexander VII ad poenas per Regulas Indicis latas reduxit, salvis manentibus tantum illis poenis , quae vi Bullae coenae inflictae erant.

Etenim Alexander VII in Constitutione *Speculatores*, edita die 5 Martii 1614, nova commodiorique forma renovavit Indicem librorum prohibitorum illumque ut authenticum Indicem proponens, edixit: *u Init* violabiliter et inconcusse observari *n* mandamus ét praecipimus sub poe» nis in Constitutione recolendae » memoriae Pii Papae IV etiam prae*n* decessoris nostri super dicti Indi» cis Tridentini confirmatione edita *n* contentis *ad quas varietatis veteri rum Decretorum in proponendis n transgredientium poenis tollendae n gratia ¿ omnes et singulas poenas n per Constitutiones Apostolicas et » Decreta anteriora huiusmodi quoti modolibet inflictas harum serie refi ducimus, firmis tamen manentibus tf his, quae de auctoribvis et libris » damnatis in Litteris Apostolicis rr die* Cornue *Domini publicari soliti tis sancita sunt, circa quos nihil n omnino mutare ac ne contingere rr quidem intendimus .n*

Secretarius S. Congregationis Indicis in edendo Librorum prohibitorum Indice anno 1841 haec inter cetera in praefatione notavit: *u* reff ticendum non putamus, quod non *v* ii dumtaxat libri excommunicatio*n* nis reservatae poena sunt proscri*tt* pti, qui ab haereticis compositi *n* de Religione catholica ex professo *it* agunt, haeresesque docent, quod *tt* Litteris Apostolicis die Coenae Do*tt* mini legi solitis et Constitutione » Alexandri VII, quae incipit, *Speri culatores*, statuitur; sed quod ii et*V* iam fere omnes libri huiusmodi » poena proscribuntur, qui *postprae- n dictam Alexandri VII Constitutio- n nem editam die 5 Martii anni 4 66 i n Brevibus aut Bullis Pontificiis proli hibiti indicantur, ut ex ipsis Breit vibus intelligi potest ad quae Lett clores remittimus.n*

Si itaque quaeratur, a quo tempore inquirendae erunt Apostolicae Litterae, quae Libros nominatim prohibeant, comprehensae sub articulo II de quo agimus: respondendum erit, post Pontificatum Alexandri VII;

qui similiter ad occultorum divinationem, ad inveniendos thesauros, vel ad alia f aanora patranda, etiam exprès se cum diabolo pactione facta, in manifestam suarum perniciem animarum, nefarias magnae artis incantationes, instrumenta et veneficia adhibent, circulos et diabólicos characteres describunt, daemones invocant aut consulunt, ab eis responsa petunt" aut accipiunt etc. » Consulens autem Pontifex eiusmodi magarum artium prohibition!, conf irmavit quoque Regulam Indicis de hisce rebus agentem cum poenis in eodem Indice const itutis, facultate quoque facta Inquisitoribus procedendi aliis condignis poenis. Nescio quo: modo contigerit, ut auctores nonnulli, non obscuri nominis, in hac Constitutione repererij it excommunicationem reservatam; quum Sixtus V nullam inliis erit excommunicationem.

immo responderi quoque posse videtur, a Pontificatu Clementis XI, ab initio videlicet elapsi saeculi.

Namque omnes Litterae Apostolicae, ante Alexandrum VII latae, reductae sunt, quoad poenas, ad ius commune, sive Regularum Indicis, sive Bullae Coenae; atque proinde si quae fuerint cum excommu' nicatione peculiari reservata, quae non cohaereret cum Bulla coenae, cessaverunt, atque libri manserunt ptohibiti iuxta Regulas Indicis: neque, ut vidimus, Constitutio *Apostolicae Sedis,* aliquid superaddidit praeteritis Apostolicis Litteris. Post Pontificatum vero Alexandri VII; primae, quas re peri Litteras Apóstol ieas, libros nominatim damnantes sub excommunicatione reservata, sunt illae Clementis XI, iuxta exempla » quae successive adduxi pag. .117, quae quidem exempla , quamquam incompleta, ex inductione quadam, satis esse puto ad arguendum, saltem probabiliter, non praeextitisse alias litteras Apostolicas, quae a norma Alexandri VII praestituta recesserint (1).

Fortasse non deerunt, qui quaerant elenchum librorum nominatim prohibitorum per Literas Apostoli-

ci) Exstat ipsius Alexandri VII Bulla *Cum ad aures,* die 25 Iunii 1665 edita, idest uno fere post anno, a quo prodiit eius Constitutio, *Speculatores:* attamen haec Bulla quae de duobus libris nominatim expressis agit, sancit quidem sub excommunicatione reservata, sed non prohibet eorum librorum lectionem: prohibet enim approbationem quarundam censurarum, quae in his duobus libris non auctoritate competenti inustae erant doctrinae a S. Sede non iudicatae aut non reprobatae aut admissae: ideoque prohibitio facile resolvitur in damnationem quarumdam censurarum in his libris contentarum. Hi libri hos titulos, habent, primus: *u Censura sacrae facultatis theologicae Parisiensis in librum cui titulus » est,* La défense de l'authorité de N. S. P. le Pape, de nosseigneurs les Cardinaux, les » Archevesques et Evesques et de l'employ de la, religion de Mendians contre les erreurs de " ce temps, par Jacque de Vernat à Mets 1658.» Alter vero: « *Censura sacrae facultatis " theologicae Parisiensis in librum, cui titulus est,* Amadei Örimensis Lomarensis, olim « primarii sacrae theologiae professoris, opusculum singularia universae fere theologiae " moralis complectens adversus quorundam expostulationes contra nonnullas Iesuitarum » opiniones morales ad tractatus de peccatis, de opinione probabili, editum novissime etc. « Lugduni. . . 1664, cum approbatione et superiorum permissu, *Parisiis 1665.»* In quibus libris *(sunt verba Bullae)* censura praesumptuosa notantur aliquae propositiones, eaeque praesertim, quae ad Romani Pontificis et Sanctae Sedis Apostolicae auctoritatem, Episcoporum iurisdictionem, Parochorum munus, privilegia a Sancta Sede concessa , dispensationes Apostolicas actionumque moralium regulam pertinent et aliae, quae et gravissimorum scriptorum auctoritate et perpetuo catholicorum usu nituntur.»

Sanctio autem his verbis infligitur: « *Mandamus insuper, ne quisquam. . . praedictas censuras adprobet, sequatur atque defendat, neve in publicis aut privatis lectionibus, disputationibus, sessionibus aut aliis actis publicis illas sequatur tueatur aut doceat, neve in libris aut etiam scripturis publicis vel privatis, aut alio quocumque modo illas alleget sub poena excommunicationis latae sententiae ipso facto incu.rrtndae, cuius absolutionem nobis et Sedi Apostolicae reservamus.»*

Eiusmodi Alexandri VII Bulla omissa fuerat in Bullario, cui titulus, *Bullarii Bomani ab Urbano VIII usque ad Clementem X Tomus V Lugduni 1678 :* atque hac de causa hic BuUarii tomus fuit prohibitus Decreto Indicis 25 Ianuarii 1684 cum clausula *donec in' eo ponatur Bulla Alexandri VII data* VII Kal. Iunii 1665, quae incipit, *Cum ad aures.*

cas sub excommunicatione reservata. Namque in Indice librorum prohibitorum indicantur quidem libri prohibiti ner Litteras Apostolicas, sed non indicatur poena sub qua prohibentur. Be quidem vera id dare cogitaveram atque manum ad opus apposui; quod, si perfectum elenchum dare non possem, saltem aliquem elenchum, aliorum diligentia perficiendum, dare potuissem. At vero dum opus sum aggressus animadvertere debui opus non utile me facturum.

Namque multi sunt libri sub reservata excommunicatione prohibiti, qui ex hominum memoria exciderunt, quos in memoriam revocare haud expediret: alii sunt qui prohibiti eadem censura fuerunt potissimum propter temporis locorumque circumstantias, quae iamdiu cessarunt: quos libros, pariter e morte excitare supervacaneum foret.

Quum autem ea perniciosa plurium librorum pravorum celebritas cessaverit; proindeque cessaverit perversionis damnique periculum, iam in ea conditione varii iamdiu prohibiti libri versari videntur, in qua conditione sunt vetustissimi libri ab Ecclesia damnati propter errores. Notum enim est, ipsos vetustissimorum haereticorum libros considerari in praesentia tamquam monumenta ad texendam cognoscendamque veterum haeresum errorumque historiam, quin eos legentes censuris subiaceant. Manebunt quidem in aeternum damnati propter errores: sed longe abeunte quovis damni perversionisque periculo, non amplius existimantur, saltem Ecclesiasticis scientiarumque Cultoribus, prohibiti.

Quod autem antea nonnisi longo saeculorum intervallo contingere poterat, ut libri olim damnati, tamquam monumenta historica considerari possent, aetate nostra post expeditissimum typorum inventum, quo libri in immensam molem quotidie concrescunt, et cum librorum copia concrescit quotidie levitas idearum, mutatio et transformatio errorum; multo facilius contingere potest, ut praeteriti libri, damnatione et censuris, propter aetatis errores, muleta* ti, evadant tantum historica documenta eorundem errorum, qui pro tempore invaluerunt.

Ceterum, quamquam in iure tradatur, legem ex se cessare, quando cessaverit adaequatus legis finis; difficile tamen est iudicare in singulis casibus, utrum legis finis adaequate cessaverit (1): in re autem de qua agi-

Cl) Errarent profecto, qui existimantes positivae legis anem sibi cessare, legem violarent: non enim intelligerent effatum illud: *cessante adaequato fine legis legem ipsam cessare:* vel confunderent legem positivam cum praecepto naturali.

Lex fertur in universam communitatem ob rationabilem finem, quem obtinendum Legislator sibi praestituit: eademque lex tamquam mensura actuum subditis iniungitur: atque ideo subditi hac mensura seu dispositione ligantur; non autem ligantur mensurae fine a Legislatore intento: unde puto derivasse vulgare adagium: *finis legis non cadit sub lege.*

mus, certum ex ipsa lege habemus, neminem poenam prohibitionis subire, qui non *scienter* legerit librum prohibitum : stante autem animadversione, quam feci, utilius est ut memoria eorum librorum, qui periculo esse non amplius videantur, penitus pereat.

Quod et deputati Tridentini Patres, ipso suo tempore, in concinnando Librorum prohibitorum indice fecisse videntur, ut vidimus in Regula I, *pag. //3*, his verbis concepta: «Libri omnes, *quos ante au-*
ri num 45Í5, aut summi Pontifices
r> aut Concilia oecumenica damna-
ti runt et in hoc Indice non sunt,
a eodem modo damnati esse cense-
a antur sicut olim damnati fuerunt.» Omiserunt videlicet eorum librorum catalogum , quamquam sanctiones renovaverint.

Aetate qua vivimus apparet quoque, quantae necessitatis sit in tot tantisque supervenientibus et variabilibus erroribus , quibus effraenis cogitandi scribehdique licentia circumvolvitur, firmissimum auctoritatis viventis robur, cui docenti quisque fidelium absque ulla tergiversatione plene noscat, intellectum se submittere teneri. Media enim iam ab Ecclesia praestituta sive per librorum prohibitorum Indicem, sive per prohibitionem edendi libros sine auctoritatis ecclesiasticae permissione ad coercendam eiTraenem scribendi licentiam , librorumque pravorum diffusionem, munimina evaserunt, quae a librorum et ephemeridum colluvie superantur.

Antequam claudam eiusmodi meam elucubratiunculam, abs re non erit respondere cuidam difficultati quae mihi in scriptis mota est.

Mihi quaerenti, *pag. 9 in nota*, an ephemerides seu diaria eorundem (apostatarum et haereticorum) haeresim propugnantia sub ea censura (excommunicationis Romano Ponti-

Quare cessante fine legis pro aliquo vel aliquibus individuis, non inde ipsi a dispositione legis solvuntur, quum non per legis finem ligentur.

Verum si integer finis legis ipsi legi cesset, tunc lex non amplius habet suam existendi rationem: ideoque ex se cessat : ipsa autem cessante, cessat omnium subditorum ligamen. Hoc sensu intelligitur effatum iUud, *cessante adaequato fine legis ipsam legem cessare.*

S. Alphonsus in c. *5 Appendicis III, De librorum proMbit,* scitissime reiicit quandam opinionem cuiusdam Caramuelis. S. Doctor hanc sibi quaestionem proposuit : « Quaeritur : » an qui moraliter certi sint, nullum perversionis periculum incurrendi, possint absque li- » ceutia prohibitos libros legere?

» Probabile esse eo casu quod possint, putarunt aliqui cum Caramuele (laxorum facile « principe) dicentes, quod cessante fine legis adaequato, cessat lex prohibitionis. See cum » sententia communissima... *omnino, negandum.»*

Animadvertendum tamen est, quod licet finis legis non liget subditos, sed dispositio legis ; attamen finis legis sive in ipsa lege expressus, sive aliunde intelligendus, non debet ab interprete negligi: est enim princeps canon ad intelligendam plenius explanandamque legem: unde non bene aliqui scribunt vel loquuntur, dicentes: *non debemus esse solliciti de fine legis.* Hoc verum est, quando dispositio legis nullam dubitationem admittat, sed ad eius intensivam et extensivam vim, seu eius sententiam plenius intelligendam prae oculis habendus est finis legis.

fici speciali modo reservatae) sint prohibita? respondi: *non videntur sub ea censura prohibita; quia diaria, quousque folia manent per se completa, non veniunt sub nomine librorum.*

Qui difficultatem contra eiusmodi meam opinionem movit, non distinguebat prohibitionem a censura: in quam confusionem plures incidunt. Sedulo est animadvertendum, Constitutionem, *Apostolicae Sedis,* coercere quidem generalium censurarum numerum; sed reliquas prohibitiones vel reliquas poenas, quae non sint censurae, in eodem statu per se relinquere, quo erant ante Constitutionem. Notum enim est, nomine censurarum venire tantum excommunicationem maiorem vel minorem , suspensionem , et interdictum, iuxta responsionem Innocentii III *cap. 20 De verb. significatione,* ubi legitur : *u Quaerenti, quid per censuram ecclesiasticam debeat intelligi , cum huiusmodi clausulam in nostris litteris apponimus: respondemus, quod per eam non solum interdicti, sed suspensionis et excommunicationis sententia valet intelligi.v*

Difficultas autem mota consistebat, in hoc, quod et dantur ephemerides seu diaria, quae longam scripturam continent, et non est probabile, quod lex ecclesiastica respiciat materialem librorum formam, quod opponeretur Ecclesiae spiritui.

Ut huic obiectioni satisfaciant, recolere iuvat, quod ante ipsam Constitutionem iam inter probatos auctores disputabatur. S. Alphonsus, practicus Ecclesiae doctor, in Appendice *de libror. prohib.* quam adiunxit libro 1 *tract. 2 de legibus,* haec scripsit in *c. ö* §. 7: *u* Dubita» tur I°, an incurrat excommunica» tionem, qui legit haeretici *concio- ri nem* aut epistolam *seorsim editam? n* Affirmant alii. . . sed negant alii *n (numero multo maiores)* ratio, quia *n* revera huiusmodi concio vel epistola *non potest dici liber:* et in » hac re dicunt stricte faciendam » esse interpretationem, cum agatur » de re odiosa, utpote de poena *n* incurrenda.»

a Dubitatur 2°, an -incurrant cen» suram legentes manuscripta haere» ticorum? Negant Azor... affirmant » tamen constanter Holzm... dicen» tes, manuscripta adhuc venire *sub n nomine librorum* etc.»

Tota itaque quaestio ante Constitutionem reducebatur ad hoc, utrum concio aut epistola, vel libri manuscripti, venirent *sub nomine librorum:* atque cum ageretur de re poenali, stricta interpretatio erat facienda. Si haec id temporis valebant, multo magis nostra aetate valent, qua ex communi dicendi ratione der terminata omnino est distinctio inter libros et alia scripta quae libri formam non exhibent, inter quae ephemerides seu diaria, seu folia, sive haec ampliora sive minora sint: neque supponi potest, Legislatorem eiusmodi vulgaria discrimina ignorare.

Quod autem noii sit probabile

et spiritui Ecclesiae adversetur, quod ecclesiastica lex respiciat materialem formam; est aequivoca obiectio. Non enim Ecclesia prohibet libros propter materialem formam ; sed prohibet libros propter venenum quod per eam formam abundantius et efficacius propinari solet. Sane diaria et folia, quo ampliora sunt, eo minus legi solent: quo magis exigunt intellectus contemplationem, eo magis negliguntur: raptim leguntur, ut inde dereliquantur; quaeruntur enim in ipsis notitiae opinionesque dierum; atque fluunt et refluunt, quin magni aestimentur. E converso libri aestimari conservarique solent, iique non tantum specietenus leguntur, sed studio et contemplatione pcrvolvuntur, variis linguis evulgantur, passim, quasi essent sapientiae fontes, allegantur.

Ceterum, quando agitur de poenis, nisi .sententia legis extendere cogat strictum verborum sensum; verba non sunt ultra id quod stricte exprimunt protcudenda. in praesenti autem themate vox *libros*, considerata etiam cum tota articuli, de quo agimus, structura , non alio sensu accipitur, quam *ex* communi diccnd' ratione accipi solet : eadem enim poena muleta n tur *scienter legentes sine Auctoritate Sedis Apostolicae libros apostatarum et haereticorum* haeresim propugnantes, qua mulctantur eosdem libros *retinentes, imprimentes* et quomodolibet *deferentes:* quae verba *retinentes, imprimenles, defendentes,* quemadmodum ae* gre in facto cohaererent cum diariis (quis enim defendit diaria?); ita optime cohaerent cum voce *libros* communi sensu accepta.

Ephemerides itaque seu diaria seu folia haereticorum *per se completa* (quae scilicet non sint libri partes eiusdem argumenti; quam quaestionem omitto) haeresim propugnantia, non videntur sub ea censura prohibita. Hic potius quaeri potest, sub quanam prohibitione comprehendantur?

Respondeo: solent esse prohibita iure naturae ob periculum perversionis , quo in casu Confessarii praesertim admonere debent suos poenitentes, non posse eos ephemerides legere, quum sese exponant periculo perversionis, vel sensim sine sensu pervertantur: potest esse prohibita iure naturae harum ephemeridum emptio ; namque, qui eas emunt> sine rationabili causa, quae eos excusare valeat, cooperantur, quamquam tenuiter, in pravissimam causam ; sunt enim, per eiusmodi emptionem , ephemeridum socii ; namque sine sociis emptoribus ephemerides subsistere non possent.

Possunt esse prohibita eiusmodi diaria per positivam Ordinarii prohibitionem: officium enim in Ordinarios incumbit prohibendi suis dioecesanis harum ephemeridum lectionem per positivum praeceptum si periculum perversion s adsit, cui, sj opus sit, possunt adiungere quoque ecclesiasticas censuras. Ve! saltem , si per praeceptum eiusmodi pravas, sive haereticorum sive non haereti-

corum, ephemerides prohibere non existiment, tenentur declarare, vetitas easdem esse iure naturae; ideoque fideles non posse easdem legere; quo pariter in casu, iudicabunt Confessarii, quinam ex poenitentibus possint vel non possint eas legere, iuxta periculum, quod cuique immineat vel non immineat perversionis.

Ad librorum, libellorum, pravarumque ephemeridum prohibitionem quod attinet, per locorum Ordinarios faciendam, recentissima est circularis Epistola ad eosdem missa per S. Congregationem Indicis. Aetate enim qua vivimus, neque potest S. Sedes de omnibus libris, qui eidem iudicandi deferantur, iudicare propter magnum eorum numerum: neque saepe expedit: namque non expedit, ut libri vel libelli aut ephemerides, quae perniciosae reputantur in aliqua civitate aut dioecesi vel provincia, per iudicium S. Sedis denuncientur Universo Orbi, ex quo potius celebritatem acciperent. Quare officium Episcoporum non raro excitat his in adiunctis S. Sedes, ut ipsi libros, quisque in propria dioecesi, prohibeant; ex qua prohibitione suspecti saltem evadunt in dioecesibus finitimis.

Epistola autem circularis, quam dixi tenoris est qui sequitur.

J7/me *ac Rme Domine*

u Inter multiplices calamita tes, quibus Ecclesia Dei luctuosis hisce temporibus undique premitur, recensenda profecto est pravorum librorum colluvies universum pene orbem inundans, qua per nefarios ac perditos homines divina Christi Religio, quae ab omnibus in honore est habenda, despicitur, boni mores, i oca uta e praesertim iuventutis, penitus labefàctantur, et socialis quoque consuetudinis iura et ordo sus deque vertitur et omnimode perturbatur. Neque ut vetus ipsorum mos erat, id praestare tantum nituntur libris magno apparatu scientiae elaboratis, sed et parvis, qui minimi veneunt libellis, et per publicas, atque ad hoc confectas ephemerides, ut non litteratis modo et scientibus virus illud insinuent, sed rudioris cuiusque et infimi populi fidem, simplicitatemque corrumpant.

» Qui autem super gregem Christi vigilias agunt legitimi Pastores, ut hanc perniciem a populis sitti commissis avertant, ad Sacram Indicis Congregationem quoscumque ex iis libris de more deferunt, zelo adlaborantes, ut Romanae Sedis habito iudicio, et proscriptione a vetita lectione talium fideles deterreant. Neque Iis difficilem se praebuit, et praebet S. Congregatio, quae quotidianam operam studiumque impendit, ut officio sibi a Romanis Pontificibus demandato satisfaciat. Quia tamen ex toto Christiano Orbe increbrescentibus denuntiationibus praegravator, non id praestare perpetuo valet, ut promptum et expeditum super quavis, causa ferat iudicium :

ex - quo fit,[1] ut aliquando serotina nimis sit provisio, et inefficax remedium, cum iam ex lectione istorum librorum enormia damna processore.

» Ad hoc incommodum avertendum non semel Romani Pontifices prospexerunt, et ut aliarum aetatum exempla taceamus, aevo nostro per sa. me. Leonem XII mandatum editum est, sub die 26 Martii 1825, ad calcem Regularum Indicis insertum, et hisce litteris adiunctum (1), vi cuius Ordinariis locorum praecipitur, ut libros omnes noxios in sua dioecesi editos, vel diffusos, propria auctoritate proscribere, et e manibus fidelium avellere studeant.

» Cum autem huius Apostolici mandati provida Constitutio praesentibus fidelium necessitatibus, et tuendae doctrinae morumque incolumitati optime respondeat, SSmo Domino Nostro Pio PAPAE IX placuit eius memoriam esse recolendam, tenorem iterum vulgandum, et ab Ordinariis locorum observantiam exigendam, quod excitatöriis hisce nostris litteris, nomine et auctoritate Apostolicae Sedis sollicite praestamus. Queis si debita obedientia respondeat (sicuti pro certo habemus), gravissima mala removentur in iis praesertim dioecesibus, in quibus promptae coercitionis urgeat necessitas. Ne vero quis praetextu defectus iurisdictionis, aut alio quaesito colore Ordinariorum sententias et proscriptiones ausu temerario spernere, vel pro non latis habere praesumat, Eis Sanctitas Sua concessit, sicut Nomine et Auctoritate Eius praesentibus conceditur, ut in bac re, etiam tamquam Apostolicae Sedis Delegati, contrariis quibuscumque non obstantibus, procedant.

» Ad Apostolicum autem Iudicium ea deferantur opera vel scripta, quae profundius examen exigant, vel in quibus ad salutarem effectum consequendum Supremae Auctoritatis sententia requiratur.

» Interim Tibi Illffie et Rme Domine copiosa divinorum charismatum incrementa ex animo precamur, et ad pergrata quaeque officia nos paratissimos exhibemus.»

Datum Romae die 24 Aug. 1864.

Itaque vi praesentis Epistolae locorum Ordinarii possunt ad libro-

(1) *Mandatum 8. M. Leonis XII additum Decreto 8. Congregationis Indicis die 8abbati 26 Martii 1825.*

« Sanctitas Sua mandavit in memoriam revocanda esse universis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque in Ecclesiarum regimen praepositis ea quae in Regulis Indicis Sacrosanctae Synodi Tridentinae iussu editis atque in observationibus, Instructione, Additione et generalibus Decretis Summorum Pontificum Clementis VIII, Alexandri VII et Benedicti XIV auctoritate ad pravos libros proscribendos, abolendosque Indici Librorum prohibitorum praeposita sunt, ut nimirum, quia prorsus impossibile est, libros omnes noxio[8] incessanter prodeuntes in Indicem referre, propria auctoritate illos e manibus Fidelium evellere studeant, ac per eos ipsimet fideles edoceantur quod pabuli genus sioi salutare, quod noxium ac mortiferum ducere debeant, ne ulla in eo suscipiendo capiantur specie, ac pérvërtantur illeeebra.»

rum prohibitionem procedere non solum iure proprio, sed etiam tamquam Apostolicae Sedis delegati, Subintelligitur autem, quod, illi, qui fortasse ex Ordinarii prohibitione existiment se gravatos, effugium habeant ad S. Sedem per appellationem: namque a iudicio delegati appellatio fit ad delegantem.

DE IMPRESSIONE LIBRORUM DE REBUS SACRIS TRACTANTIUM SINE ORDINARII APPROBATIONE ALIORUMQUE IMPRESSIONE LIBRORUM.

Constitutio, *Apostolicae Sedis,* servans universim Tridentinas censuras exceptionem addidit §. *Praeter pag. 34,* his verbis: *excepta anathematis poena in Decreto sess. IV* De editione et usu Sacrorum Librorum, *constituta, cui illos tantum subiacere volumus, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt aut imprimi faciunt.*

Expedit huius Tridentinae censurae, quam Constitutio limitavit, historiam, tum quae praecessit, tum quae subsequuta est, breviter recolere.

Aetate Leonis X, arte imprimendi libros potissimum inventa, seu aucta et perpolita, ne contra Divinam gloriam eiusmodi artis inventum converteretur, Leo X in Concilio novissimo Lateranensi, Constitutione, *Inter sollicitudines,* die 4 Maii 1515 haec statuit: «Nos ita» que, ne id, quod ad Dei gloriam i> et fidei augmentum ac bonarum » artium propagationem salubriter » est inventum, in contrarium con- v vertatur oc Christifidelium saluti » detrimentum pariat, super libro- v rum impressione curam nostram » habendam fore duximus, ne de v cetero cum bonis seminibus spi- » nae coalescant vel medicinis vene- » na intermisceantur.

» Volentes igitur de opportuno » super his remedio providere, hoc » sacro approbante Concilio, ut ne- T, gotium impressionis librorum hu- » iusmodi eo prosperetur felicius, » quo deinceps indago solertior di- » ligentius et cautius adhibetur, sta- » tuimus et ordinamus, quod de ce- n tero, perpetuis futuris temporibus, n *nullus librum aliquem seu aliam » quamcumque scripturam, tam in » Urbe nostra, quam in aliis quibus' n vis civitatibus et dioecesibus, im- » primere seu imprimi facere prae- v sumat, nisi prius in Urbe, per Vi- » carium nostrum et sacri Palatii » magistrum; in aliis vero civitati- » bus et dioecesibus per Episcopum n vel alium habentem peritiam scien- n tiae libri seu scripturae huiusmodi » imprimendae, ab eodem Episcopo » ad id deputandum, ac Inquisiio- r> rem haereticae pravitatis civitatis v sive dioecesis, in quibus librorum n impressio huiusmodi fieret, dili- » genter examinentur, et per eorum » manus propriae subscriptionem, sub r> excommunicationis poena, gratis et » sine dilatione imponendam, ap- » probentur.*

i Qui autem secus praesumpserit,

»ultra librorum impressorum amis- n sionem et illorum publicam corn- il bustionem ac centum ducatorum fa- ri bricae Basilicae Principis Aposto- li lorum de Urbe, sine spe remissionis, n solutionem ac anni continui exer- 7> citii impressionis suspensionem, ex- it communicationis sententia innoda- ti tus existat ; ac demum, ingrave— n scente contumacia, taliter per Epi- n scopum suum vel Vicarium nostrum n respective, per omnia iuris remedia n castigetur, quod alii, eius exemplo, n similia minime attentare praesu- li mant. »

Haec tamen prima Constitutio cum suis poenis non fuit a principio usu recepta ceu tradit Suarez *de censur. disput. 23 sect. 7* cum Ca^ ietano, *verb. Excomm. in fin.* Navarro, *cap. 27 n. 4U, et 448,* Toleto, *I. 4 c. 40 in fin.*

Synodus Tridentina, quae proxime subsequuta est, eam Constitutionem ex parte innovavit in *sess. 4* in Decreto *De editione et usu sacrorum librorum.* Namque agens Tridentina Synodus de iis, qui detorquent ad suos sensus sacram Scripturam per interpretationes contra eum sensum, quem tenuit et tenet S. Mater Ecclesia, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, constituit, ut huiusmodi homines *per Ordinarios declarentur et poenis a iure statutis puniantur.* Deinde sic prosequitur.

u Sed et impressoribus modum *n in hac parte,* ut par est, imponere » volens, qui iam sine modo, hoc » est putantes sibi licere quicquid *n* libet, sine licentia superiorum ec- *n* ciesiasticorum ipsos sacrae scriptu- *n* rae libros, et super illis annota- » tiones et expositiones quorumlibet » indifferenter, saepe tacito, saepe *n* etiam ementito praelo, et quod gra- tius est, sine nomine auctoris (1) » imprimunt, alibi etiam impressos *n* libros huiusmodi temere venales » habent, decernit et statuit, *ut post- ín hac sacra Scriptura, potissimum*

(1) Tempore Concilii Tridentini adhuc considerabatur tamquam gravis culpa, iuxta veterem consuetudinem, omissio nominis auctoris in fronte librorum. Ante typorum inventum libri sine nomine auctoris suspecti saltem considerati sunt: et primis Ecclesiae saeculis libri sine nomine auctoris conscripti a Romana Sede inter apocryphos facile recensebantur, quemadmodum inter apocryphos numerabantur libri, ceteroquin innocui, qui sub ementito celebris alicuius nomine vulgarentur: huius rei exempla videre est in supra citato Gelasii Decreto. Sic ex. gr. inter opuscula, quae Romana Ecclesia recipiebat recensentur gesta Sanctorum martyrum: sed tamen idem Decretum hanc clausulam adiungit: « sed ideo secundum » antiquam consuetudinem singulari cautela in Sancta Romana Ecclesia non leguntur, quia » et *eorum, qui conscripsere nomina penitus ignorantur,* et ab infidelibus et idiotis su- » perflua aut minus apta, quam rei ordo fuerit, esse putantur sicut cuiusdam Cyrici et lu- » littae; sicut Georgii, aliorumque eiusmodi passiones, quae ab haereticis perhibentur coni- » positae. Propter qnod, ut dictum est, *ne vel levis subsannandi oriretur occasio,* in San- » cta Romana Ecclesia non leguntur."

Sic pariter inter libros apocryphos Decretum Gelasii recenset celebrem *librum, qui appellatur Canones Apostolorum;* id certe ex ea praesertim ratione, quod sub ementito Apostuloium nomine circumferretur: quamquam disciplinam ex traditione Apostolica haustam liber, saltem quoad substantiam, contineret, ceu Critici existimant.

» vero haec ipsa vulgata editio, quam t> emendatissime imprimatur, nullique n liceat imprimere vel imprimi fa- it cere quosvis libros de rebus sacris » sine nomine auctoris., neque illos i» in futurum vendere, aut etiam apud n se retinere, nisi primum examinati » probatique fuerint ab Ordinario, n sub poena anathematis et pecuniae » in canone Concilii novissimi Late- ri ranensis apposita.» Haec pecuniae muleta erat centum ducatorum, ut vidimus.

Sed ampliori ratione dicta Constitutio Leonis X fuit innovata seu explicata per Regulam X Indicis. Sane in hac Regula fcaec fuerunt statuta : *u* In librorum, aliarumve *n* scripturarum impressione servetur, » quod in Concilio Lateranensi sub *r>* Leone X sess. X statutum est.

» Quare si in alma Urbe Roma » liber aliquis sit imprimendus, per *n* Vicarium summi Pontificis et sacri *n* Palatii Magistrum, vel personas a » SSmo Domino Nostro deputandas, *n* prius examinetur.

» In aliis vero locis ad Episco- » pum vel alium habentem scientiam *n* libri, vel scripturae imprimendae, » ab eodem Episcopo deputandum, » ac Inquisitorem haereticae pravitatis eius civitatis vel dioecesis, in *r»* qua impressio fiet, eius approba- » tio et examen pertineat et per eo- » rum manum, propria subscriptio- » ne, gratis et sine dilatione impo- *r>* nendam, sub poenis et censuris »in eodem Decreto contentis, ap- » probetur ; hac lege et conditione *a* addita, ut exemplum libri impri- *n* mendi authenticum et manu àu- » ctoris subscriptum apud examina- » torem remaneat.

a Eos vero, qui libellos manu- *ii* scriptos vulgant, nisi ante exami- » nati probatique fuerint, iisdem » poenis subiici debere iudicarunt *n* Patres deputati, quibus impres- *a* sores: et qui eos habuerint et le- » gerint, nisi auctores prodiderint, *n* pro auctoribus habeantur.

» Ipsa vero huiusmodi librorum *n* probatio in scriptis detur, et in *n* fronte libri vel scripti vel impressi *n* authentice appareat ; probatioque » et examen ac cetera gratis fiant.

» Praeterea in singulis civitatibus *n* ac dioecesibus domus vel loci, ubi » ars impressoria exercetur, et bi- *n* bliothecae librorum venalium sae- *n* pius visitentur a personis ad id *n* deputandis ab Episcopo, sive eius *n* Vicario, atque etiam ab Inquisì- » tore haereticae pravitatis, ut nihil *n* eorum, quae prohibentur, aut im- primatur, aut vendatur, aut ha- » beatur.

» Omnes vero librarii, et qui- *7i* cumque librorum venditores ha- 9 beant in suis bibliothecis Indicem *n* librorum venalium, quos habent, » cum subscriptione dictarum per- » sonarum; nec alios libros habeant «aut vendant, aut quacumque ra- » tione tradant sine licentia eorum- *n* dem Deputatorum, sub poena a- » missionis librorum et aliis arbitrio *n* Episcoporum vel Inquisiturum im- *n* ponendis: emptores vero, lectores

D vel impressores eorundem arbitrio
» puniantur.

» Quod si aliqui libros quoscum-
» que in, aliquam civitatem introdu-
» eant, teneantur iisdem personis
» deputandis renunciare, vel si locus
» publicus mercibus eiusmodi con-
» stitutus sit, ministri publici eius
» loci praedictis personis significent,
» libros esse adductos.

» Nemo vero audeat librum, quem
» ipse vel alius in civitatem intro-
» duxit, alicui legendum tradere vel
» aliqua ratione alienare aut com-
»modare, nisi ostenso prius libro
» et habita licentia a personis de-
» putandis, aut nisi notorie constet,
» librum iam esse omnibus per—
» missum.

» Idem quoque servetur ab hae-
» redibus et exsequutoribus ultima-
» rum voluntatum, ut libros a de-
» functo relictos sive eorum Indicem,
» illis personis deputandis afferant
» et ab iis licentiam obtineant, pri-
» usquam eis utantur aut in alias
» personas quacumque ratione eos
» transferant.

v In his autem omnibus et sin-
» gulis poena statuatur vel amissionis
» librorum vel alia arbitrio eorun-
» dem Episcoporum vel Inquisiturum
» pro qualitate contumaciae vel de-
» lieti.

y> Circa vero libros, quos Patres
» deputati aut examinarunt aut ex-
» purgarunt aut expurgandos tradis
» derunt, aut certis conditionibus,
» ut rursus excuderentur, conces-
» serunt, quicquid illos statuisse con-
n stiterit, tam bibliopolae, quam ce-
» teri observent.

r) Liberum tamen sit Episcopis,
» aut Inquisitoribus generalibus, se-
» cundum facultatem, quam habent,
» eos etiam libros, qui his Regulis
» permitti videntur , prohibere, si
»hoc in suis regnis aut provinciis
» vel dioecesibus expedire iudica-
» verint.»

Urbanus VIII per Decretum S.Inquisitionis editum die 3 Octob. 1625 haec pro degentibus in Statu ecclesiastico, mediate vel immediate Sanctae Sedi subiecto, constituit.

u Sanctissimus Dominus noster
» pro debito sui pastoralis officii cor-
» rigere volens abusus nonnullorum
» in Statu Sedi Apostolicae mediate
» vel immediate subiecto existen-
» tium, qui libros a se compositos
» extra praefatum Statum , absque
» ulla Ordinariorum et Inquisiturum
» loci, ubi degunt, approbatione ,
» imprimendos transmittunt; statuit
» et decrevit, ut in posterum nemo
» in Statu praedicto degens, cuiusvis
» conditionis, gradus, ordinis et di-
» gnitatis existat, libros de quavis
» materia tractantes et ubicumque
» compositos, audeat alio deferre vel
» mittere imprimendos sine expressa
» in scriptis approbatione SSmi et
» Rmi Domini Cardinalis SSmi D. N.
» Vicarii et Magistri sacri Palatii si
» in Urbe, si vero extra Urbem exi-
n stat sine Ordinarii et Inquisitoris
» loci illius, sive ab iis deputatorum,
» facultate et licentia operi prae-
» figenda.

r> Libros autem, quos contra prae-
T) sentis Decreti tenorem imprimi
v contigerit, praeter alias poenas ar-
T) bitrio Suae Sanctitatis infligendas,
n absque alia declaratione ex nunc
n prohibet, et pro expresse prohi-
» bitis haberi vult et mandat.»

Haec eadem Urbani VIII dispositio , excepta sanctione , renovata fuit ab Alexandro VII per *Observationes*, quas iussit addi ad Regulam X Indicis his verbis^

« Observandum est circa Regu-
T) lam decimam Indicis, quod degen-
» tes in Statu Sedi Apostolicae me-
n diate vel immediate subiecto non
n possunt transmittere libros a se
r> compositos alibi imprimendos, sine
x expressa adprobatione et in scriptis
» Emi ac Rmi D. Cardinalis SSmi
» D. N. Vicarii et Magistri sacri Pa-
* latii si in Urbe; si vero extra Ur-
» bem existant, sine Ordinarii loci
n illius, sive ab his, deputatorum
n facultate et licentia Operi infi-
r> genda.»

Dein Clemens VIII *Instructionem* edidit, quae praeponi solet Indici Librorum prohibitorum, in qua normas statuit pro iis, qui libris tum prohibendis, tum expurgandis, tum etiam imprimendis diligentem ac fidelem , ut' par est, operam sunt daturi.

Ex ipso Decreto Urbani VIII argui potest, Constitutionem Lateranensem Leonis X etiam post renovationem factam per Regulam X Indicis, fuisse iam aliqua ratione neglectam. Namque ex eo apparet extra Statum Pontificium non in omnibus saltem locis fuisse servatam.

Denique SSmus D. N. epistolam encyclicam dedit die 2 Iunii 1848 ad Episcopos aliosque, qui librorum edendorum canonicae censurae in temporali Sanctae Sedis Ditione praepositi sunt; in ea nonnulla ex veteri iure temperavit. Haec enim constituit.

u In Sess. X Concilii Lateranen-
» sis V, atque iterum in postrema
n Regularum Indicis, quae a Patri-
» bus conscriptae per Tridentinam
r> Synodum deputatis, et a Pio IV
v glor. mem. Decessore Nostro an-
» probatae fuerunt, nec non in aliis
n aliorum Romanorum Pontificum
n sanctionibus interdictum habetur,
» ut nulli omnino libri aut scripta
n evulgentur, nisi antea ecclesiastica
» auctoritate examinati probatique
n sint.

» Iamvero scribendi legendique
n aviditas et librorum, maxime au-
T) tem ephemeridum numerus, nostra
r> hac aetate ita in dies augetur, ut
n iam ecclesiasticis censoribus per-
r> difficile evaserit ipsos omnes ea,
n qua par est, maturitate expendere,
n ct latior etiam patuerit via illorum
r> fraudibus, qui doctrinas perversas
n et sacrae publicaeque rei noxias
» disseminare connituntur pagellis
r> et parvis praesertim libris clande-
77 stine editis, quorum porro impro-
7i bitas eo maiorem inducit fidelium
7i offensionem et scandalum, quod ad
n vigentium canonum tramites per-
n pensi reputantur riteque probati.

» Haec nos serio considerantes, *D* et nonnullis VV. Fratribus Nostris » S. H. E. Cardinalibus in consilium *n* adhibitis, habentesque ob oculos *n* Decretum Sessionis IV Concilii Triff dentini, ubi peculiares sanctiones *n* leguntur circa editionem et evul-*7)* gationem librorum de rebus sacris, •*n* deliberavimus mitigare aliqua ex *n* parte alias supra memoratas regii-*77* las, ut ita ecclesiastici censores *n* diligentius satisfacere valeant offi-*7i* cio suo arctioribus, limitibus defi-*n* nito, ne facile deinceps contingat, •*n* ut ipsorum iudicio probata omnino *v* videantur, quae ex parte saltem *n* eorum censurae fraudulenter sub-*i7* tracta sunt, vel ab eisdem haud sa-*7i* tis diligenter examinari potuerant.

Ti Itaque motu proprio et Apo-» stoliea nostra auctoritate Decretum *n* Concilii Lateranensis et ceteras *n* supradictas sanctiones moderando *n* et declarando decernimus atque *n* permittimus, ut posthac, et donec *r*> aliter ab hac Apostolica Sede sta-*7i* luatur , censores ecclesiastici in » locis temporali Nostrae ditioni sub-*7i* dilis de iis tantum solliciti sint, » quae Divinas Scripturas, Sacram » Theologiam. Historiam Ecclesiasti-ci eam, Ius Canonicum, Theologiam » naturalem, Elhicen, aliasque hu-*7*> iusmodi religiosas aut morales di-*7i* sciplinas respiciunt, ac generatim »de omnibus, in quibus religionis *TI* vel morum honestatis speciatim *r* intersit. Iuxta haec igitur statui-*7i* mus atque permittimus, ut in o-*n* mni ephemeridum et librorum ge-» nere illi dumtaxat sine praevia ec-*77* clesiastica censura edi nequeant, *77* qui moralis aut religiosi, uti di-*7i* ximus, argumenti sitit; in ceteris *77* vero, ii tantum articuli, qui simile *7i* argumentum habeant, vel causam *n* ipsam religionis aut morum hone-*71* statis proxime attingant.

7i Verum Nostrae huius permis-» sionis obtentu nemini unquam li-*7i* cebit evulgare iterum , et ne in *77* aliam quidem linguam conversos, *77* edere libros et scripta illa , quaa *n* praecedentibus ecclesiasticae au-» ctoritatis Decretis damnata et prohibita sint, aut in posterum pro-*7i* hibebuntur. Si quis autem scripta *n* vel libros huiusmodi denuo edide-*77* rit aut evulgaverit, vel aliter in *77* iis, quae Nostris hisce Litteris per-*7i* missa non sunt, supradictas cano-» num sanctaeque huius Sedis san-» ctiones violaverint, in posterum *n* pariter illis tenebitur censuris et *7i* poenis, quae anterioribus ipsis *n* sanctionibus statutae sunt. Nos *n* enim easdem sanctiones in omni-» bus, in quibus a Nobis derogatum *ri* illis non est, firmas esse volumus, *77* et Apostolica iterum Auctoritate *n* roboramus. Confirmamus etiam no-*n* minatim pecuniariam poenam in-*n* dictam in commemorato Decreto *7*> Concilii Lateranensis V; quam ta-*7i* men eatenus mitigamus, ut gra-*7i* vioribus quoque in casibus sum-» mam centum scutatorum nummum ? communis nunc romanae monetae

r) non excedat: atque ipsam in pios » usus prudenti Episcopi cuiusque » arbitrio erogandam mandamus,»

Quamvis haec iuris mitigatio respiciat Episcopos ceterosque in temporali R. Pontificis ditione existentes, quisque tamen facile intelligit, in aliis locis maiori quoque iure posse aptari, quum aliarum ditionum conditio non soleat esse felicior, quoad effrenem librorum ephemeridumque evulgationem, quam Status Romani Pontificis.

Ceterum censurae lata* ipso facto incurrendae atque in hac Constitutione confirmatae nunc cessarunt vi Constitutionis *Apostolicae Sedis,* atque ea tantum censura remanet, quae fuit a Concilio Tridentino inflicta, quaeque mitigata quoque est; eam enim contrahunt tantum illi, qui libros de rebus sacris tractantes, sine Ordinarii adprobatione imprimunt vel imprimi faciunt: quae quidem censura nulli est reservata.

Altera in scriptis mihi mota est obiectio contra ea quae adnotavi *pag. 35*. Ibi mihi quaerebam: quinam libri veniant sub nomine librorum de rebus sacris tractantium: atque respondi: *nomine librorum de rebus sacris tractantium illi intelligendi sunt, quos Tridentina Synodus in sess. IV de editione et usu sacrorum librorum intellexit; intellexit autem libros sacrae Scripturae et eorundem librorum adnotationes et expositiones*. Quam responsionem ex contextu Tridentini Decreti erui.

Obiectio vero his fere verbis significata mihi est: Verum quidem est, prima fronte eam responsionem, exclusive acceptam, contextui Tridentino videri conformem: sed tamen in eodem contextu expresse citari Constitutionem Lateranensem: in Constitutione autem Lateranensi sermonem esse de *quovis libro* impresso sine Ordinarii adprobatione.

Hinc, qui hanc obiectionem movit, a me quaesivit ut responderem ad duas has dubitandi formulas:

r An auctor de rebus religiosis obligatione teneatur submittendi librum suum Ordinarii adprobationi.

2° An eadem obligatione teneatur auctor de rebus profanis.

Post ea quae superius scripsi et ex documentis adductis facilis est responsio.

In proponenda eiusmodi obiectione consueta confusio commissa est sanctionis, seu censurae excommunicationis de qua Constitutio, *Apostolicae Sedis,* unice agit, cum ceteris obligationibus aliunde desumendis.

Non mihi quaesiveram *pag. 35,* quaenam scripta universim subicienda sint Ordinario pro adprobatione ut legitime imprimi evulgarique possint: sed quinam libri, neglecta adprobatione Ordinarii, imprimi non possint sine excommunicatione incurrenda de qua, loco citato, agit Constitutio.

Constitutio determinavit libros, quos determinaverat Tridentina Synodus, idest *libros de rebus sacris*

tractantes; atque poenam anathematis, cui ex Tridentina Synodo subiiciebantur libros de rebus sacris sine nomine auctoris, aut sine examine et adprobatione imprimentes, imprimi facientes, vendentes, retinentes, scripto communicantes aut vulgantes, coercuit ad imprimentes et imprimi facientes eos libros sine Ordinarii adprobatione.

Quinam autem libri veniant sub nomine librorum de rebus sacris tractantium, ex Tridentino Decreto non obscure videtur intelligi: intelligitur enim ex Decreti titulo, qui expresse significat agi *de editione et usu sacrorum librorum:* libri autem sacri, absque ulla haesitatione, sunt sacrae Scripturae. In comperto autem est penes Canonistas, titulos legum a Legislatore appositos, vim quoque legis habere; unde in legum interpretatione non raro in ore habent effatum illud: *Nigrum explicat Rubrum,* vel e converso *Rubrum explicat Nigrum.*

Idem intelligitur ex fine Decreti. Namque licentia editorum invaluerat putantium sibi licere quidquid liberet, qui neque ipsis sacrae Scripturae libris parcebant, eos indifferenter imprimentes et cum adnotationibus et expositionibus quorumlibet, saepe tacito, saepe etiam ementito praelo, et quod gravius est sine nomine auctoris, id temporis haeresi invalescente, quae tutamen errorum in sacrae Scripturae libris potissimum quaerebat per individuales arbitrarias interpretationes.

Quare ut fracnum aliquod impressoribus imponeretur , atque ideo, quoad fieri posset, immaculate servaretur, quod tanto labore et sapientia sancta Synodus definiverat et constituerat, statuit, *ut posthac sacra Scriptura, potissimum vero haec ipsa vulgata editio, quam emendatissime imprimatur, nullique liceat imprimere vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine auctoris etc.*

Res itaque sacrae, inspecto Decreti fine, non aliae sunt quam res de sacra Scriptura.

Idem intelligitur ex Decreti dispositione. Constituitur enim in eo Decreto, ut homines, qui detorquent ad suos sensus sacram Scripturam contra sensum quem tenet sancta Mater Ecclèsia, aut contra unanimem consensum Patrum, *per Ordinarios declarentur et poenis a iure statutis puniantur.* Hoc constituto pro huiusmodi hominibus, S. Synodus se convertit ad impressores, ne illi homines effugerent poenas a iure statutas per impressionem librorum eiusmodi sine nomine auctoris. Unde S. Synodus immediate prosequitur: *«sed et impressoribus modum m* HAC PARTE, *ut par est »* etc. atque in eodem contextu expresse memorat *ipsos sacrae Scripturae libros et super illos annotationes et expositiones.*

Quomodocumque itaque rem consideras, libri de rebus sacris, non alii sunt iuxta Tridentinum, quam libri tractantes de sacra Scriptura.

Quibus accedit extrinsecus canon:

quando ägiftir de poenis strictam faciendam esse interpretationem.

Expresse autem citavit Tridentina Synodus constitutionem lateranensem: quod non alia de causa fecit, quam ut m *hac parte* infligeret anathematis poenam et pecuniariam mulctam, quam scriptam reperit in Constitutione Lateranensi , quae cum suis poenis usu recepta non fuerat.

Sed quod Tridentina Synodus nonnisi ex parte renovavit, multo amplius renovavit Regula X Indicis ut vidimus: quam renovationem, pro temporum adiunctis in pontificia ditione temperavit SSmus Dominus Noster: quod temperamentum mitius quoque hodie evasit per cessationem censurarum vi Constitutionis *Apostolicae Sedis;* non eninraliamansit censura, quae respiciat impressores librorum seu imprimi facientes, quam illa, de qua agimus quoad libros de rebus sacris tractantes.

De universali autem ecclesiastica obligatione submittendi libros Ordinarii adprobationi, haec ex adductis documentis facile eruuntur: I° Haec obligatio non incumbit in auctores librorum, sed in impressores seu imprimi facientes: quare, si auctores non sint, qui libros imprimi faciant puta quia sua scripta aliis vendiderint seu aliqua ratione alienaverit, non ipsi, sed impressores seu qui imprimi faciant, unoque verbo *editores*, dicta obligatione tenentur.

2° Haec universalis ecclesiastica obligatio impressores seu imprimi facientes urget in locis, in quibus saltem Constitutio SSmi Patris edita die 2 Iunii 1848, per locorum Ordinarios exsecutioni mandetur: namque agitur de obligatione ecclesiastica, quae exigit peculiare Ordinariorum officium, quo cessante, et ipsa obligatio cessat.

3° Quoad libros de rebus profanis, qui scilicet non sint moralis aut religiosi argumenti, iuxta dictam Constitutionem, eadem obligatio cessat: quae tamen obligatio non cessat, si de locis agatur extra Pontificiam ditionem, in quibus Regula X Indicis in suo vigore fortasse servetur.

4° Decretum Urbani VIII, quod obligationem iniunxit in auctores, ne suos libros alio imprimendos transmitterent, sine proprii Ordinarii adprobatione, in desuetudinem videtur abiisse (1).

Ex his animadversionibus patet, quid ad utrumque superius propo-

(1) Ratio autem cur ülud Decretum in desuetudinem abiit etiam in locis, in quibus ceteroquin lex generalis ecclesiastica servatur, haec est: quum mala fides in librorum impressione maxime creverit, facile contingere potest, ut, ex. gr. qui Romae degens, suo libro obtineat *imprimatur* a/ Magistro S. P. Ä. atque, dum illum alio imprimendum mittit, mutationes substantiales adiungat, quae censuram fortasse non effugissentj edito autem libro cum dicto *imprimatur,* res censura dignae viderentur permissae a Magistro S. P. A. Inde contingit, ut idem Magister non apponat *imprimatur* libris extra Urbem imprimendis. Libris autem, qui Romae imprimuntur, priuB apponit suum *imprimatur;* qui tamen, postquam fuerint impressi, non possunt evulgari, nisi ipse addat alterum Decretum *evulgetur;* quod illico addit, recognita libri identitate. Cura harum rerum ad typographos pertinet.

situm dubium sii respondendum: videlicet: ad I auctor de rebus religiosis teneter submittere librum suum Ordinarii adprobationi, si ipse librum imprimi faciat, et in locis sit, ubi per Ordinarium lex ecclesiastica uti par est executioni mandetur. Ad II Auctor de rebus profanis, quae neque sint moralis argumenti, non tenetur, excepto loco, ubi in pleno suo vigore forte esset Regula X Indicis.

Quaerunt praeterea timoratae conscientiae viri aliquam practicam normam, qua se gerere possint in emendis legendisque libris: eandemque normam quaerunt Confessarii pro suis poenitentibus. Namque plurimi circumferuntur libri, qui ecclesiasticam adprobationem impressam non habent; neque omnes norunt, an libri sub excommunicationis censura sint vetiti, idest, an sint haereticorum et propugnent haeresim, an per litteras Apostolicas sint nominatim prohibiti; an, seclusa censura, recenseantur ih indice librorum vetitorum; an comprehendantur sub aliqua regula Indicis; an iure naturae sint vetiti, idest sint perniciosi; an e converso sint innoxii.

Respondeo: Viri timoratae conscientiae iam habent practicam normam ab Ecclesia universim constitutam: habent enim Confessarios. Unde S. C. Inquisitionis rogata anno 1832 per Helvetiae Episcopos circa nonnulla huius generis, ad dubium: *u* An fideles, salva conscien- » lia, legere possint ephemerides vel *n* libros, qui censuram Ordinarii non » subierunt? » Respondit: *recurrant ad Confessarium.*

Quamnam autem normam habere debeant in hac re Confessarii, eam innuit S. Alphonsus, *append. delibr. prohib. c. 5. n. 8.* his verbis: *In hac re expedit ordinarie rigidiores opiniones sequi.*

Si catholica Ecclesia non esset a Guberniis in servitutem redacta, sed ubivis, uti par est, tamquam iudex sanae doctrinae dominaretur; atque proinde exsecutioni mandare posset ecclesiasticas leges de hac re constitutas, suspecti vehementer habendi essent libri, longe lateque vagantes, qui ecclesiasticam adprobationem impressam non secumferrent: ideoque viri timoratae conscientiae ab iis emendis legendisque abstinere deberent, Confessario non consulto, ob praesumptionem de doctrina non sana et ob reverentiam Ecclesiae debitam: eiusmodi enim libri habendi essent tamquam spurii et apocryphi iuxta veterem dicendi rationem. Quod Ecclesia per Episcopos non recognovit, neque fideles admittere deberent.

Sed quoniam libertas imprimenti libros et ephemerides, a Guberniis maxime promota, eo processit ut omne fere fraenum ecclesiasticae legis excusserit, atque libri pravi vel prohibiti simul cum bonis vel innocuis late evulgentur, iuvabit Confessarium scire, quinam fuerint imprcssores, qui cos ediderint: namque plerumque noti sunt typographi, qui

cum lucro librorum propriam conscientiam non vendiderunt: item quinam fuerint librorum auctores; auctores enim sanae doctrinae plerumque noti sunt: item iuvabit scire iudicium quod sanae doctaeque ephemerides in recensionibus librorum faciendis emiserint: haec et similia possunt esse indicia, quae prudentem Confessarium dirigant, in consiliis suis Poenitentibus dandis, pro emptione vel lectione librorum, qui ecclesiasticam adprobationem non praeseferant.

Ex rebus omnibus hactenus animadversis colligi potest,iuxta ecclesiasticas leges triplicem librorum classem reiiciendam iam distingui: I° Libri prohibiti sub excommunicationis poena Romano Pontifici speciali modo reservata.

2° Libri prohibiti sub poena culpae iuxta librorum prohibitorum Indicem eiusdemque vigentes Regulas: in quem censum referri quoque possunt libri vel scripta iure tantum naturae vetita: nec non libri, qui per Episcopos in singulis suis dioecesibus prohibeantur.

3° Libri, qui, iuxta veterem dicendi rationem, appellari possent apocryphi: idest libri, quos Ecclesia simpliciter absque ulla sancita poena repudiat, ut sunt Jibri de rebus sacris tractantes impressi sine licentia Ordinarii: ad quem censum librorum apocryphorum plurimi libri aetate nostra referri posse videntur: ad hanc enim classem referri possunt ex. gr. libri Indulgentiarum omnes, diaria, summaria, libelli, folia, in quibus earum concessiones continentur evulgata absque licentia S. Congregationis Indulgentiarum: varii libri rituales sine adprobatione S. Congregationis Rituum: multique alii. Atque in singulis dioecesibus» in quibus lex rite servetur apponendi Ordinarii adprobationem, in hunc censum tamquam suspecti referendi essent libri, qui non praeseferant Ordinarii adprobationem.

OE PROPOSITIONIBUS A S. SEDE DAMNATIS.

Cum censuris in haereticos latis et in legentes eorum libros connexionem habent censurae latae in docentes vel defendentes propositiones ab Apostolica Sede damnatas.

In Constitutione, *Apostolicae Sedis, de* qua agimus, Romanus Pontifex sibi reservat non *speciali modo,* sed simpliciter excommunicationem latae sententiae « *in docentes vel defendentes sive publice sive privatim, propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae,* art. I pag, 16.

Ad plenius intelligendam relationem, quam propositiones a S. Sede damnatae habent cum haeretica doctrina: atque ad intelligendum discrimen quod intercedit inter propositiones haereticas et propositiones minori censura seu nota dignas, inter quas reperiri solent propositiones quae sub poena excommunicationis damnantur, expedit referre accura-

tam Theologorum doctrinam: atque seligam quae recens scripsit clarissimus Theologus Ioannes Baptista Franzelin in opere *de Divina traditione,* ubi post thesim XII *pag. Ì40* duo adiecit Scholia, atque, de obiecto authentici magisterii haec principia et corollaria tradidit, quae naturam et intrinsecum valorem propositionum damnatarum copiose illustrant.

u Principium 2"". Depositum christianae fidei stricto sensu acceptum complectitur ea omnia et sola, quae humano generi a Deo *explicite vel implicite* revelata sunt credenda, facienda, sequenda; seu quae manifestata sunt revelatione catholica (ad distinctionem a divinis revelationibus *privatis)* ad aeternam salutem humani generis.

» *Corollarium a).* In deposito fidei continentur tum doctrinae theoroticae (et in his etiam veritates, quae quatenus ratione cognoscibiles solent dici pertinere ad religionem naturalem); tum leges practicae (et in his etiam lex naturalis scripta in cordibushominum ratione utentium): tum instituta quaedam perpetua vel fundamentalia, ut sunt Ecclesia, eius potestas, eius forma regiminis etc.; *dogmatica, ethica, politica (noiízeia)* revelata ac supernaturalis.

» *Corollarium b).* Solae veritates a Deo revelatae, quando sufficienter propositae sunt, possunt ac debent credi *fide divina;* quia haec est assensus propter auctoritatem Dei revelantis.

» *Corollarium c).* In deposito fidei possunt obiective contineri veritates, quae nondum sunt sufficienter propositae ita, ut omnes fide divina tamquam revelatas eas credere teneantur.

» *Principium 3um.* Cum veritatibus revelatis et sufficienter proposi • tis connexa sunt et ad ea referuntur plura, sine quibus veritates illae ipsae revelatae vel non possent vel minus bene possent in tota sua amplitudine custodiri, explicari, defendi, licet illa in se vel simpliciter revelata non sint, vel nondum sufficienter proposita ad credendum fide divina.

» Huiusmodi sunt multa tum theoretica tum practica in triplici illo ordine, quem indicavimus, dogmatico, morali, et (ut ita loquar) constitutivo, ut veritates theologice certae e. g. de processione Spiritus sancti *per modum amoris* in connexione cum mysterio SS. Trinitatis; de sanctificatione humanitatis Christi *per dona etiam creata,* de visione eius beatifica a primo instanti existentiae, in connexione cum mysterio incarnationis etc. tum adiuncta quaedam complicità cum veritatibus revelatis, quando hae practice applicandae sunt, e. g. si quaeritur de genuino sensu textuum in determinatis libris, quatenus deposito fidei concordent vel opponantur; facta de^ inde per se historica, e. g. legitima celebratio determinati Concilii etc.; praeterea speciales quaedam dis po sitiones divinae providentiae ad meliorem statum et gubernationem uni-

versalis Ecclesiae pertinentes e. g. si quaeritur de opportunitate vel morali necessitate politicae independentiae et dominii temporalis in Summo Pontifice sub relatione ad gubernationem Ecclesiae etc.

» *Corollarium a)*. Depositum fidei non solum negatione veritatis revelatae ac haeresi, quantum in ipsa est, violatur; verum etiam potest oppugnari et in animo fidelium periculis obiici per errores contra veritates in se non revelatas, sed tamen connexas cum revelatis et ideo theologicas seu religiosas.

» *Corollarium b)*. Quamvis depositum fidei stricte sumptum non comprehendat nisi vera revelata, attamen *depositum custodiendum* in tota sua amplitudine cum omnibus suis munimentis et modis applicationis latius patet: - O Timothee depositum custodi; devitans *profanas vocum novitates*- 1 Tim. VI 20.

» *Principium 4um* . Cui a Christo commissum est munus infallibiliter custodiendi depositum et illud tuendi adversus errores ingruentes, eius auctoritas infallibilis sub promissa assistentia Spiritus sancti pertinet in primis ad custodiendas, proponendas, explicandas veritates, quae stricto sensu ipsum depositum fidei constituunt, nempe aa' veritates revelatas, ac proinde ad arcendos errores his directe oppositos seu ad condemnandas haereses. Hoc est revelatum dogma fundamentale fidei catholicae; ainue hinc eius negatio non solum haeresis est, sed etiam radix omnium haereseon.

n In hoc continetur atque inde immediate consequitur, infallibilitatem promissam ad custodiendum depositum extendi ad totam custodiendi depositi amplitudinem, hoc est ad veritates etiam in se non revelatas, quatenus cum revelatis cohaerent et ad earum custodiam, propositionem, explicationem, defensionem requiruntur. Haec infallibilitatis extensio omnibus theologis consentientibus veritas est theologice ita certa, ut eius negatio error esset gravissimus vel ex plurium sententia etiam haeresis, quamvis hactenus explicite haereseos damnata non sit. Vide Card. de Lugo, *de Fide disp. XX n. 406-444;* Bañez, *2. 2. q. 44 a. 2. concl. 2;* Suarez, *de fide, disp. V sect.* 6 *n. 4, 3, 8; sect. 8 n. 4.*

» *Corollarium a)*. Non solum veritatis revelatae sed etiam veritatis connexae quatenus ad revelatam refertur, definitio ab infallibili magisterio dari potest infallibilis; eademque ratione non solum condemnari haereses, sed etiam inferiores censurae ferri possunt auctoritate infallibili sub assistentia spiritus veritatis. Quod ergo doctrina non definitur tamquam in se revelata, seu quod errores non singillatim damnantur *nota haereseos;* sed vel nulla determinata censura vel censuris inferioribus vel *in globo* censuris pluribus proscribuntur: ob has causas per se spectatas sine gravi errore affirmari non potest, de-

finitionem non esse infallibilem aut non esse *locutionem ex cathedra.*

» *Corollarium b).* Constitutiones dogmaticas Concilii Constantiensis contra articulos Wicleffl et Ioannis Hus confirmante Martino V;Leonis X contra Lutherum, *Exurge;* Clementis XI contra Iansenianos, *Unigenitus* etc. ubi sub diversis censuris *in globo* propositiones damnantur, pariterque Constitutionem Pii VI contra Pistorienses, *Auctorem Fidei,* ob» singillatim propositiones plurimae proscribuntur inferioribus censuris, nemini catholico fas est negare esse definitiones infallibiles. Hoc autem consequens etiam aliunde certum vicissim demonstrat veritatem principii positi, quia sine illo ipsum consequens consistere non posset.

n,Corollarium c). Qualitas qaae propositioni competere *definitur,* illi infallibiliter competit eo sensu et modo, qui in definiendo intenditur. Unde qui putant e. g. *temerariam* dici propositionem, quae contra graves rationes et contra gravem auctoritatem sine sufficienti fundamento asseritur, ii etiarn aiunt, hanc qualitatem non autem per se falsitatem propositionis in censura *temeritatis* definiri. Hoc idem, non definiri *falsitatem,* sed aliam damnabilem qua* litatem propositionis, eo magis affirmant quoad censuras, quibus notantur propositiones *scandalosae, male sonantes, piarum aurium offensivam* Vide Card. de Lugo, *de fide disp. XX n. iii;* Canum, *I. Xli c. U ad finem.* Certe quando Concilium Viennense - opinionem (de infusione gratiae et virtutum in parvulis) *tamquam probabiliorem* duxit eligendam - haec per se non est definitio veri^ tatis, sed solum maioris probabilitatis (cf. de Lugo I. c. n. 115-129).

» *Corollarium d).* Infallibilitas Ecclesiae et Pontificis Romani creditur fide divina propter auctoritatem Dei revelantis; sententia, quae per infallibilem definitionem Ecclesiae vel Pontificis proponitur ut vera, non tamen ut revelata, creditur propter revelatam auctoritatem proponentis. Unde eam quam aliqui appellant fidem *ecclesiasticam,* possumus dicere fidem *mediate divinam.*

n Principium o"". Si Ecclesia est infallibilis in custodiendo deposito fidei saltem stricte sumpto, ac proinde in declarando vero sensu dogmatum revelatorum; eo ipso est infallibilis iri iudicio de vero sensu, de intensione et extensione suae propriae auctoritatis et infallibilitatis seu, quod idem est, in iudicio de conditionibus et de obiectis, in quibus sibi divino iure competat auctoritas et promissa sit assistentia spiritus veritatis. Haec enim auctoritas et infallibilitas profecto est dogma revelatum.

n Corollarium: Contradictionem involvit admittere infallibilitatem Ecclesiae in dogmatibus revelatis, et simul auctoritatem definitionis quae supponatur actu existens, negare eo, quod res definita non sit dogma fidei.

* *Principium G"".* Sicut ex ipsius

revelationis principiis ut,ab Ecclesia intelliguntur et declarantur, certum est, ad eius infallibile magisterium pertinere veritates et eius infallibili iudicio subiici errores solum in ordine ad custodiendum depositum religionis christianae, atque ad eam in fidelibus tuendam et promovendam; ita aeque certum est, in plerisque scientiis ut ab hominibus ex principiis mere naturalibus et ex fontibus non revelatis excoluntur et excolendae sunt, in philosophia potissimum tum theoretica tum practica, in historia, geologia, etbnographia etc. reperiri veritates, quae simul sunt revelatae vel cum revelatis connectuntur. Ratio est, quia revelatio continet non tantum veritates superrationales, sed multas ratione quoque et ex fontibus naturalibus cognoscibiles; seu aliis verbis, quia revelatio et disciplinae naturales in multis obiectum (materiale) habent commune. Pariter evidens est, in hisce disciplinis non quidem recto usu sed abusu rationis et ignorantia (1) posse statui hypotheses tamquam principia, et posse deveniri ad conclusiones, quae veritatibus revelationis, sive per se rationabilibus, sive superrationabilibus, vel simpliciter vel secundum aliquid adversentur, quae proinde (quia verum vero contradicere nequit) contineant errores ex principiis revelatis cognoscibiles et damnabiles.

» Magisterium itaque Ecclesiae huiusmodi veritates docet et de huiusmodi erroribus iudicare potest infallibiliter non docendo scientias humanas ex propriis earum principiis, sed iudicando ex suis principiis (2). Quare Ecclesia infallibilis numquam iudicat, et vi promissae infallibilitatis neque potest umquam Spiritus sanctus permittere, ut *definiendo* iudicet sive de veritatibus sive de erroribus, nisi in ordine ad depositum custodiendum et ex munere divinitus iniuncto custodiae depositi.

» *Corollarium a)*. Quamvis philosophia et ceterae disciplinae naturales principiis suis propriis nitantur, quae cognoscuntur vel quatenus cognoscuntur non ex revelatione et ex magisterio authentico Ecclesiae, sed ratione et ex fontibus naturalibus; magisterium tamen Ecclesiae potest et vero debet ex principiis revelationis praemonstrare errores

CO « Sicut sacra doctrina fundatur super lumen fidei, ita philosophia super lumen naturale rationis. Unde impossibile est, quod ea quae sunt philosophiae, sint contraria iis quae sunt fidei... si quid autem in dictis philosophorum inveniatur contrarium fidei, hoc non est philosophiae sed magis philosophiae abusus ex defectu rationis» S. Th. in Boëth. Trin. Prolog, q. 2 a. 3. C Nota Auctoris).

Ç2) «Propria huius scientiae (Theologiae) cognitio est, quae est per revelationem non autem quae est per naturalem rationem (obiectivam). Et ideo non pertinet ad eam probare principia aliarum scientiarum, sed solum iudicare de eis. Quidquid enim in aliis scientiis reperitur veritati huius scientiae repugnans, totum condemnatus falsum » S. Th. 1 q. 1 a. 6 ad 2. (Nota Auctoris.)

ea ve n d os, qui integritati et incolumitati depositi custodiendi adversantur. Catholici ergo scientiarum cultores hanc normam prae oculis habeant oportet ex praescripto rationis, ne incidant in errores ; ex praescripto (idei, ne incidant in errores contrarios veritatibus fidei.

v *Corollarium b).* Qui se profitentur catholicos, adeoque agnoscunt authenticum Ecclesiae magisterium, et nihilominus affirmant, philosophiam modo declarato subiectam non esse huic normae, per eandem impediri progressum scientiae, Ecclesiam debere relinquere philosophiae ut suos errores ipsa corrigat (Syllab.Pontific.prop.X.XI.XII.XIV); ii postulant libertatem ad errores nmplectendos per philosophiae abusum, *et* negant Ecclesiae ius ac officium prospiciendi integritati ac sanitati doctrinae fidei. Vide Concilium Vaticanum Constit, *de Fide cap.* 4 *can. 2.*

n Principium 7). Sancta Sedes Apos'olica cui divinitus commissa est custodia depositi, potestas pascendi universam Ecclesiam ad salutem animarum, potest sententias theologicas vel quatenus cum theologicis nectuntur praescribere ut sequendas vel proscribere ut non sequendas, non unice ex intentione definitiva sententia infallibiliter decidendi veritatem, sed eliam absque illa ex necessitate et intentione vel simpliciter vel pro determinatis adiunctis prospiciendi *securitati* (1) doctrinae catholicae. In huiusmodi declarationibus licet non sit doctrinae *veritas infallibilis,* quia hanc decidendi ex hypothesi non est intentio; est tamen *infallibilis securitas.* Securitatem dico tum obiectivam doctrinae declaratae (vel simpliciter vel pro talibusadiunctis),tum subiectivam quatenus omnibus tutum est eam amplecti, et tutum non est nec absque violatione debitae submissionis erga magisterium divinitus constitutum fieri potest, ut eam amplecti recusent.

» *Corollarium a).* Auctoritas magisterii a Christo instituti in Ecclesia, quoad rem de qua nunc agimus, dupliciter spectari debet: *a)* ut in singulis actibus est sub assistentia Spiritus sancti ad . infallibilem definitionem veritatis seu ut est *auctoritas infallibilitatis; ß)* velut extensive, ut magisterium idem agit auctoritate quidem pascendi sibi divinitus commissa, non tamen tota eius intensione (si ita loqui fas est) nec ultimatim definiendo veritatem, sed quantum necessarium aut opportunum et sufficiens visum fuerit ad securitatem doctrinae, quam possumus forte dicere *auctoritatem universalis providentiae ecclesiasticae.*

n Corollarium b). Auctoritas in-

(1) Non coincidere haec duo, infallibilem veritatem et securitatem, manifestum est ex eo, quod secus nulla doctrina probabilis aut probabilior pos^jet dici sana et secura. (Nota Auctoris.)

fallibili latis non potest a Pontifice communicari aliis veluti suis ministris et suo nomine agentibus. Si quando igitur definitio infallibilis editur per aliquam sacram Congregationem Romanam; Congregatio ipsa solum se habet per modum consulentis et ministerialiter promulgantis, definiens autem est solus Pontifex. Debent ergo hic occurrere ea indicia, quibus supra diximus intentionem Pontificis manifestam reddi (1).

» *Auctoritas universalis providentiae ecclesiasticae*, ut eam appellavimus, non quidem independens sed cum dependentia a Pontifice, communicabilis est et ab ipso Pontifice communicatur maiori vel mi-

(1) Agens Auctor de subiecto infallibilitatis, quod est tum visibile Caput Ecclesiae per se spectatum, tum hoc ipsum visibile Caput velut componens et informans corpus Ecclesiae docentis, quae ipsamet sic constituta est infallibilis per assistentiam Spiritus Sancti, duo corollaria inter cetera constituerat, quorum unum ita se habet.

« Secundum ipsius Concilii Vaticani declarationem Pontifex dicitur *loqui ex cathedra* cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit. Neque enim *cathedra apostolica* aliud est, quam supremum authenticum magisterium, cuius definitiva sententia doctrinalis obligat universam Ecclesiam ad consensum. Intentio haec *definiendi* doctrinam, seu docendi definitiva sententia et auctoritate obligante universam Ecclesiam ad consensum *debet esse manifestata et cognosci bilis claris indiciis.* Non tamen essentialis est forma aliqua determinata, quam Pontifex adhibere debeat ad hanc suam voluntatem manifestandam. Quamvis enim sint modi aliqui solemnes, qui ex sese exprimunt *locutionem ex cathedra* et quibus proinde Pontifex numquam utitur nisi loquendo ex cathedra, cuiusmodi sunt Bullae dogmaticae: haec tamen forma non est essentialis et exclusiva ita, ut sine illa Pontifex tamquam omnium Christianorum Pastor et Doctor definire doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam eique oppositos errores eodem hoc modo damnare, atque hanc suam voluntatem manifestam reddere non possit. »

Alterum autem subsequens corollarium ita se habet. « In ipsis documentis Conciliorum et Pontificum, quibus certissime propositum est edere *definitiones* doctrinae, possunt et solent contineri plura, quorum definitio non intenditur; ut sunt obiter vel incidenter dicta, quae indirecte enuntiari solent; plerumque etiam argumenta allata ad probationem ipsius definitivae sententiae etc. Haec licet gravem habeant auctoritatem, non tamen sunt definitiones infallibiles.

« Pariter possunt esse et sunt Pontificum documenta publica, quibus circa doctrinam de fide vel moribus aliqua monere, suadere, reprehendere, prohibere propagationem alicuius sive opinionis sive erroris propositum est, quin intendant definitivam sententiam edicere, qua adstringatur tota Ecclesia; eoque ipso non est locutio ex cathedra. *Respondent enim saepe Pontifices ad privatas huius aut illius Episcopi quaestiones, suam opinionem de rebus propositis explicando, non sententiam ferendo, qua fideles obligatos esse velint ad credendum,* Melch. Canus *1.6 c. 8 ad 7.* In hunc censum merito referuntur e. g. duae epistolae Honorii I. ad Sergium Constahtinopolitanum (quae tamen nullimode habent sensum haereticum). Dubium oriri posse de quibusdam documentis Pontificum, utrum contineant locutionem ex cathedra et *definitionem* doctrinae, non negamus; sed hoc idem accidit quandoque etiam circa documenta Conciliorum, cuius rei exemplum habemus in diversis sententiis, quae fuerunt et inter aliquos adhuc sunt de *Instructione pro Armenis* edita in Concilio Florentino, utrum quae ibi docentur nominatim de materia et forma Sacramentorum sint definitiones dogmaticae, an solum instructiones in praxi observandae. Si quando huiusmodi dubia incidunt, recte monent theologi *in hac re diiudicanda multum valere tum virorum sapientum iudicium tum (multo magis) Ecclesiae sensum et consensum,* Tanner, *de Fide q. 4 dub. 6. n. 262.* »

nori extensione quibusdam SS. Congregationibus Cardinalium.

» *Corollarium c)*. Falsum est, auctoritatem propter quam debeatur assensus intellectus, solam esse auctoritatem Dei revelantis seu Ecclesiae vel Pontificis infallibiliter definientis; sunt enim gradus assensus religiosi multiplices. In praesenti distinguendus est assensus *fidei proprie et immediate divinae* propter auctoritatem Dei revelantis: assensus fidei quam supra diximus *mediate divinam* propter auctoritatem infallibiliter definientis doctrinam ut veram non tamen ut revelatam; assensus *religiosus* propter auctoritatem universalis providentiae ecclesiasticae in sensu declarato.

» Hanc ipsam doctrinam Summus Pontifex Pius IX in litteris scriptis 21 Decembris 1863 ad archiepiscopum Monachiensem, quarum initium est, *Tuas libenter accepimus*, clarissime exposuit: «Persuadere no-
V bis volumus, noluisse *(eos, qui con-*
n ventui litterario Monachiensi adfue-
» rani) obligationem, qua catholici
» Magistri ac scriptores omnino ad-
n stringuntur, coarctare in iis tan-
n tum, quae ab infallibili ecclesiae
rr iudicio veluti fidei dogmata ab o-
n mnibus credenda proponuntur...
» Namque etiamsi ageretur de illa
» subiectione, quae fidei divinae actu
rr est praestanda, limitanda tamen
» non esset ad ea, quae expressis
» oecumenicorum Conciliorum aut
» Romanorum Pontificum, huius-
n que Apostolicae Sedis decretis defi-
» n i ta sunt, sed ad ea quoque exten-
T) denda, quae ordinario totius Eccle-
» siae per orbem dispersae màgiste-
V rio tamquam divinitus revelata tra-
» duntur. ideoque universali et con-
» stanti consensu a catholicis theo-
» logis ad fidem pertinere retinen-
di tur. Sed cum agatur *de illa subic-*
it elione, qua ex conscientia ii omnes
n catholici obstringuntur, qui in con-
a templatrices scientias incumbunt,ut
n novas suis scriptis Ecclesiae affé-
n rant utilitates, idcirco eiusdem Concentus viri agnoscere debent, *sa-*
n pientibus Catholicis haud satis esse,
n ut praefata dogmata recipiant ac
n venerentur, verum etiam aptis esse,
n ut se subiiciant tum decisionibus,
n quae ad doctrinam pertinentes a
r> Pontificiis Congregationibus pro)'e-
rr runtur, tum iis doctrinae capiti-
rr bus, quae communi et constanti ca-
ry tholicorum consensu retinentur ut
rr theologicae veritates et conclusiones
rr ita certae, ut opiniones eisdem do-
rt ctrinae capitibus adversae, quam-
rr quam haereticae dici nequeant, ta-
** men aliam theologicam mereantur*
v censuram, n

n Porro *auctoritas universalis providentiae ecclesiasticae,* quam diximus, licet per se primo in nulla alia persona singulari resideat, quam in Pastore totius Ecclesiae; providentia tamen *particularis* subordinata Summo Pastori competit etiam singulis Episcopis in suis dioecesibus. Immo in foro interno et in ordine ad directionem vitae spiritualis suo modo competit Directoribus anima-

rum, quod forte exemplum,sicut universim consilium evangelicum obedientiae non modo voluntatis, sed etiam intellectus, magis obvium est ad declarandum modum, quo infallibilitas praecipientis non sit conditio necessaria , ut subiectio et obedientia intellectus praestari queat.

v Corollarium d). Auctoritas infallibilitatis et supremum magisterium Pontificis definientis omnino nihil umquam pertinuit ad causam Galilaei Galilaei, et ad eiurationem opinionis ipsi iniunctam. Non solum enim nulla vel umbra definitionis Pontificiae ibi intercessit, sed in toto illo Decreto Cardinalium S. Officii et in formula eiurationis ne nomen quidem Pontificis unquam sive directe sive indirecte pronunciatum reperitur. Legi possunt documenta descripta in Ioannis Bapt. Riccioli *Almagesto Novo, p. 2 I. 9 sect. 4 c. 40 pag. 496 seqq.* Attamen in illo statu quaestionis et re nondum eliquata, cum systematis astronomici veritas minime adhuc probata nullum praeberet fundamentum loca Scripturae in alio, quam in obvio sensu interpretandi, ipsique in physicis ac astronomici^ pro ea aetate homines doctissimi ut Tycho Brahe, Alexander Tassonus, Christophorus Scheiner, Antonius Delphinus, Iustus Lipsius (vide Ricciolium 1. c. p. 495) Galilaei opinionem iudicarent contrariam Scripturis, pertine» bat omnino ad *auctoritatem providentiae ecclesiasticae* cavere, ne quid detrimenti caperet interpretatio Scripturae per coniecturas et hypotheses plerisque tum temporis visas minime verosimiles. Non examen doctrinae institutum est ad eius *definitionem* pro universa Ecclesia (1), de quo nemo cogitabat; sed habitus processus criminalis anno 1633, secundum quem pro illis adiunctis non potuit aliud iudicari, quam quod in finali iudicum sententia continetur... Vide Revue des sciences Ecclésiastiques, *2 ᵉ Serie tom. 3 p. 403 seqq. 247 seqq. n*

Hactenus clarissimus Theologus de obiecto authentici magisterii ad infallibilem custodiam, explicationem et defensionem depositi adversus ingruentes errores.

Post haec gradum fecit ad declarandam significationem censurarum seu notarunt, quibus propositiones veritati doctrinae repugnantes sive authentice a potestate ecclesiastica condemnari sive scientifice a doctoribus designari solent.

u In Concilio Constantiensi (sic auctor) sess. VII! et XV ^ in Bulla confirmationis Martini Y damnati sunt 45 articuli Ioannis WiciefF et 30 Ioannis Hus sub hisce ceusuris: articuli *notorie haeretici et a SS. Patribus reprobati, alii non catholici sed erronei, alii scandalosi et blasphemi, quidam piarum aurium offensivi, nonnulli temerarii et seditiosi.* Censurae autem hae non singulae sin-

Cl) Haec auctor ostendit adducens in nota testimonia testium eius aetatis omni exceptione maiorum-, quae, quum minus ad rem nostram pertineant, brevitatis causa omittimus.

gulis propositionibus appositae sunt, sed adiectae toti elencho (ut aiunt) *in globo,* ita ut nulla esset propositio, cui aliqua ex enumeratis notis non conveniret, et nulla posita esset nota, quae ad aliquam ex iis propositionibus non pertineret; Hanc formam summi Pontifices, ubi multae simul propositiones damnandae erant, deinceps plerumque servarunt, ita Leo X in ipsa Bulla, *Exurge,* contra Lutherum, Gregorius XIII et Pius V contra Baium, Innocentius XI contra Michaelem Molinos pseudomysticum , Alexander VIII contra 31 propositiones Iansenianorum, Innocentius XII contra 23 propositiones ex libro Fenelonii (quarum tamen nulla damnata ut haeretica), Clemens XI contra 101 propositiones Quesnelli (j„ Bulla, *Unigenitus)* etc. In Bulla dogmatica, *Auctorem fidei,* ad praecidendas Iansenianorum fraudes Pius VI doctrinae capitibus Pistoriensium apposuit singulis singulas censuras.

» Quoad significationem diversarum notarum in primis considerandum est, quae dicantur propositiones *haereticae, erroneae, temerariae,* quia hae censurae frequentissime occurrunt et iis determinatis ceterae facilius intelligunt ur.

» a) Haeretica est propositio, quae *cerlo,* opponitur (sive contrarie sive contradictorie) veritati, de cuius revelatione sufficienter in Ecclesia proposita *certo* constat. Duo ergo requiruntur et *revelatio* et *sufficiens in Ecclesia propositio,* ut doctrina opposita sil haeretica. Non enim sufficit ut veritas contineatur in obiectiva revelatione, quamdiu satis proposita non est; secus propositio in dubium revocans e, g. auctoritatem supremam aliquot librorum deutèrocanonicorum semper etiam iam IV saeculo, negans immaculatam Beatae Virginis conceptionem iam ante solemnem definitionem haeretica fuisse dici deberet. Qui modus loquendi, et quia odiosus est,-consulti us vitatur, et reipsa verus non est, quia haeresis includit notionem oppositionis contra professionem, de qua in Ecclesia certo constet. Quamvis si talis propositio contraria veritati revelatae sed nondum satis propositae, diceretur *materialiter non formaliter haeretica,* lis tota fere esset de modo loquendi. Non tamen requiritur ad hanc propositionis censuram, ut ipsi auctori de revelatione constet. Non enim hic agitur de peccato haereseos sed de propositione in se haeretica, ad cuius rationem bona fides auctoris nihil refert. Unde possunt dam nari et saepe damnantur propositiones ut haereticae, quae non tum primum incipiunt esse sed iam ante erant tales, quin ideo auctor criminis haereseos necessario reus sit aut esse declaretur. Vice versa is, cui satis constat de revelatione veritatis licet nondum universaliter satis propositae ut omnes credere teneantur, potest negando committere peccatum contra fidem, quin propositio negationem enuntians sensu declarato sit in foro externo haeretica et censura haereseos afficienda.

» Per se patet et ex superioribus constat, ad cos qui sunt authentici doctores et iudices in doctrina fidei pro universa Ecclesia, ad summum Pontificem et ad oecumenicum Concilium pertinere munus definiendi doctrinam in revelatione contentam, quae tamen hactenus non fuerit satis proposita. In tali definitione sane continetur sufficiens et omnium clarissima propositio fidei pro universa Ecclesia, et hoc ipso continetur vel (plerumque) explicite additur censura haereseos contra doctrinam oppositam, quae hactenus in sensu formali quem diximus, haeretica non fuerat.

•*n* De exposita ratione primae illius censurae inter omnes convenit, saltem ad rem ipsam quod spectat; magna vero est sententiarum diversitas, ubi reliquarum censurarum non solum generica sed stricta et specifica notio declaranda est. Generice quaevis propositio falsa est *monta,* atque adeo in re theologica de qua in censuris sermo est, omnis propositio repugnans veritati theologicae de qua satis constet, ac proinde in supremo gradu etiam haeresis continet *errorem;* et omnis propositio haeretica ac dicto sensu erronea est etiam saltem in se (praescindendo ab animo proferentis) *temeraria.* At usu Pontificum et exinde usu theologorum utraque posterior censura ab haeresi, et propositio *temeraria* ab *erronea* distinguitur ut gradus inferior a gradu superiori. Unde ulterius tam *erronea* quam *temeraria* propositio est damnabilis et sub his notis damnatur, quatenus modo aliquo opponitur veritati theologicae, non tamen ita ut *certo* opponatur veritati, quae *certo* sit vel definiatur esse veritas fidei, sed gradu aliquo inferiori; et censura quidem *temerariae* propositionis est iterum inferior et minus gravis prae nota *erroris*. Iam in determinatione propriae specificae notionis, qua utraque censura ab aliis omnibus distinguatur, simul conferendo theologorum diversas theorias et maxime praxim, ut eas adhibent, et ut potissimum ab ipso summo Pontifice adhibitae sunt in Bulla *Auctorem fidei,* haec quae subiicimus satis constant.

» *b)* Propositio *erronea* est propo oitio repugnans doctrinae Theologicae, quae vel in Ecclesia universaliter docetur et retinetur vel definitur ut certa et saltem intime nexa cum doctrina fidei, non tamen proponitur tamquam doctrina in se revelata et proinde *de fide.* Ratio itaque propria *erroris* desumitur ex ratione propria veritatis oppositae. Huius autem notae sunt altera *positiva,* videlicet certitudo ex universalitate consensus ut in propositionem theologice certam, et ex intimo saltem nexu cum doctrina fidei: altera *negativa,* quod doctrina non proponitur et praedicatur ut certo revelata ac *de fide.* Nota *positiva* inservit ad hanc censuram *erroris* distinguendam ab aliis inferioribus, ut postea constabit; nota *negativa*

hanc distinguit a superiori, b. e. a censura propositionis *haereticae* (1). Ratio porro cur licet universaliter teneatur ut certa, non tamen censeatur esse simpliciter *de fide,* potest esse duplex: vel quia non satis constet consensum esse non solum ut in propositionem veram, sed etiam ut in propositionem revelatam ot de fide credendam; atque ideo antequam de illa definitio Ecclesiae existat, theologi generatim fateantur non posse dici simpliciter *de fide:* vel quia est conclusio theologica deducta ex una quidem propositione revelata, et ex altera aliunde vel theologice vel lumine rationis certa. Igitur censura propositionis *erroneae* comprehendit tum eam quae ita, ut dictum est, opponitur *conclusioni theologice* certae, cuiusmodi praeter alias potest censeri e. g. XXII damnata in Bulla, *Auctorem fidei;* tum eam, quae opponitur doctrinae ex universali consensione et praedicatione indubitanter tenendae ut verae, quae tamen non simpliciter et certo tamquam *de fide* proponitur, ut esset exempli causa X, quae in eadem Bulla dicitur *ad minus erronea.* Doctrina ita, ut ultimo loco diximus, proposita plerumque est proxima fidei et propositio ei opposita dicitur *proxima haeresi.* Unde apparet, omnem propositionem *proximam haeresi* esse etiam *erroneam,* non tamen omnem propositionem affecta m censura *erroris* esse etiam *proximam haeresi;* latius enim patet censura *propositionis erroneae,* quam *proximae haeresi.*

n *c)* Nota *temeritatis,* ut diximus, est inferioris gradus, quam praecedens censura *erroris.* Propositio *in directo suo sensu temeraria,* debet repugnare alicui doctrinae theologicae non solum probabili, sed communi ita, ut eam negare fas non sit. Quia est censura inferioris gradus quam *error,* propositio *temeraria* compa-

(1) *u* Diligenter animadvertendum est magnum discrimen inter authenticos iudices de doctrina (Concilium seu Pontificem) et inter privatos doctores. Posteriores hi solum scientifice possunt determinare gradum censurae seu de eo opinionem edicere, et in hoc suo iudicio (nisi censura iam authentice fixa sit) habent pro norma eas notas, de quibus in textu loquimur. Ecclesia vel Pontifex, ut iudex authenticus, in examine quidem praemittendo definitioni (de quo alibi dicemus) habet etiam prae oculis illas notas; sed in ferendo iudicio est sub assistentia Spiritus sancti, ita ut ab bac assistentia non vero ab examine praemisso, immo neque necessario a veritate fundamentorom., quibus forte movetur, pendeat ultimi iudicii et definitionis veritas ac infallibilitas.

» Unde authentice definiendo gradum censurae, hoc ipso"definit,^ gradum certitudinis in doctrina opposita *sellem* illum esse, quirespondeat censurae definitae; quamvis e. g. in censura propositionis *erroneae* consensus ille manifestans errorem, de quo diximus in textu, vel nexus cum doctrina revelata hactenus nondum satis fuisset cognitus. Censura enim ipsa fertur ab Ecclesia ad manifestandum hunc nexum^et gradum certitudinis. Dixi gradum certitudinis *saltem* definiri eum, qui respondeat censurae. Ubi enim non declaratur censura suprema *haereseos,* aliquando Ecclesiae satis est definire gradum, qui *snltem* sit certus ac tenendus, ut patet ex pluribus propositionibus Pistoriensium, quae damnantur velut *ad mi • nus erroneae,* et ex declaratione Concili; Viennensis de infusione gratiae et virtutum in pav vnlis, si conferatur cum doctrina Conc. Tridentini *ess. 6 c. 7.* » (Nota laudati Auctoris.)

rata cum *erronea* erit in mitius directa oppositione contra veritatem, vel opposita veritati minus stricte nexae cum doctrina fidei. Quia hoc *plus* et *minus* morali aestimatione et theologica prudentia diiudicandum est, nihil mirum, quod theologi, nisi forte Ecclesia ipsa definierit gradum, fere fluctuent inter duas has censuras, et propositiones easdem, quas alii dicunt erroneas, alii appellant temerarias, atque etiam coniungere soleant utramque ita, ut dicant propositionem *esse erroneam vel saltem temerariam.* Erit itaque propositio in *suo sensu directo temeraria,* quae vel repugnat doctrinae theologicae universaliter et constanter apud pios et doctos receptae tamquam tenendae ex gravibus fundamentis auctoritatis et ahalogiae fidei (quo e. g. pertinet XLI Pistorien- < sium), vel aliquid affirmat contrarium approbatis in Ecclesia institutis ac consuetudini licet in se non revelatis (ut essent XXVII, XXXI, LIV ibidem). Praeterea propositio potest esse *temeraria modaliter* eo, quod inique damnat doctrinam probabilem vel probabiliorem; sic ut *temeraria* declarata est propositio XXVI Pistoriensium, qua explodunt doctrinam de *limbo puerorum* velut *fabulam Pelagianam.*

n Quoniam una propositio potest pluribus modis veritati opponi, hinc potest et solet eadem una affici pluribus distinctis censuris. Si quando tamquam *temerariae* simul et *erroneae* sententiae damnantur (ut plures propositiones in citata Constitutione, *Auctorem fidei, X,* XLVII, LXIV, LXXVII, LXXVIH). notandum est, quod supra monuimus de significatione magis generica *temeritatis,* qua utique propositio omnis haeretica et erronea potest dici simul *temeraria.* Postremo per se patet, ubi de censuris theologicis agitur, non intelligi temeritatem solum subiectivam, quae opponitur prudentiae et consilio, quo sensu temere dicitur, quidquid dicitur tumultuarie sine necessaria consideratione et perspecta ratione.

» *d)* Longe facilius determinatur propria significatio aliarum censurarum, quae cum praedictis connectuntur, et sunt veluti intermediae. *Haeresim sapiens* propositio dicitur, quae grave praebet fundamentum iudicandi, eam cohaerere cum principio haeretico et profectam esse ex sententia haeretica auctoris; *suspecta de haeresi,* quae habet aliquid praeposterum ita, ut rationabilem pariat suspicionem implicitae haereseos. Facile patetj posse simul cum his duabus notis *saporis et suspicionis haereseos* coniungi strictiorem determinationem modi, quo sententia opponitur veritati; sic utraque Pistoricnsis XXII et XXVIII dicitur *suspecta de haeresi, eamque sapiens, et erronea.* Propositio *male sonans* est, quae licet significatione minus usitata verborum sensum aliquem admittat innocuum, in significatione tamen communi verborum continet aliquid contrarium sanae doctrinae,